De Processione Spiritus Sancti
ex fontibus Revelationis
et secundum Orientales dissidentes

IMPRIMATUR

G. Quénard Sup. Gen. Presbyterorum A. A.

IMPRIMATUR

† Iosephus Palica Arch. Philippen., Vic. ger.

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI

EX FONTIBUS REVELATIONIS ET SECUNDUM ORIENTALES DISSIDENTES

Auctore

MARTINO JUGIE, A. A.

Professor in Athenaeo Seminarii Romani
necnon in Instituto Catholico Lugdunensi

L A T E R A N U M

NOVA SERIES AN. II N. 3-4

FACULTAS THEOLOGICA PONTIFICII ATHENAEI SEMINARII ROMANI
ROMAE MCMXXXVI

PROPRIETA'  RISERVATA

ISTITUTO GRAFICO TIBERINO - ROMA - Via A. Musa, 23 - Telef. 83-870

Discipulis meis

in Athenaeo Seminarii Romani

necnon in Instituto Catholico Lugdunensi

Dicatum

Litterae S. Congregationis
Pro Ecclesia Orientali
quibus laudatur praecedens opus auctoris
inscriptum:
Theophanes Nicaenus
Sermo in Sanctissimam Deiparam
(Lateranum, Nova series, An. 1, n. 1)

SACRA CONGREGAZIONE ORIENTALE

Prot. N. 2958/28

Roma, 12 Aprile 1935.

Rev.mo Padre,

Da vari giorni sono in possesso del Suo splendido libro su Teofane Niceno e il di lui « Sermo in Sanctissimam Deiparam ».

Ho detto « splendido libro », non solo per la veste esteriore, ma sopratutto per il contenuto così sublime e per la bella prefazione ove Ella, ancora una volta, rivela a chi legge quanto sia grande il Suo amore per le cose orientali e quale profonda conoscenza abbia delle medesime.

Mi rallegro con Lei anche per questa Sua opera; e mentre sono lieto di esprimerLe il piacere, ancora maggiore, di questo S. Dicastero, per averLa tra i suoi Consultori, Le porgo vivi ringraziamenti per il gradito omaggio.

Con sensi di profondo ossequio mi confermo della P. V. Rev.ma

devotissima per servirLa

✠ L. Card. Sincero, Vescovo di Palestrina, Segretario.
G. Cesarini, Assessore.

Rev.mo Padre MARTINO JUGIE
Consultore della S. C. Orientale
ROMA

PROEMIUM

Cum ex Constitutione Apostolica « Deus scientiarum Dominus » ordinationibusque ei annexis nova materia inscripta: Quaestiones theologicae ad Orientales maxime spectantes *inter Facultatis theologicae auxiliares disciplinas ad academicos gradus obtinendos necessarias introducta fuerit, quaestiones autem hujusmodi numero prope sint infinitae, patet hujus disciplinae professorem, cui academica statuta hebdomadalem horam per biennium ad summum concedunt, singulis tractandis omnino imparem esse. Debet ergo ille inter multas quasdam seligere praecipuas. Nec una via vel ratione omnes explicari possunt ac debent. Quarumdam enim historicam evolutionem apud Orientales dissidentes delineare satis erit. De aliis vero, quarum argumentum est valde implicatum ac diutinis agitatum fuit controversiis, meram tradere expositionem eorum omnium, quae adversus dogma fide tenendum per saeculorum decursum theologia acatholica congessit, periculo haud vacaret, nisi huic expositioni ampla ex fontibus*

Revelationis veritatis impugnatae demonstratio praemitteretur.

Inter has ultimas certo computandam esse aestimamus quaestionem de processione Spiritus Sancti, quae ad totum de Deo trino tractatum respectum habet atque per mille annos et ultra controversiis nondum plene sopitis ansam dedit. Hanc tum Romae, in Seminarii romani Athenaeo, tum Lugduni, coram Instituti catholici alumnis secundum praefatam rationem hoc ultimo anno investigavimus experientiaque edocti sumus ad convellenda polemistarum et theologorum dissidentium argumenta ac sophismata varia, quae Photii vestigiis inhaerentes contra catholicum dogma promere solent, nihil efficacius esse quam nuda ac sincera probationum ex fontibus Revelationis haustarum expositio, quibus catholica veritas innititur. Ad earum enim lumen erroris nebulae quasi sponte dissipantur.

Inde, in praesenti opere, nostri laboris summa huc praesertim spectavit, ut probationes hujusmodi quam clarissime proponeremus et explicaremus. Porro, praeter multas a theologis catholicis in deposito fidei jam olim perspectas et in lucem prolatas, quasdam novas nos invenisse putamus; quasdam vero alias nova ratione proponimus; et inde subivit consilium has praelectiones in lucem edendi. Nisi enim in materia per tot saecula adeo trita aliquid novi proferendi facultas exstitisset, silentium utique tenere consultius erat; quamvis operam supervacuam nihilque profuturam insumere haud esset censendus ille qui, etsi nihil novi producere haberet, in unam tamen dissertationem numeris omnibus absolutam

praesentique tum biblicae tum patristicae scientiae statui aequalem ea omnia congereret, quae ad propositam quaestionem pertinent et in diversis scriptis vel documentis dispersa adhuc reperiuntur, quandoquidem monographiam hujusmodi in litteratura theologica Catholicorum in vanum quaesivimus.

Nec nostrum praesens opus in quaestione immensa omnia dicenda dicit, sed tantum praecipua. Auditoribus enim ac studiosis Universitatum catholicarum speciatim dicatur, magistris haud pauca addenda relinquens. Putamus autem et his et illis illud profuturum; iis item qui in Seminariis theologiae dogmaticae praelectiones tradunt; quibus, secundum recentia Ecclesia monita, quasdam quaestiones ad Orientales spectantes summatim attingendi objectionesque dissidentium contra doctrinam catholicam perspicue solvendi officium incumbit; inter quas primum ponitur quaestio de processione Spiritus Sancti etiam a Filio.

Faxit Spiritus Sanctus, qui a Patre Filioque seu per Filium procedit estque amoris et unitatis Spiritus, ut haec dissertatio non solum ad illustrandam inter Catholicos ejus processionem conducat, verum etiam dissipandis inter dissidentes falsis praejudicatisque opinionibus necnon unioni inter omnes christianos instaurandae auxilietur ac faveat.

Scribebam Lugduni, die Pentecostes, anno 1936.

INTRODUCTIO

Inter quaestiones ad Orientales spectantes, illa certe inter praecipuas computanda est, quae est de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio tanquam ab uno principio, quandoquidem jam inde a saeculo IX, immo etiam antea, controversiis innumeris inter Graecos et Latinos materiam subministravit, atque nostris adhuc diebus tanquam gravissimum unionis cum Ecclesia catholica impedimentum a plerisque dissidentibus orientalibus habetur.

Porro ad elucidandam omni ex parte hanc quaestionem opportunum ducimus:

1° *Quam clarissime exponere doctrinam catholicam ex fide tenendam;*

2° *Argumenta vetera et nova afferre e fontibus Revelationis hausta, quibus haec doctrina fulcitur et illustratur;*

3° *Breviter texere historiam controversiarum, quae inde a saeculo V tum inter Orientales ipsos, tum inter Orientales et Occidentales exortae sunt circa quaestionem propositam* (1);

---

(1) Historiam controversiarum inter Graecos et Latinos per singula narravimus in tomis I et II nostri operis, cui titulus: *Theologia dogmatica christianorum orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium*, Parisiis, 1926-1933, ad quod lectorem remittimus. Hanc historiam hic paucis contrahemus, et quidem sub novo aspectu novoque ordine.

4° *Veram Graeco-Russorum hodiernorum positionem circa eamdem certo definire;*

5° *Quaedam demum addere de processione Spiritus Sancti apud alios dissidentes orientales, Nestorianos scilicet et Monophysitas.*

CAPUT PRIMUM

De doctrina catholica circa processionem Spiritus Sancti juxta Ecclesiae definitiones et theologorum catholicorum explanationes.

Praenotamina.

Doctrina catholica circa processionem Spiritus Sancti de fide tenenda ad haec tria reducitur:

1° Spiritus Sanctus procedit aeternaliter a Patre et Filio seu a Patre per Filium, id est a Patre simul et Filio suam essentiam suumque esse subsistens habet;

2° Spiritus Sanctus procedit a Patre simul et Filio seu a Patre per Filium tanquam ab uno principio et unica spiratione;

3° Haec processio non est generatio, ita ut Spiritus Sanctus nullatenus dici possit filius Patris, vel filius Filii vel filius utriusque.

Primum et secundum contra Graecos dissidentes definita sunt tum a concilio Lugdunensi II (1274) (1), tum a concilio

(1) « Fideli ac devota professione fatemur quod Spiritus Sanctus aeternaliter ex Patre et Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus sed unica spiratione procedit... Damnamus et reprobamus qui negare praesumpserint aeternaliter Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere: sive etiam temerario ausu asserere quod Spiritus

Florentino (1439) (1). Tertium tum ex symbolo *Quicumque* (2), tum ex universali ac ordinario Ecclesiae magisterio tenetur (3).

Unde praesens caput in tres articulos dividimus, scilicet:

1° De processione aeterna Spiritus Sancti a Patre et Filio seu a Patre per Filium;

2° De unico principio processionis Spiritus Sancti;

3° De formali ratione processionis Spiritus Sancti, quae non est generatio.

In hoc primo capite hoc tantum intendimus, ut Ecclesiae definitiones tum e terminorum explanatione, tum ex rationibus theologicis a theologis catholicis propositis, habito respectu ad doctrinam Graeco-Russorum, declaremus, non vero ut hujusmodi definitiones argumentis e sacra Scriptura vel traditione desumptis demonstremus. Hoc ultimum enim in sequentibus capitibus ample praestabimus.

Sanctus ex Patre et Filio tanquam ex duobus principiis, et non tanquam ex uno, procedat ». *Constitutio de processione Spiritus Sancti.* Denzinger-Bannwart, *Enchiridion symbolorum et definitionum*, n. 460.

(1) «Diffinimus, ut haec fidei veritas ab omnibus christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur quod Spiritus Sanctus e Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit; declarantes quod id quod sancti doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam (αἰτίαν), secundum Latinos vero principium (ἀρχήν) subsistentiae (τῆς ὑπάρξεως) Spiritus Sancti, sicut et Patrem ». *Decretum pro Graecis.* Denzinger, *op. cit.*, n. 691.

(2) « Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus nec creatus *nec genitus*, sed *procedens* ». Denzinger, n. 39. Cf. concilium Lateranense IV (1215): « Pater generans, *Filius nascens*, et Spiritus Sanctus procedens ».

(3) Patres omnes semper docuerunt processionem Spiritus Sancti non esse generationem, quamvis multi, praesertim inter Graecos, nullam rationem afferant qua discriminetur processio Spiritus Sancti a generatione Filii.

ART. I. — DE PROCESSIONE AETERNA SPIRITUS SANCTI A PATRE ET FILIO SEU A PATRE PER FILIUM.

I. — *De terminis latinis et graecis.*

Vox latina *processio* generatim sumpta significat productionem rei a suo principio. Haec productio est vel *transiens*, vel *immanens*, prout res producta extra principium procedit, aut intra ipsum manet. Apud theologos autem vox hujusmodi usurpatur ad significandas productiones immanentes quae intra essentiam divinam fiunt, quibus videlicet una persona divina ab alia vel ab aliis essentiam divinam et propriam subsistentiam accipit, ut sit persona ab aliis distincta.

Duae autem sunt divinae processiones, scilicet *generatio* Filii a Patre solo et *spiratio* Spiritus Sancti a Patre et Filio seu ab utroque. Porro vox latina *processio* indifferenter sumitur ad designandam tum generationem Filii tum spirationem Spiritus Sancti. Quandoque tamen vox *processio* strictiori sensu sumitur ad indicandam solam processionem Spiritus Sancti, ut in symbolo Athanasiano Spiritus Sanctus dicitur *non genitus, sed procedens.*

Apud Graecos item vox respondens *processioni* prout haec includit tum generationem Filii, tum spirationem Spiritus Sancti, est πρόοδος. Prout autem vox *processio* solam designat spirationem Spiritus Sancti, graece redditur per vocem ἐκπόρευσις, ex verbo ἐκπορεύεσθαι apud Joannem, c. XV, 26, usurpato (1); nec unquam Patres vel theologi graeci generationem Filii appellant ἐκπόρευσιν, sicut Latini dicunt *processionem* Flii a Patre. Ἐκπόρευσις enim de solo Spiritu Sancto dicitur, sicut et ipsum verbum ἐκπορεύεσθαι (2). Unde voces

(1) τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρά τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται.

(2) Unum tantum Patrem inter Graecos novimus qui verbum ἐκπορεύεσθαι adhibuerit ad indicandam processionem Filii a Patre, nempe Cyrillum Alexan-

graecae ἐκπόρευσις, ἐκπορεύεσθαι nonnisi ex parte respondent vocibus latinis *processio et procedere*, quatenus scilicet *processio* et *procedere* Spiritui Sancto soli quandoque apud Latinos reservantur.

Proprium autem nomen processionis Spiritus Sancti est *spiratio*, quam Graeci vocant προβολή (1). Pater, quatenus producit Spiritum Sanctum, non dicitur Πατήρ ; secus enim Spiritus Sanctus esset ejus filius; sed proprie dicitur Προβολεύς, id est spirator. Quaestio autem est inter Catholicos et Orientales dissidentes, praesertim Graeco-Russos, utrum Filius sit etiam una cum Patre προβολεὺς seu spirator Spiritus Sancti. Catholici affirmant; Orientales dissidentes, plerique saltem, negant.

Patet processiones divinas immanentes esse *ab aeterno*. Ideo autem loquimur de processione aeterna Spiritus Sancti, quia Graeci dissidentes in sua adversus Latinos catholicos polemica concertatione duplicem Spiritus Sancti distinxerunt processionem: aeternam unam, quae proprie appellatur ἐκπόρευσις seu προβολή, qua Spiritus Sanctus ut persona distincta suam existentiam seu suum esse habet a solo Patre, exclusa quavis participatione Filii; temporalem alteram, quae variis nominibus designatur, ut πρόοδος χρονική, πρόοδος μεταδο-

drinum, *In Joannem*, c. V, 26, 1. X. P. G., t. LXXIV, col. 420A: « Εἰ γὰρ οὐκ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ, ὁ Υἱὸς καθ' ὑμᾶς, πῶς οὐκ ἐν ἀμείνοσι νοοῖτ' ἂν Πνεῦμα παρὰ τὸν Υἱόν : Si secundum vos, ex Patre, id est ex ejus substantia, non *procedit* Filius, quomodo non intelligatur Spiritus Filio superior? » In hoc loco, ἐκπορεύεται generalem significationem verbi latini *procedere* praefert.

(1) Προβολή, ex προβάλλεσθαι, *productionem* potius quam *spirationem* ex se significat. Vox graeca voci latinae *spiratio* respondens est πνεῦσις, quae tamen rarissime a Graecis adhibetur. Πνεῦσις cum nomine Πνεῦμα optime congrueret. Nota Spiritum Sanctum haud raro a Graecis πρόβλημα vocari.

τική, πρόοδος κατ' ἐνέργειαν, πέμψις, ἀποστολή, μετάδοσις seu χορήγησις τοῦ Πνεύματος. et est ipsa missioSpiritus Sancti a Patre et Filio. Missio temporalis autem, secundum ipsos, nullatenus supponit processionem aeternam nec in ea fundatur.

II. — *De significatione utriusque formulae:* « *A Patre et Filio* » — « *A Patre per Filium* ».

Ut infra fuse ostendetur, Patres graeci plerumque utuntur formula: *Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedit:* ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται. Latini vero, praesertim inde ab Augustino, plerumque dicunt: *A Patre Filioque* (vel *ab utroque*) *procedit Spiritus Sanctus.* Haec formula in ipso textu symboli nicaeno-constantinopolitani occurrit, ex quo vocula *Filioque* huic addita est. Utramque formulam *eumdem sensum fundamentalem* prae se ferre perspicuum est. Si enim Spiritus a Patre per Filium procedit, ergo non a Patre solo procedit; ergo Filius a processione Spiritus Sancti alienus non est. Unde concilium Florentinum jure declaravit formulam *ex Patre per Filium procedere* « ad hanc intelligentiam tendere, ut per hoc significetur Filium quoque esse principium existentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem ». Exinde tamen non sequitur nullam esse differentiam rationis et respectus inter utrumque effatum. Adest sane, et quidem haud obscura nec spernenda, sed necessario aperienda; cui multi Latini haud satis attenderunt. Utraque enim formula commoda sua suosque defectus habet; neutra est perfecta, sed altera ab altera perficienda; quod nostram admirationem nullatenus movere debet. Undecumque enim impar est sermo noster ineffabili Trinitatis mysterio exprimendo.

Perscrutemur primum formulam Graecorum, quae conceptui communi eorum de Trinitatis mysterio congruenter aptatur. Graeci siquidem, ex sacra Scriptura suam theologiam directe haurientes, personas divinas separatim sumptas earumque mutuum ordinem imprimis seu *in recto* considerant; postea vero de essentiae unitate cogitant et Trinitatem ad unitatem reducere adlaborant. Unde primum vident Patrem, totius divinitatis fontem, a quo per generationem primus oritur Filius, secundus, per alium modum ineffabilem, Spiritus Sanctus, at mediante Filio, qui neque a Patre, neque ab Spiritu Sancto separari potest. Inde formula: *Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedit*: ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται. Porro hujus formulae convenientia exinde apparet:

1° Quod desumitur ex parte ordinis personarum ad invicem huncque ordinem luculente manifestat;

2° Quod clare indicat Patrem esse *auctorem* proprie dictum seu *principium originale* ac primordiale Spiritus Sancti, quatenus est principium sine principio et a nulla alia persona procedens. Sub hoc respectu, praepositio ἐκ (latine *ex*) convenienter adhibetur. Ex se enim significat primam originem, *primum terminum a quo* aliquid procedit seu oritur. Eadem jam invenitur in compositione verbi ἐκπορεύεσθαι, quod, ut mox diximus, graeci Patres communiter reservant ad significandam solam processionem Spiritus Sancti, prout distinguitur a processione Filii per generationem.

3° Quod etiam haud obscure innuit Filium ex se non habere *vim spirativam*, qua cum Patre spirat seu ab aeterno producit Spiritum Sanctum, sed illam a Patre in ipso generationis actu accipere; siquidem verum est vim spirativam, quamvis *pariter* et *aequaliter* sit tum Patre tum in Filio, non esse *eodem titulo eodemque modo* in Filio sicut in Patre.

In Patre enim est tamquam in illo originaliter existens et a nullo alio accepta; in Filio vero est tanquam a Patre per actum generationis accepta. Unde Filius non est *auctor* proprie dictus seu principium sine principio Spiritus Sancti, sed est principium a principio, principium medium, ita ut si quis accipiat definitionem principii, prout ab Aristotele datur: ἀρχὴ ἀρχὴν ἔχουσα οὐκ ἔστιν ἀρχή: *Principium habens principium non est principium,* principii nomen respectu Spiritus Sancti Filio denegare cogatur, quin neget participationem Filii ad productionem aeternam ejusdem Spiritus. Sub hoc respectu, praepositio διά convenientissime selecta est ad exprimendam hanc Filii participationem ad processionem Spiritus. Διά enim (sicut *per* Latinorum) ex se *directe* exprimit *mediationem,* principium medium, seu principium jam habens principium. Unde verâ differentiâ a praepositione ἐκ (*ex*) secernitur, et sicut ἐκ optime congruit Patri, utpote principio originali, ita διά optime convenit Filio, utpote principio ex principio? Ad hanc significationis differentiam inter utramque praepositionem alludit decretum unionis Florentinae, dum haec addit:

« Et quoniam omnia quae Patris sunt Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit praeter esse Patrem, *hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio ipse Filius* a Patre aeternaliter habet, a quo etiam aeternaliter genitus est » (2).

4°) Demum, quod subindicat Patrem et Filium unum tantum principium esse Spiritus Sancti; motum enim vitae divinae ad intra nobis repraesentat tanquam secundum lineam

(1) Ad hoc satis non attenderunt multi Latini in disputationibus cum Graecis, plus aequo insistentes in synonymia praepositionum ἐκ et διά, ubi agitur de divinis. Revera aliqua adest sensus differentia ac varietas inter διά et ἐκ Hoc Graecis concedendum est.

(2) Denzinger, op. cit., n. 691.

rectam cum duplici statione continenter sese explicantem, vel ad modum fluvii in suo decursu duplici influenti aucti (1).

Duplici tamen inconvenientia laborat formula ista. Primum quidem in mentem ingerere possit ipsum errorem Macedonii docentis Spiritum Sanctum nonnisi *mediate* a Patre originem ducere, utpote qui sit prima creatura Verbi (2); vel etiam innuere processionem Spiritus a Filio solo ut principio immediato, quasi Spiritus a Patre non procederet nisi *mediate*, quatenus scilicet Pater est principium Filii, solius principii proximi Spiritus, secundum effatum: *Causa causae est causa causati.*

Praeterea eadem errorem omnino oppositum subindicare etiam possit, quatenus primo adspectu ac sensu obvio significare videtur Patrem solum esse *principium activum* Spiritus, Filium autem in productione Spiritus nonnisi *instrumenti passivi* partes gerere, vel canalis inertis, per quem transit actio Patris Spiritum producentis seu spirantis (3).

Ad Latinorum autem formulam quod attinet, ipsa etiam et sua commoda et suos defectus habet.

Ejus convenientia in eo sita est quod probe ostendit Filium non esse Patre inferiorem in actu spirationis, quo producitur Spiritus Sanctus; Spiritum Sanctum non magis ab uno quam ab altero procedere, non propius a Filio quam a Patre, sed ab utroque immediate *simul, pariter, aequaliter, similiter.* Desumitur enim haec formula non ex parte *principii quod*, seu personarum, ut formula graeca, sed ex parte *principii quo* seu

(1) Plures Patres graeci, ad inculcandum Trinitatis mysterium, comparatione utuntur *fontis, fluvii* et *maris*, vel *fontis, fluvii et aquae*, ut infra dicetur.

(2) Ipsum Macedonii errorem in formula graeca subodoratur *Librorum Carolinorum auctor*. Cf. P. L., t. XCVIII, col. 1117-1119.

(3) Ut videbimus infra, quidam theologi dissidentes verba « διὰ τοῦ Υἱοῦ » in hunc sensum interpretati sunt.

virtutis spirativae, quae Patri et Filio omnino communis est, nec minor seu remissior in Filio quam in Patre, quamvis non *eodem titulo* atque Pater Filius illam habeat. Bene autem respondet speculationi trinitariae Latinorum, inde praesertim ab Augustino, qui naturam divinam, prout in se est, primum considerant atque scrutantur, ut in ea detegant rationem trinitatis personarum ex analogia desumpta ab operationibus immanentibus naturarum intellectualium.

Ab omni tamen incommodo haud immunis est. Sensu enim obvio significare videtur Patrem et Filium esse duo principia distincta et ab invicem independentia Spritus Sancti, quod erroneum est. Pater enim et Filius sunt unum et idem principium Spiritus Sancti; virtus autem spirativa, prout consideratur in Filio, a Patre provenit, qui illam Filio communicat in ipso actu generationis. In hunc autem sensum haereticum Graeci dissidentes formulam latinam semper verterunt, aut intelligere affectarunt. Inde lites interminabiles.

In hoc item deficit hujusmodi formula, quod ab ordine personarum in Trinitate omnino abstrahit, nec ex se ostendit mediationem Filii in productione Spiritus Sancti, quatenus scilicet Filius hoc a Patre habet, ut sit cum eo unus spirator.

Adest ergo differentia rationis seu respectus inter utramque formulam. Graeca manifestat ordinem personarum; latina exprimit aequalitatem et simultaneitatem spirationis in Patre et Filio. Unde altera ab altera perficienda est; prior quidem in hunc modum: *Spiritus a Patre per Filium procedit,* sed ita *per Filium, ut tam proxime a Patre quam a Filio, et non magis a Patre quam a Filio, sed ab utroque pariter et aequaliter;* altera vero ita: *Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit, sed tanquam ab uno principio; sed a Patre principaliter seu originaliter, a Filio autem ex influxu Patris seu ex virtute a Patre accepta.*

Graeci respectum Latinorum aegre perspexerunt. Verba: *ab utroque aequaliter ac pariter procedit* illis dure sonabant, quod putabant Patris monarchiam negari ac tolli. Latini vicissim ad rationem Graecorum capiendam tardiores visi sunt. Primi omnium Unionistae Byzantini, inde a saeculo XII, respectum Graecorum luculente aperuerunt.

Omnibus accurate perpensis, formula Graecorum praeponenda videtur, quatenus et principii unitatem subindicat, et ordinem personarum in luce ponit, et Patris monarchiam directe exprimit.

III. — *Formula latina a sancto Augustino perfecta et explicata.*

Quod mox diximus de formula Latinorum aliqua explicatione corrigenda ac perficienda, praeclare effecit sanctus Augustinus, qui Graecorum opera de Trinitate certo legerat, quamvis illorum formulam nunquam usurpaverit. Bene enim perspexit effatum: *Spiritus a Patre Filioque procedit* quadam ambiguitate laborare. Unde illud in hunc modum explicavit:

« In hac Trinitate non dicitur Verbum Dei nisi Filius, nec donum Dei nisi Spiritus Sanctus; nec de quo genitum est Verbum et de quo *principaliter procedit Spiritus Sanctus* nisi Deus Pater. Ideo autem addidi *principaliter*, quia et de Filio Spiritus Sanctus procedere reperitur, *sed hoc quoque Pater illi dedit...* Sic enim eum genuit, ut etiam de illo Donum commune procederet et Spiritus Sanctus spiritus esset amborum » (1).

Item in alio loco:

(1) *De Trinitate*, XV, 17. P. L., t. XLII, col. 1081.

« Cum Filius de Spiritu loqueretur ait: *De Patre procedit*, quoniam Pater processionis ejus est auctor, qui talem Filium genuit et gignendo ei dedit, ut etiam de ipso procederet » (1).

Praeterea Augustinus diserte asserit Patrem et Filium non esse duo principia Spiritus Sancti, ut formula latina innuere videtur, sed unum tantum principium, ita ut Pater et Filius, in ipso actu spirationis Spiritus Sancti, ab invicem non amplius distinguantur, sed sint unus Deus producens tertiam personam:

« Sicut, inquit, Pater et Filius unus Deus, et ad creaturam relative unus creator et unus Dominus, sic *relative ad Spiritum Sanctum unum principium* » (1).

Utinam Graeci, et quandoque etiam ipsi Latini ad hanc lucidam explicationem animum attendissent! His enim verbis Augustinus utrumque respectum, Latinorum nempe et Graecorum, optimo modo conciliat omnemque dissipat obscuritatem, quae ex utraque formula enasci possit.

IV. — *De propria significatione verbi* ἐκπορεύεσθαι *apud Graecos. De eodem verbo in textu graeco decreti unionis Florentinae.*

Ut jam diximus, verbum graecum ἐκπορεύεται apud Graecos solam significat processionem Spiritus Sancti passive acceptam, ita ut synonymum sit verbi latini *spirari*: *Spiritus Sanctus a Patre per Filium* ἐκπορεύεται , id est *Spiritus Sanctus a Patre per Filium spiratur.*

(1) *Contra Maximinum.* P. L., t. XLII, col. 770.

(2) *De Trinitate,* V, 14. P. L., t. XLII, col. 920. Cf. *Enarrat. in psalmum* CIX, 13. P. L, t. XXXVII, col. 1457.

Notandum est praeterea idem verbum, apud eosdem Graecos, non usurpari, *relate ad Filium*, nisi cum praepositione διά, *et relate ad Patrem* nisi cum praepositione ἐκ vel cum praepositione παρά. Nunquam dicunt Graeci: ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ Υἱοῦ, vel: ἐκπορεύεται ἐκ Πατρὸς κἀκ Υἱοῦ, aut: ἐκ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, sed semper: ἐκπορεύεται ἐκ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ. Unde *Photius*, in sua *Mystagogia Spiritus Sancti*, Latinos arroganter provocat his verbis: « Quis sanctorum et gloriosorum nostrorum Patrum dixit Spiritum τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι?... Neque divinis sacrarum Scripturarum, neque humanis sanctorum Patrum eloquiis ad verbum (κατὰ λέξιν) unquam enuntiatum fuit τὸ Πνεῦμα ἐκπορεύεσθαι τοῦ Υἱοῦ. ' » (1). Huic usui steterunt graeci Patres, ut nobis videtur, propter duplicem rationem: Primum quidem verbum ipsum in Evangelio (Joa. XV, 26) positum retinere voluerunt (ὃ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται); nullibi vero in Scriptura legitur: ὃ παρὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται. Secundo, cum verbum ἐκπορεύεσθαι in sua compositione exhibeat praepositionem ἐκ, quae, uti diximus, ex se significat primam originem seu primum terminum a quo, hujusmodi verbum convenienter usurpatur ad significandam relationem Patris ad Spiritum Sanctum, quatenus Pater est originalis ac primordialis fons Spiritus Sancti. Praepositio autem ἐκ nonnisi *improprie* Filii nomini praeponitur, quia Filius non est fons primordialis, sed fons a Patre derivatus, et una cum eo unum existens principium Spiritus Sancti. Unde formula: *Spiritus* ἐκ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ ἐκπορεύεται auribus Graecorum non bene sonat propter praepositionem ἐκ, quae in compositionem verbi ἐκπορεύεσθαι venit. Libentius tolerarent alia verba eumdem fundamentalem sensum praeferentia, sed praepositionem ἐκ non habentia,

(1) *De Spiritus Sancti mystagogia*, 5, 91. P. G., t. CII, col. 284, 385.

ut: *Spiritus Sanctus* ἐκ τοῦ Υἱοῦ πρόεισι, προέρχεται, πηγάζει vel: *Spiritus Sanctus* ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ πρόεισι, quamvis inde a saeculis VII et VIII. illis non placeat praepositio ἐκ nomini Filii praefixa propter rationem supra dictam.

Porro Florentini Patres, in decreto unionis graece conscribendo, ad hujusmodi verborum et vocum subtiles differentias non attenderunt, sed dixerunt: « Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐξ ἀμφοτέρων ἀϊδίως ὡς ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς καὶ μοναδικῆς προβολῆς ἐκπορεύεται ». Item, paulo infra haec verba subjecerunt. « Τοῦτ' αὐτό, ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται, αὐτὸς ὁ Υἱὸς παρὰ τοῦ Πατρὸς ἀϊδίως ἔχει. ». Patet autem in hac definitione verbum ἐκπορεύεται suam amittere specialem significationem, quam multi Graeci illi praefixerunt, qua scilicet Spiritus Sanctus refertur ad Patrem tanquam ad suum principium primordiale, et induere communem sensum verbi latini *procedere, id est originem ducere, suum esse, suam existentiam habere,* ut clare explicat decretum. Caeterum definitio, ut jacet, non respicit ordinem personarum ad invicem, ut formula Graecorum: *A Patre per Filium procedit,* sed concipitur *sub respectu latino,* id est directe respicit *unicum principium Spiritus Sancti, principium quo seu unicam vim spirativam.* Atqui sub hoc respectu, ut vidimus, nulla est differentia inter Patrem et Filium relate ad productionem Spiritus Sancti, cum vis spirativa sit una et eadem in utroque, nec illa subtilis differentia sensus inter ἐκ et διά amplius locum habet. Caeterum Patres expresse declarant Filium non a se, sed a Patre habere vim spirativam; quod sufficit ad ostendendam differentiam inter Patrem et Filium quoad productionem Spiritus. Voluerunt autem ponere Spiritum Sanctum etiam ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι id est *suum esse etiam ex Filio habere,* ad tollendam omnem aequi-

vocationem et ambiguitatem, quae remansisset, si hoc non dixissent, propter multiplices illas ac pariter falsas illius διὰ τοῦ Υἱοῦ interpretationes a polemistis photianis saeculorum decursu adinventas, de quibus infra sermo erit.

Specialis significatio verbo ἐκπορεύεσθαι a Graecis tributa Latinos generatim latuit. Unde capere non poterant quare Graeci tam pertinaciter profiteri renuerent Spiritum Sanctum etiam a Filio ἐκπορεύεσθαι seu *procedere* (1).

V. — *Prima ratio theologica ostendens Spiritum Sanctum a Patre et Filio seu per Filium procedere.*

Si Spiritus Sanctus non procederet etiam a Filio seu per Filium, neque Pater esset *perfecte pater,* neque Filius *perfecte Filius.* De perfectione enim paternitatis est ut pater generet filium omnino sibi similem, cum motus generationis ad hoc tendat, ut generato communicet integram naturam generantis cum omnibus ejus perfectionibus. Item, de perfectione filiationis est, ut filius sit suo patri perfecte similis, omnes ejus naturales perfectiones habens.

Atqui inter perfectiones naturales Patris invenitur *vis spirativa* seu facultas producendi Spiritum Sanctum, ut patet ex verbis Christi: *Spiritus Paraclitus, qui a Patre procedit* (Joa. XV, 26).

Ergo Pater, gignendo Filium, illi communicat essentiam divinam, prout haec essentia est in ipso, id est virtute spira-

(1) S. Thomas, *Summa theologica,* I p., q. XXXV, a. II, haec habet: « Unde etiam ipsi Graeci processionem Spiritus Sancti aliquem ordinem habere ad Filium intelligunt. Concedunt enim Spiritum Sanctum esse Spiritum Filii et esse a Patre per Filium; et quidam eorum dicuntur concedere quod sit a Filio vel profluat ab eo, non *tamen quod procedat;* quod videtur vel ex ignorantia vel ex protervia esse ».

tiva seu facultate producendi Spiritum Sanctum donatam; secus enim non esset perfecte seu perfectus pater, nec Filius esset perfecte seu perfectus filius, quod repugnat.

Haec ratio est omnino firma et irrefutabilis, quam Graeci dissidentes effugere non possunt nisi utendo sophismate sequenti:

Vis spirativa seu προβολή est proprietas hypostatica Patris.

Atqui proprietas hypostatica est alteri personae omnino incommunicabilis.

Ergo Pater per generationem Filio illam non communicat.

Major hujus argumenti ambigua est, et in sensu dissidentium intenta omnino falsa. Verum quidem est vim spirativam esse *sub aliquo respectu* proprietatem hypostaticam Patris, id est quatenus Pater est etiam *spirator;* sed falsum est eamdem virtutem esse proprietatem Patris, *qua ille Pater est.* Si enim virtus spirativa esset proprietas hypostatica Patris, qua Pater est, sequeretur Spiritum Sanctum procedere a Patre per generationem et esse ejus filium; quod est contra fidem.

Minor sic distinguenda est: Proprietas hypostatica est alteri personae incommunicabilis, si agatur de proprietate hypostatica *proprie dicta,* id est de proprietate *constituente positive unam ex personis divinis;* concedo; est alteri incommunicabilis, si non constituat positive unam personam ut sic; nego. Atqui vis spirativa non constituit personam Patris ut sic. Pater enim constituitur Pater per solam generationem Filii, non per spirationem Spiritus Sancti; siquidem per hanc constituitur formaliter *spirator,* προβολεύς. Unde vi generationis Filii seu qua pater est, Filio suo virtutem spirativam communicare non solum potest, sed et debet, ut sit perfecte pater.

Ergo Filius est etiam spirator Spiritus Sancti. Inde sequitur virtutem spirativam Patri et Filio esse communem, non

esse proprietatem hypostaticam proprie dictam seu constituentem per se unam e personis divinis, sed esse simul et proprietatem personalem, duabus personis communem, et *proprietatem naturalem*, quatenus haec a natura divina est non prout tribus communis est, sed prout simul et indivise habetur a Patre et Filio. Est, ut dicunt theologi, proprietas *notionalis Est proprietas Dei ut spirator est.* Unde non est in Spiritu Sancto, *quia Spiritus Sanctus est Deus ut spiratus.*

Nota Ecclesiae Patres nunquam dixisse virtutem spirativam seu προβολὴν esse proprietatem hypostaticam Patris, sed dicunt Patrem habere duas proprietates hypostaticas, *innascibilitatem* nempe et *paternitatem*, τὴν ἀγεννησίαν καὶ τὴν πατρότητα.

Porro innascibilitas est proprietas mere negativa, non constituens aliquam personam ab aliis distinctam. Aliunde Ecclesiae Patres solemne habent dicere Filium omnia Patris habere praeter paternitatem, quemadmodum Christus ipse dixit: *Omnia quaecumque habet Pater mea sunt* (Joa XVI, 26).

VI. — *Secunda ratio theologica de eodem argumento*

Secunda ratio demonstrans Spiritum Sanctum non solum a Patre, verum etiam a Filio procedere, sic breviter proponi potest:

In Deo nulla datur distinctio realis nisi per oppositionem ex aliqua relatione originis enascentem, id est per oppositionem quae existit inter eum qui communicat essentiam divinam et eum qui ab ipso illam accipit, seu per oppositionem quae accipitur secundum principium et secundum quod est a principio.

Atqui inter Filium et Spiritum Sanctum secundum doctrinam fidei intercedit distinctio realis.

Ergo inter utrumque existit oppositio fundata super relationem originis, id est unus procedit ab altero.

Atqui Filius non procedit a Spiritu Sancto, ut constat tum ex eo quod nominatur secundus post Patrem, tum quod mittit Spiritum Sanctum, tum quod Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filii.

Ergo Spiritus Sanctus procedit etiam a Filio. Ergo si Spiritus Sanctus a Filio non procederet, non distingueretur realiter ab ipso, sed esset unum quid cum eo, et non distingueretur ab eo nisi ratione seu virtualiter, sicut inter se distinguuntur diversa attributa divina.

In hoc argumento major sola facessit difficultatem. Haec saepe exprimitur apud theologos sequenti effato, quod primus omnium posuit sanctus Anselmus: *In divinis omnia unum sunt, ubi non obviat relationis oppositio* (1). Notandum est tamen Anselmum non dixisse expresse: *ubi non obviat relationis* ORIGINIS *oppositio,* sed simpliciter: *ubi non obviat* RELATIONIS *oppositio;* immo vero dubitandi manet locus utrum sanctus doctor loquatur de *hac vera relationis originis oppositione* quae existit inter personam communicantem essentiam divinam et personam ab ea procedentem, an de *hac oppositione improprie dicta,* quae est inter duas relationes dispares seu, ut dicunt, *disparatas* (2).

(1) *De processione Spiritus Sancti,* 2. P. L., t. CLVIII, col. 288C.

(2) Tota argumentatio sancti Doctoris in hoc tractatu ad hoc tendit, ut ostendat pluralitatem in divinis oriri solummodo ex relatione opposita originis. Attamen quaedam habet, quae primo aspectu sententiae Scoti favere videntur. Dicit enim, cap. IV, col. 292-293: « Habent utique a Patre esse Filius et Spiritus Sanctus, *sed diverso modo;* quia alter nascendo, alter procedendo, ut alii sint per hoc ab invicem, ut dictum est... Et ideo non habet hic unitas illam vim consequentiae, quia pluralitas obviat, quae ex nativitate nascitur et processione. *Nam et si per aliud non essent plures Filius et Spiritus Sanctus, per hoc solum essent diversi* ». Et, cap. XXI, col. 321 D: « *Patet ergo praeter hoc quia*

Idem effatum, *iisdem terminis conceptum*, occurrit in decreto Florentino *pro Jacobitis* (1); at vero ibi non directe cadit sub definitione, sed datur per modum explicationis.

Unde major non potest haberi ut dogma fidei. De facto, Scotus ejusque schola, quamvis axioma Anselmianum, prout ab Anselmo prolatum est, accipiant: In *divinis omnia unum sunt, ubi non obviat relationis oppositio*, non admittunt ad personarum divinarum realem distinctionem *necessario requiri* eam oppositionem originis quae existit inter personam-principium et personam ab ea procedentem, sed tenent ad hanc distinctionem sufficere eam oppositionem improprie dictam, quae intercedit inter *diversum modum procedendi*, seu inter duas relationes *disparatas*.

Scotistis respondent alii theologi cum sancto Thoma (2): Generatio activa et spiratio activa, quarum unâ Pater refertur ad Filium , et alterâ idem Pater refertur ad Spiritum Sanctum,

---

Filius existit nascendo, et Spiritus Sanctus procedendo, hac quoque causa, quia scilicet Spiritus Sanctus est de Filio, eos de invicem non posse dici ». Alii aliter mentem sancti Doctoris explanarunt. S. Thomas dicit illum tanquam ex sententia Graecorum haec proferre; quod cum contextu difficile congruit. Quidquid sit, unum certum est, scilicet Anselmum non explicare quomodo Filius et Spiritus Sanctus inter se realiter distinguerentur, si nullo originis nexu inter se conjungerentur.

(1) DENZINGER, *op. cit.*, n. 703.

(2) *Summa theologica*, I p., q. XXXVI, a. II: « Relationes personas distinguere non possunt, nisi secundam quod sunt oppositae. Quod ex hoc patet, quia Pater habet duas relationes, quarum unâ refertur ad Filium, et aliâ ad Spiritum Sanctum: quae tamen, quia non sunt oppositae, non constituunt duas personas, sed ad unam tantum Patris personam pertinent. Si autem in Filio et Spiritu Sancto non esset invenire nisi duas relationes, quibus uterque refertur ad Patrem, illae relationes non essent ad invicem oppositae, sicut neque duae relationes quibus Pater refertur ad illos. Unde sicut persona Patris est una, ita sequeretur quod persona Filii et Spiritus Sancti esset una. Hoc autem est haereticum, cum tollat fidem Trinitatis. Oportet ergo quod Filius et Spiritus Sanctus ad invicem ferantur oppositis relationibus ».

non realiter distinguuntur inter se nec constituunt duas personas distinctas, quamvis sint duo modi producendi *formaliter* ab invicem distincti, seu duae relationes disparatae, quia inter eas non occurrit vera oppositio ex origine enascens. Ergo neque generatio passiva, qua Filius refertur ad Patrem, neque spiratio passiva, qua Spiritus Sanctus refertur ad eumdem Patrem, ab invicem realiter distinguuntur, quia sibi invicem non opponuntur, ita ut si Spiritus Sanctus non habeat suum esse a Filio, id est ab eo non procedat ab aeterno, non realiter distinguatur ab ipso.

Caeterum quod personae divinae ab invicem distinguantur solis relationibus, hoc omnes admittunt, quia quidquid in divinis absolute dicitur ad unitatem essentiae pertinet et est tribus personis commune. Item, quod in Deo dentur tantum relationes originis, non vero relationes alterius speciei, omnes facile concedunt post sanctum Thomam(1). Solum quaestio est utrum *relatio originis disparata* sufficiat ad fundandam distinctionem realem inter personas divinas.

Ante Scotum ejusque discipulos, Graeci dissidentes docuerant Spiritum Sanctum a Filio sufficienter distingui per *diversum modum processionis a Patre*, et hanc positionem adhuc retinent. Nota tamen Scotistas a dissidentibus in hoc

(1) *Op. cit.*, I q. XXVIII, a. IV: « Secundum Philosophum (*Metaphy.*, l. V), relatio omnis fundatur vel supra quantitatem, ut duplum et dimidium, vel supra actionem et passionem, ut faciens et factum, pater et filius, dominus et servus, et hujusmodi. Cum autem quantitas non sit in Deo — est enim sine quantitate magnus, ut dicit Augustinus (*De Trinitate*, I, 1) — relinquitur quod realis relatio in Deo esse non possit nisi super actionem fundata: non autem super actionem secundum quam procedit aliquid extrinsecum a Deo, quia relationes Dei ad creaturas non sunt realiter in ipso. Unde relinquitur quod relationes reales in Deo non possunt accipi nisi secundum actiones secundum quas est processio in Deo non ad extra, sed ad intra ».

differre, quod revera tenent cum omnibus Catholicis Spiritum Sanctum a Filio procedere, ita ut, secundum ipsos, duplici ratione Spiritus a Filio distinguatur: et quod procedat ab ipso, et quod a Patre procedat modo diverso atque Filius (1).

Nostro judicio, ratio sancti Thomae omnino firma ac valida videtur. Attamen ejus usus parum utilis erit in disputationibus cum dissidentibus, quandoquidem inter nostros hi adjutores inveniunt ad illam repellendam. Caeterum oblivioni mandare non debemus rationis humanae infirmitatem, ubi agitur de occultissimo Trinitatis mysterio.

VII. — *Tertia ratio de eodem argumento.*

Tertia ratio theologica a sancto Thoma aliisque theologis catholicis communiter proposita ad ostendendum Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere sic enuntiari potest:

Spiritus Sanctus procedit per modum volitionis seu amoris.

Atqui amor in homine ad imaginem Dei creato nascitur mediante cognitione seu verbo mentali. Nihil enim volitum quin praecognitum.

(1) Rationes Scoti non videntur omnino futiles. Dicit, v. g., quod si Pater non spiraret, sed solus Filius, tamen Spiritus Sanctus distingueretur a Patre. Iam enim constitutus est pater per generationem activam. Ergo a pari, si Pater solus spiraret, Filius, qui jam constitutus est ut talis per filiationem, distingueretur semper a Spiritu Sancto. Respondet C. Pesch, *De Deo uno et trino,* ed. 5, p. 352: « Neganda est paritas, quia in ista suppositione Spiritus Sanctus *mediate* procederet a Patre; quod sufficeret nobis ad concipiendam distinctionem; in altera vero hypothesi nullo modo procederet a Filio ». Responsio non est adeo clara, nec persuasionem inducit. Generatio enim activa et spiratio passiva sunt relationes disparatae, quae re non distinguuntur, secundum positionem adversariorum Scoti.

Ergo in Deo Spiritus Sanctus procedit a Patre mediante Verbo ejus, id est Filio, qui est terminus actus quo Pater seipsum cognoscit.

Haec ratio est omnium infirmissima. Nec enim major ab omnibus theologis catholicis admittitur ut certa, quamvis a plerisque ut talis habeatur; nec, admissa majore, et etiam minore, conclusio necessario consequitur. Possit enim quis ex hoc argumento solummodo deducere Spiritum Sanctum naturâ posteriorem esse Filio, generationem autem Filii esse quasi *conditionem sine qua non processionis Spiritus Sancti*: quod posuerunt recenter quidam theologi russi, ut infra dicetur.

Ad majorem quod attinet, notum est eam esse partem illius explicationis phychologicae Trinitatis, quam omnium primus adinvenit ac varie proposuit Augustinus, postea vero sanctus Thomas expolivit. De ea fuse disserunt theologi catholici in tractatu de Deo trino. Certum est hanc explicationem, praesertim quantum ad generationem Filii, haud dubia habere fundamenta in sacris Scripturis et ex parte etiam in traditione patristica. Unde plerique theologi illam habent ut *theologice certam*, saltem si ad hanc propositionem generalem restringatur: *Filius procedit per modum intellectus; Spiritus Sanctus procedit per modum voluntatis seu amoris.* Quidam tamen, post Durandum, contradicunt. Alii eam proponunt ut sententiam probabiliorem; alii, ut meram analogiam fundamento proprie dogmatico carentem, ut de Régnon, eo quod Patres graeci illam ignorent, et etiam Latini usque ad Augustinum (1). Si vero sumatur cum tota ejus systematica expositione, prout a sancto Thoma et ab aliis evolvitur, merae speculationis

(1) Cf. P. Galtier, *De SS. Trinitate in se et in nobis*, Parisiis, 1933, p. 163-164; A. Michel, art. *Processions divines*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. III, col. 655-659.

philosophico-theologicae campum certe haud praetergreditur, nec aliqua nota theologica decoranda videtur, quamquam perpulchra est et ad nobis suggerendam aliquamlibet mysterii vitae divinae intelligentiam aptissima.

VIII. — *Quid Graeco-Russi senserint de explicatione augustiniana et thomistica divinarum processionum.*

Cum graeci Patres augustinianam explicationem processionum divinarum ignoraverint, saltem ad processionem Spiritus Sancti quod attinet, mirum non est illam apud antiquiores Byzantinos non occurrere. Occasione autem controversiarum, quae inter Graecos et Latinos circa finem saeculi XIII de processione Spiritus Sancti habitae sunt, theologis dissidentibus, ut videtur, primum innotuit (1). Eo etiam tempore, opus sancti Augustini de *Trinitate* a monacho Maximo Planude, qui aliquamdiu inter unionistas claruit, graece redditum est. Porro theologorum photianorum erga hanc theoriam non una fuit positio. Cum enim Latini ad processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio stabiliendam ea uti solerent, plerique illam ut vanum commentum philosophicum omni vi theologica vacuum rejecerunt totisque viribus ostendere conati sunt eam in apertas contradictiones exire. Alii, e contra, hoc latinum adinventum libenter exceperunt; quod suo modo explanarunt, conclusionem quam Latini pro *Filioque* inde sumunt, respuentes; quin etiam theoriam in commodum sui dogmatis de processione Spiritus Sancti a Patre solo convertentes. Geor-

(1) Cf. Mathaeum ab Aquasparta, *Tractatus de aeterna Spiritus Sancti processione ex Patre Filioque,* Quaracchi, 1895, p. 32. In hoc opusculo contra errorem Graecorum composito, auctor, anno 1302 Romae mortuus, explicationem augustinianam Trinitatis expresse memorat.

gius Scholarius autem utramque positionem vicissim tenuit, aliquando quidem theoriam satis dure carpens, in pluribus vero scriptis, immo in ipsa sua *Confessione fidei* sine ulla exceptione illam amplectens.

Inter Byzantinos qui theoriae augustinianae ac thomisticae censuram egerunt, primum invenimus Barlaamum Calabrum, dum adhuc Photianus erat, in quodam opusculo nondum edito circa processionem Spiritus Sancti, quod inscribi- Λέγατος ἢ περὶ Πνεύματος (1). Scriptum est autem occasione legationis Francisci Camerinensis, Bosphori archiepiscopi, et Richardi, episcopi Chersonesi, quos Joannes papa XXIII, anno 1333, Constantinopolim miserat ad unionem Ecclesiarum promovendam. Opusculum dialogi formam praefert inter Latinum et Graecum. In fine, Latino dicenti Filium generari per modum intellectionis et Spiritum Sanctum procedere per modum charitatis et volitionis (2) Graecus in hunc modum respondet:

« Hujus rationis adinventorem, sive tu sis, sive Thomas aut quilibet alius, miratione dignum virum existimo; verum, haec parvum mihi facessit negotium, quod tu omnium optime mihi solves... Adesdum, per Trinitatem ipsam, doce me quamnam ob causam, Filio et Spiritu Sancto eadem quae Pater simul et pariter intelligentibus ac volentibus, ex Patris quidem intellectione et volitione producantur duae personae; ex horum vero utriusque intellectione ac volitione non proveniant utrinque duae personae; aut quare, existente eadem intellectione Spiritus Sancti, quae et Patris, Filius non dicatur

(1) Asservatur in pluribus codicibus. *E cod. Paris.* 1291, fol. 204-211, anno 1447 a Syropulo exscripto, quaedam excerpta proferimus.

(2) « Ὁ μέν Υἱὸς γεννᾶται τρόπῳ ἐννοίας, τὸ δὲ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται ἀγάπης τρόπῳ καὶ θελήσεως ». *Cod. cit.*, fol. 207r.

generari per modum intellectionis etiam Spiritus Sancti; aut, quandoquidem sicut Pater cognoscit Filium, ita et Filius Patrem, quare intelligere quidem de ipsis reciprocetur, generare autem non reciprocetur, quamvis idem sit ac generare.

« Et adhuc: Eadem exstante Patris et Spiritus Sancti volitione, quae Patris et Filii, quare ex communi quidem Patris et Filii volitione Spiritum procedere dicitis, ex seipso autem procedere Spiritum non dicitis?

« Quod autem in tricas me magis conjicit: Quandoquidem unus in Trinitate Deus eadem vult ac intelligit quae proprie et simul et eodem modo una singillatim persona, quare etiam ex hac non producuntur duae aliae personae ejusdem naturae ejusdemque substantiae? Haec a tua sapientia discere volo, ut ab ipsa sapiens factus, aliis Graecis persuadeam vera esse quae circa fidem vos innovastis » (1).

---

(1) *Ibid.*, fol. 207 v-208: « Δεῦρο δή, πρὸς τῆς Τριάδος αὐτῆς, δίδαξον κἀμὲ διὰ ποίαν αἰτίαν, τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος νοούντων τε καὶ θελόντων τὰ αὐτὰ ἅπερ καὶ ὁ Πατήρ, καὶ ἅμα, καὶ ὡσαύτως, ἐκ μὲν τῆς νοήσεως καὶ τῆς θελήσεως τοῦ Πατρὸς ἀναφύονται δύο πρόσωπα, ἐκ δὲ τῆς νοήσεως καὶ τῆς θελήσεως ἑκατέρου τούτων οὐ προέρχονται ἀνὰ δύο· ἢ διατί, τῆς αὐτῆς οὔσης ἐννοίας τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἥτις καὶ τοῦ Πατρός, οὐ λέγεται ὁ Υἱὸς γεννᾶσθαι τρόπῳ ἐννοίας καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος.. Ὃ δὲ ἔτι μᾶλλον ἀπορῶ, ἐπεὶ ὁ εἷς ἐν τῇ Τριάδι Θεὸς τά αὐτὰ θέλει καὶ νοεῖ ἅπερ ἰδίως λέγομεν τὸ ἓν πρόσωτον, καὶ ἅμα, καὶ ὡσαύτως διατί οὐκ ἀναφύονται καὶ ἐκ τούτου ἕτερα δύο πρώσωπα ὁμοφυῆ τε και ὁμοούσια; Ταῦτα ἐγῶ ὑπὸ τῆς σῆς σοφίας μαθεῖν ἀξιῶ, ἵνα σοφὸς παρ' αὐτῆς γενόμενος, τοὺς ἄλλους Γραικοὺς καταπείσω, ὡς ἀληθῆ τυγχάνει ὄντα ἃ μερὶ τὴν πίστιν ὑπῖν κεκαῖνοτόμηται ». Demetrius Cydones, adhuc dubius haerens circa doctrinam catholicam, easdem fere difficultates ac Barlaamus in theoria augustianana de Spiritu Sancto amore mutuo et nexu Patris et Filii invenit, quas candide exponit in *Epistola ad Barlaamum*, P. G., t. CLI, col. 1287-1288. Eamdem difficultatem movet Durandus, qui, ut notum est, docet processiones divinas prescindere a distinctione intellectus et voluntatis, easque habere ut principium formale proximum naturam divinam ipsam, quatenus est principium foecunditatis in omnibus entibus: « Intelligere et velle, inquit, non sunt productiones personarum nec principia productionum, sed exclusis a Deo per intellectum intellectu et voluntate cum omnibus actibus suis, adhuc esset in divi-

Respondet Latinus se paratum esse ad reddendam rationem de omnibus istis; verum hoc non praestat in dialogo et ad litem solvendam ad magisterium papae provocat.

Alii hujus speculationis adversarii eamdem fere quam Barlaamus, sed non ita pacifice urgent difficultatem duriusque carpunt sanctum Thomam et nostros Scholasticos. Ita Macarius Ancyranus (saec. XV) in suo *Tractatu contra Latinos* (1), Josephus Bryennius († circa 1435) (2); in periodo vero moderna, Meletius Pigas († 1601), in sua *Doctrina orthodoxa* (3), Georgius Coressius († 1641) in suo *Enchiridio de processione Spiritus Sancti* (4), Methodius III, patriarcha Constantinopolitanus (1668-1671) in *Responsis ad Russos* (5). Inter theologos russos in theoriam thomisticam potissimum invehitur Theo*phanes Procopovitch* († 1736, qui in suo *Tractatu de processione Spiritus Sancti haec inter alia habet*:

« Unde Thomas habet istos divinarum originum modos? Utriusque enim processionis modum profitentur se Patres ignorare... Unde igitur scivit, valuit et suffecit distinguere Thomas? Non possum satis mirari, imo dolere satis quorum-

nis generatio Filii et spiratio Spiritus Sancti, ita quod haec sunt in divinis ex foecunditate naturae radicaliter, quam fecunditatem habet ex sua infinitate, et non ex hoc quod est intelligens et volens ». *In I Sent.*, dist. VI, q. 11, n. 10.

(1) Κατὰ Λατίνων, c. LIX; apud Dositheum, Τόμος καταλλαγῆς, Iasii, 1692, p. 100.

(2) Cf. E. Bulgaris, Θεολογικόν, Venetiis, 1872, p. 279-281.

(3) Ὀρθόδοξος διδασκαλία, ed. anni 1769, p. 114 sq. Verba Augustini dicentis Spiritum Sanctum esse mutuum amorem et mutuum vinculum Patris et Filii Meletius ad missionem temporalem detorquere conatur.

(4) Apud Dositheum, *op. cit.*, p. 333. Coressius, in systematibus nostrorum Scholasticorum bene versatus, multa congerit contra theoriam thomisticam. Quaedam referimus in tomo II *Theologiae dogmaticae dissidentium orientalium*, Parisiis, 1933, p. 264-265, ubi etiam multa invenies de praesenti quaestione, p. 260-285.

(5) Cf. Malvy-Viller, *La Confession orthodoxe de Pierre Moghila*, Parisiis, 1927, p. 163-165; M. Jugie, *Theologia orient.*, t. II, p. 268-270.

dam nostrorum levitatem, qui istos divinarum originum modos *inter indubitatae fidei dogmata et certissima oracula habent, nullo alio argumento convicti nisi quod ita ex Jesuitis audierint* (1). In hos nimirum apprime valet Horatianum illud: *O imitatores, servum pecus!* Dices forte: Tametsi sciamus tales esse originum modos, at adhuc ignoramus quonam modo se illi habeant, et quomodo illa generatio per intellectum perficiatur, atque adeo stare adhuc cum modorum cognitione magnam ignorationem nostram; hoc est scilicet: scimus modos, sed modorum eorum modos nescimus. Quod si quis Doctori Angelico similis in medium prosiliat, seque dicat scire et modorum modos, adhuc erit pius et sobrius, si se profiteatur secundorum modorum modos ignorare. Deinde cum tales originum divinarum modos scire nos profitemur, saltem dicimus nos scire ita de illis originibus ut scimus de nostro intelligere et velle. At haec de Deo scientia stulta et improba est. Denique Patres fatentur se nescire illum generationis et processionis modum, et infamiam vocant id investigare.

« Imaginationem suam Thomas ex hoc nimirum collegit quod Filius nominetur Λόγος, *sermo Dei, sapientia;* Spiritui vero Sancto bonitas passim tribuatur et charitas, et dicatur opifex charitatis. Sed quid inde? Filius est sapientia: ergo per modum intellectus producitur; Spiritus charitas: ergo per voluntatem? Nulla consequentia. Nam et Pater est sapientia et charitas, et tamen ne producitur quidem. Ista enim sunt attributa substantialia omnibus tribus personis communia. Deinde, concesso quod nomen Λόγος sit personale Filii, habens

(1) Alludit Theophanes ad suos collegas, Academiae Kioviensis professores, qui ante ipsum (et etiam post ipsum) magistrum in sacra theologia sibi elegerunt sanctum Thomam, cujus doctrinae in omnibus fere adhaeserunt. Cf. quae infra subjicimus de illorum uno, Hilarione Negrebetskii, p. 32.

in ipsa ejus hypostasi rationem sui (quod tamen ἄγραφον est), nondum tamen certum est an etiam per intellectum producatur. Arcana ista sunt occulta, abdita, impervestigabilia.

« Sed demus etiam hisce modis Filium et Spiritum Sanctum produci: minime adhuc sequitur quod volunt Latini. At, inquiunt, cum volumus aliquid, requiritur ut illud cognoscamus; hinc illud vulgare axioma: *Nihil volitum, nisi praecognitum.* Ita est; quid vero inde? Numquid cognitio amorem causat? Minime. Cognitio enim ostendit in objecto bonitatem, et illa bonitas causat in nobis amorem sui, hoc est accendit voluntatem nostram ad amandum objectum illud. Cognitio ergo est veluti fax pellens tenebras, et rem, qualis sit, illustrans; est *conditio sine qua non,* ut loquuntur; at non est causa amoris, si vere et proprie philosophemur. Vana igitur est argumentatio: Filius est cognitio; Spiritus Sanctus amor est; ergo hic ab illo producitur. Si quid hinc inferri posset, hoc nonnisi est: ergo prior est ordine Filius, et praeintelligitur Spiritui Sancto sicuti cognitio amori. Et hoc erit quod antea diximus: Spiritum Sanctum per Filium, hoc est, praeintellecto Filio procedere a Patre.

« Quaero insuper, cum dicunt Spiritum Sanctum procedere per voluntatem, an voluntatem intelligant substantialem, an hypostaticam, an mediam aliquam? Si primum, ergo et a se ipso procedet Spiritus Sanctus; si secundum, ergo a duplici voluntate, alia Patris, alia Filii, procedet, non igitur per unicam, ut volunt, indivisibilem actionem, adeoque et duo *principia non evitabunt.* Si denique tertium, ergo jam tres erunt in Deo voluntates, *substantialis, hypostatica* et ista *media;* imo quinque; nam *hypostaticae* tres erunt, et Pater et Filius habebunt tres voluntates: substantialem, communem omnibus tribus; mediam, communem duobus tantum, et hypostaticas

sibi uterque proprias. Spiritus autem Sanctus duas tantum habebit: substantialem et hypostaticam; et magna ergo disparitas erit Spiritum Sanctum inter et Patrem ac Filium, et mysterium dualitatis invehetur; quae omnia absurda. Plura sunt, quae ex istà inani Thomae imaginatione colligere possemus absurda; sed et haec sufficiunt » (1).

Vides non omnia spernenda esse in hac censura. Exinde certe apparet quam infirmum sit argumentum ex theoria scholastica processionum sumptum ad demonstrandam veritatem processionis Spiritus Sancti ab utroque contra dissidentes.

Moderni compendiorum theologiae dogmaticae auctores apud dissidentes ad theoriam thomisticam parum attendunt illamque generatim repraesentant ut vanum tentamen explicandi mysterium, ut purum putum rationalismi foetum (2).

Theologi dissidentes qui explicationem thomisticam tam acriter carpserunt in non paucos e suis eo ipso tela conjecerunt; haud pauci enim ex ipsis, praesertim in periodo moderna, hanc explicationem libenter acceperunt illaque usi sunt ad Trinitatis mysterium infidelibus ipsis insinuandum. Ex illa tamen nullatenus deducunt Spiritum Sanctum etiam a Filio vel per Filium ab aeterno procedere, sed doctrinam photianam retinere pergunt. Ita, inter alios, Gregorius Palamas († 1359), qui contra catholicum dogma de processione Spiritus Sancti quatuor tractatus conscripsit. In suo opere: *Physica, theologica, moralia et practica capita CL*, fuse exponit theoriam thomisticam Spiritumque Sanctum habet ut mutuum

(1) *Tractatus de processione Spiritus Sancti*, Gothae, 1772, C. XVIII, p. 397-401.

(2) « Omnibuse manifestum est, ait Andrutsus, Δογματική Athenis, p. 79, ex hac sterili assimilatione nihil trahi posse quod ad divinas processiones illustrandas quomodocumque conferat ». Cf. *Theol. Or., t. cit.*, p. 270.

amorem Patris et Filii (1); attamen in fine concludit: *Spiritus ab utroque ad dignos mittitur; solius vero Patris est quantum ad existentiam, et ab eo solo procedit quantum ad existentiam* (2).

Georgius Scholarius vero († post 1472), qui in theologia Latinorum bene versatus erat, explicationem theologicam Trinitatis, prout a sancto Thoma exponitur in pluribus scriptis suis explicite probat facitque suam, v. g. in quadam dissertatione *De Filii Dei Incarnatione* (3); in duplici opusculo ad sultanum Mahumedem II circa annum 1456, uno longiore inscripto: *De sola via ad salutem hominum;* altero breviore, in formam *Confessionis fidei digesto* (4); item in opusculo *De Deo uno et trino et contra atheos et polytheistas* (5), ubi theoria fuse evolvitur; in compendiis utriusque *Summae* Aquinatis, quae anno 1464 sibi confecit (6); in *Sermone in Christi nativitatem*, anno 1467 conscripto (7), ubi addit « hujusmodi speculationibus plenos esse libros sanctorum doctorum, *qui doctrinam fide acceptam invictis rationibus ex facili demonstrant*, ad-

(1) P. G., t. CL, col. 1144-1148. Cf. M. Jugie, *op. cit., t. II,* p, 271-274. Hanc theoriam Palamas haurire potuit tum ex *Libris de Trinitate* sancti Augustini a Maximo Planude graece versis, tum ex *Summa contra Gentiles* (l. IV) sancti Thomae a Demetrio Cydone anno 1354 in graecum translata.

(2) P. G., t. CL, col. 1145.

(3) *Oeuvres complètes de Georges Scholarios,* t. III, Parisiis, 1930, p. 356.

(4) *Oeuvres complètes, ibid., p.* 434-452, et p. 454: « Ταῦτα τὰ τρία, νοῦς καὶ λόγος καὶ πνεῦμα, εἷς Θεός ἐστιν, ὥσπερ ἐν τῇ μιᾷ ψυχῇ τοῦ ἀνθρώπου ἔστι νοῦς καὶ λόγος νοητὸς καὶ θέλησις νοητή, καὶ ὅμως ταῦτα τὰ τρία εἰσὶ μία ψυχὴ κατὰ τὴν οὐσίαν ».

(5) *Oeuvres complètes,* t. V. In huiusmodi compendiis, Scholarius ad verbum fere transfert ea quae de divinis processionibus in originali habentur. Ea sola omittit quae de processione Spiritus Sancti directe tractant.

(6) *Oeuvres complètes,* t. IV, Parisiis, 1935, p. 181-188.

(7) *Oeuvres complètes,* t. I, Parisiis, 1928, p. 227: « Λόγον τε οὖν προάγει (ὁ Θεὸς) νοῶν, καὶ ἑαυτὸν νοεῖ τῷ λόγῳ, καὶ θέλων ἀγάπην προάγει καὶ ἑαυτὸν ἀγαπᾷ ταύτῃ καὶ θέλει ».

ducentes insuper humile sapientiorum ex Graecis obsequium » (1). Eo tempore autem quo ardore polemico in Latinos aestuabat, speculationem augustinianam moderate carpsit in suo *Primo tractatu de processione Spiritus Sancti*, Latinos de hoc potissimum reprehendens quod hujusmodi analogiis ex rebus creatis desumptis, etiam contra Augustini mentem, nimium momentum tribuant (2).

Quomodo autem theologi dissidentes hanc speculationem in doctrinae photianae commodum convertere possint, exemplum nobis est ille Academiae Kioviensis professor (anno 1733-1734) qui nomen habuit Hilarion Negrebetskii (3). Sequentia enim suis discipulis dictabat:

« Ideo Filius a solo tantum Patre generatur, juxta theologos, quia Pater seipsum tantum comprehendendo generat Filium. Ergo etiam et Spiritus ideo a solo Patre procedit, quia Pater seipsum tantum amando spirat Spiritum Sanctum; siquidem hoc tantum Pater amat amore notionali quod cognoscit intellectu notionali. Et quoniam seipsum tantum cognoscit notionaliter et per hanc cognitionem generat Filium, ergo seipsum tantum amat notionaliter, et per hunc amorem solus spirat Spiritum Sanctum. Et quamvis Pater amat Filium, et Filius vicissim Patrem, nihilominus hoc intelligi debet de amore essentiali, non notionali, sicut etiam cognoscit Pater Filium et Filius Patrem intellectu essentiali, non notionali; alioquin Filius, intellectu notionali cognoscendo Patrem, generaret seipsum, aut alium filium » (4).

(1 Ibid.

(2) *Oeuvres complètes*, t. II, Parisiis, 1929, p. 48, 66-72.

(3) Ergo post lectiones Theophanis Procopovitch, annis 1712-1716 ibidem datas et ipso Theophane adhuc inter viros degente.

(4) Ex exemplo alumni Dyonysii Novakovith in monasterio Gregetensi asservatum, fol. 252. Cf. *Theol. Orient.*, t. II, p. 276-278.

Vides distinctiones scholasticas absque testimoniis positivis S. Scripturae et Patrum dogmati catholico demonstrando impares omnino esse, cum adversarii iisdem abuti possint ad illud evertendum.

ART. II. — DE PRINCIPIO UNICO PROCESSIONIS SPIRITUS SANCTI.

Ex definitionibus conciliorum Lugdunensis II et Florentini, de fide catholica est, ut jam diximus, Patrem et Filium esse unum principium Spiritus Sancti, non duo principia, et Spiritum Sanctum ab utroque procedere unica spiratione, non duabus spirationibus.

Haec doctrina, primo adspectu considerata, aliquam facessit difficultatem. Etenim ex eo quod nominantur Pater et Filius, unusquisque eorum videtur esse principium, et ideo duo esse principia Spiritus Sancti. Hoc autem ipsum est quod Graeci dissidentes Latinis semper exprobrarunt et adhuc exprobrant, quia formula: *A Patre Filioque procedit* ex se innuit duplex principium Spiritus Sancti. Multum igitur interest formulam dogmaticam dilucide explicare.

I. — *De origine formulae dogmaticae.*

Hanc formulam Christus Dominus ipse aequivalenter docuit, dum dixit: *Omnia quaecumque habet Pater mea sunt: propterea dixi quia de meo accipiet* (Joa. XVI, 15). Inter Patres autem, sanctus Augustinus primus videtur esse qui illam *explicite* usurpaverit, cujus verba supra retulimus. Insinuatur autem, ut jam diximus, a formula Graecorum: *A Patre per Filium procedit.* Graeci Patres tamen nonnisi implicite illam tradunt, ut infra ostendetur. Ipsi Latini, etiam in disputatio-

nibus cum Graecis, ea raro usi sunt; in qua tamen insistere debuissent, ut omnem aequivocationem tollerent.

II. — *De principio quod et de principio quo Spiritus Sancti.*

Cum nostri Scholastici distinguere soleant inter *principium quod* et *principium quo*, quaeritur utrum unicum principium Spiritus Sancti a definitionibus fidei positum intelligendum sit de *principo quod*, an de *principio quo*. Vera responsio est nullam in casu ponendam esse distinctionem, quoad unitatem vel multiplicitatem, inter *principium quod* et *principium quo*. Certum est — et hoc omnino ex fide tenendum — unum esse *principium quo*, id est unam proprietatem seu vim spirativam, quae omnino una et eadem numero est in Patre et Filio, qua *spirantes* constituuntur. Certum est etiam unum esse *principium quod*, quatenus Pater et Filius in spirando Spiritum Sanctum, non considerantur ut duae personae ab invicem distinctae, sed ut quid unum; spiratione enim activa inter se non distinguuntur, sed *unus sunt Deus ut spirator consideratus.* Aliis verbis: Principium quod processionis Spiritus Sancti est ipsa essentia divina non quidem *absolute* et in se considerata — sub hac ratione enim est tribus personis communis, — sed ut existens in Patre et Filio, uno Deo spiratore, seu ut affecta et connotata virtute spirativa Patri et Filio communi.

Ergo est una *actio spirativa* et *unus spirator*, quamvis dici possit *duos esse spirantes.* Nomina enim adjectiva multiplicantur, multiplicatis suppositis, quia indicant ex se aliquam participitationem; sed nomina substantiva non multiplicantur nisi multiplicatis etiam rationibus formalibus seu formis vel *principiis quibus operantur.*

Huic certo loquendi modo haud semper steterunt nostri Scholastici. Ipse sanctus Thomas junior admisit Patrem et Filium dici posse *duos spiratores,* sicut dicuntur *duo spirantes* (1). Postea vero, id est in *Summa theologica,* rectius docuit Patrem et Filium dicendos esse *unum spiratorem Spiritus Sancti*: « Nomina enim substantiva, inquit, numerum accipiunt a forma significata. Sicut igitur Pater et Filius sunt unus Deus propter unitatem formae significatae per hoc nomen *Deus,* ita sunt unum principium Spiritus Sancti propter unitatem proprietatis significatae in hoc nomine *principium* » (2).

Hic loquendi modus cum definitionibus fidei, quae post sanctum Thomam promulgatae sunt, plane congruit, et omnino tenendus est, primum ne periclitetur doctrina definita; secundo, ne ansa praebeatur dissidentibus doctrinam catholicam calumniandi. Mirum porro omnino est quosdam theologos catholicos, etiam post Ecclesiae definitiones, sustinuisse Patrem et Filium non dici unicum principium Spiritus Sancti nisi *improprie,* quatenus scilicet *unicus est spirationis terminus,* quod haeresim omnino sapit (3); vel eosdem ad libitum vocari posse *unum* vel *duo principia* Spiritus Sancti *sub diversis respectibus* (4); quod quidem in bonum sensum intelligi potest, quod vero periculosum est ac inutile.

Ex hac doctrina confirmatur axioma supra relatum: *In divinis omnia unum sunt, ubi non obviat relationis oppositio.* Ideo enim Pater et Filius ab invicem non distinguuntur quatenus spirant Spiritum Sanctum, quia non adest vera op-

(1) *In I Sent.* dist. XI, q. I, a. 4.

(2) I p. q. XXXVI, a. 4.

(3) Ita Durandus († 1334) (*In I., dist.* XXIX, q. 2) et Gregorius Ariminensis († 1358) (*In I,* dist. XII, q. 1).

(4) Ita Occamus (1349?) et Gabriel Biel († 1495).

positio tum inter spirationem activam et paternitatem, tum inter eamdem spirationem activam et filiationem, sed re unum est vis spirativa cum Patre et Filio, et spirant ambo ut unus Deus (1).

III. — *De quibusdam effatis et locutionibus apud Latinos usitatis, quae duplex principium Spiritus Sancti significare videntur.*

Apud sanctum Augustinum (2) et alios quosdam Patres et doctores occidentales (3), Spiritus Sanctus dicitur communis charitas qua invicem se diligunt Pater et Filius seu

---

(1) Ut dicit Augustinus, *De Trinitate,* V, 14, P. L., t. XLII, col. 921: « Sicut Pater et Filius ad creaturam relative sunt unus creator et unus dominus, sic relative ad Spiritum Sanctum unum principium ». Patet tamen esse differentiam inter creationem et spirationem; creatio enim est operatio ad extra tribus personis communis et ad essentiam *absolute sumptam* relationem habens; spiratio activa autem est actio immanens ab essentia divina non absolute sumpta, sed ut est in Patre et Filio simul dimanans. Ut dicit sanctus Thomas: « Procedit Spiritus Sanctus a Patre et Filio, *in quantum sunt unum in essentia et in aliqua notione,* scilicet in communi spiratione ». *In* I *Sent.,* dist. XI, q. I, a. 3. Alia comparatio, quae sane multum claudicat, sumi potest ex coetu deputatorum legem ferentium. Coetus ut talis est *unus legislator* quatenus *una et eadem potestate* omnes deputati suo suffragio legem ferunt, et unusquisque eorum dici potest *legem ferens.* Unde sunt multi *legem ferentes,* quamvis sit *unus legislator collectivus.* Ita, *sub aliquo respectu,* Pater et Filius sunt *unus spirator* Spiritus Sancti per unam et eamdem vim spirativam, et sunt *duo spirantes,* quia participant unam et eamdem vim spirativam. Sed Pater et Filius sunt revera *unus spirator,* dum coetus deputatorum non est *unus legislator nisi moraliter,* et revera plures legislatores.

(2) Cf. praesertim *De Trinitate,* VI, 1: « Spiritus Sanctus, Patris et Filii communio consubstantialis et coaeterna ». *Ibid.,* c. V: « Spiritus quo uterque conjungitur, quo genitus a gignente diligitur generatoremque suum diligit Filius, ineffabiliter communionem demonstrans amborum ». Vide alios textus Augustini apud Petavium, *Dogmata theologica, De Trinitate,* l. VII, c. XII.

(3) Cf. Petavium, ibid., § 3 sq.: « Addit Anselmus amorem illum esse, quo et seipsos et alterutrum amant Pater et Filius ». *Monologium,* IV, 16.

eorum mutuus amor, communio, coniunctio, nexus, vinculum, osculum. Porro huiusmodi locutiones, obscurae sunt et ab omni erroris periculo haud immunes. Indicare enim videntur quamdam principii dualitatem respectu processionis Spiritus Sancti. Mutuus enim amor supponit distinctum amoris actum in Patre et Filio se invicem diligentes. Certe sanctus Augustinus, qui primus omnium *explicite* docuit Patrem et Filium esse unum principium Spiritus Sancti, illos loquendi modos non ita intellexit, ut duplicitatem principii inducerent; non tamen adeo clare eos explicavit, ut nulla remaneret ambiguitas. Inde illae multae et confusae explanationes, quas refert sanctus Thomas (1).

Dicendum est ergo locutiones huiusmodi nullatenus intelligendas esse quasi esset duplex actus amoris in Deo, unus quo Pater Filium diligat, alter quo Filius Patrem vicissim redamet; sed Spiritum Sanctum vocari amorem Patris et Filii, quo se invicem diligant, eorum communionem, nexum, vinculum, osculum, quatenus Spiritus Sanctus est *terminus unicae spirationis*, qua Pater et Filius non solum invicem *coniunguntur et uniuntur*, sed revera *unum fiunt*, ita ut in hoc actu spirationis ab invicem *indistincti* maneant et vere *unificentur*; quod est summus dilectionis gradus. Quod enim nonnisi *moraliter* et improprie facit amor inter duas voluntates creatas, hoc physice ac substantialiter facit in Deo *amor notionalis* seu spiratio activa, cuius terminus est persona Spiritus Sancti (2), qui in hoc sensu dicitur amborum amor et

(1) *S. Theol.*, I, q. XXXVII, a. 2.

(2) Ad rem Petavius, *loc. cit.*, § 8: « Cum in Spiritus Sancti processione, *personae duae unius principii rationem habeant, et unicus ex ambobus terminus ac fructus existat,* merito amborum communio et unitas vocatur. Accedit quod in creatis rebus atque personis nulla conjunctio copulatioque inest arctior quam

communio et nexus et osculum. Ut perpulchre dicit sanctus Thomas:

« Contingit aliquid denominari per id quod ab ipso procedit non solum sicut agens actione, sed etiam sicut ipso termino actionis, qui est effectus, quando ipse effectus in intellectu actionis includitur. Dicimus enim quod ignis est calefaciens calefactione, quamvis calefactio non sit calor, qui est forma ignis, sed actio ab igne procedens. Et dicimus quod arbor est florens floribus, quamvis flores non sint forma arboris, sed quidam effectus ab ipsa procedentes. Secundum hoc ergo dicendum quod cum *diligere* in divinis dupliciter sumatur, essentialiter scilicet et notionaliter, secundum quod essentialiter sumitur, sic Pater et Filius non diligunt se Spiritu Sancto, sed essentia sua... Secundum vero quod notionaliter sumitur, sic *diligere* nihil aliud est quam *spirare amorem*, sicut *dicere* est producere verbum, et *florere* est producere flores. Sicut ergo dicitur arbor florens floribus, ita dicitur Pater dicens Verbo, vel Filio, se et creaturas. Et Pater et Filius dicuntur *diligentes Spiritu Sancto*, vel amore procedente, et se et nos » (1).

His explicationibus elucidatae, locutiones huiusmodi omni pravo sensu purgantur. Sunt enim merae analogiae ex rebus creatis desumptae (2). Attamen in disputationibus theologicis

voluntatum mutuique invicem amoris, quo sic inter se colligantur homines, ut unum cor et una anima fieri dicatur e multis, quemadmodum de primis christianis Lucas in *Actis* refert (Act. IV). Ideo cum Spiritus Sanctus mutuus sit amor Patris et Filii, sive mutui amoris fructus ac terminus, consentaneum est ut amborum unitas et communio appelletur a nobis, qui non aliunde quam nostris ex rebus capere ac declarare possumus ».

(1) *S. Theol.*, I, q. XXXVII, a. 2.

(2) Cf. J. Slipyi, *De amore mutuo et reflexo in processione Spiritus Sancti explicanda*, Breslaviae, 1923; ejusdem: *De principio spirationis in sanctissima Trinitate*, Leopoli, 1926.

cum dissidentibus commendandae non sunt, quandoquidem doctrinae catholicae adversariis arma suppeditare possunt (1).

Art. III. - PROCESSIO SPIRITUS SANCTI A PATRE ET FILIO NON EST GENERATIO.

Quamvis Spiritus Sanctus procedat a Deo Patre et Filio tanquam ab uno principio sitque Deus verus de Deo vero, attamen non procedit per modum generationis nec dici debet filius Patris vel filius Filii vel filius utriusque. Hoc pertinet ad doctrinam fidei. Numquam enim in sacra Scriptura Spiritus Sanctus dicitur filius vel generatus; Filius autem dicitur *Unigenitus,* qua appellatione a sanctissima Trinitate excluditur altera persona quae sit etiam filius. Unde in symbolo Athanasiano Spiritus Sanctus dicitur *non genitus* sed *procedens.* Contra Macedonianos et Anomaeos, qui ita argumentabantur: « Si Spiritus Sanctus creatus non est, aut frater est Dei Patris, aut patruus est unigeniti Iesu Christi, aut filius Christi est, aut nepos Dei Patris, aut ipse Filius Dei est, et iam non erit uni-

---

(1) « Ad quaestionem *num Spiritus procedat ex amore mutuo Patris et Filii,* responderi debet potius negative; nam amor mutuus supponit distinctum duorum ad invicem amorem; hic autem est unicus duorum amor. Duo quidem sunt se amantes, sed uno eodemque amore uterque utrumque amat ». P. Galtier, *De SS. Trinitate in se et in nobis,* Pariis, 1933, p. 264. Nota quosdam Orientales, inter quos venit Gregorius Palamas, vocare Spiritum Sanctum amorem quo Pater diligit Filium, et Filius Patrem. Cf. Gregorium Palamam, *Capita physica, theologica,* etc., c. XXXVI, P. G., t. CL, col. 1144-1145: « Ἐκεῖνο δὲ τὸ Πνεῦμα τοῦ ἀνωτάτου Λόγου οἷόν τις ἔρως ἐστὶν ἀπόρρητος τοῦ Γεννήτορος πρὸς αὐτὸν τὸν ἀπορρήτως γεννηθέντα Λόγον, ᾧ καὶ αὐτὸς ὁ τοῦ Πατρὸς ἐπέραστος Λόγος καὶ Υἱὸς χρῆται πρὸς τὸν Γεννήτορα, ἀλλ' ὡς ἐκ τοῦ Πατρὸς ἔχων αὐτὸν συμπροελθόντα καὶ συμφυῶς ἐν αὐτῷ ἀναπαυόμενον ».

genitus Dominus Iesus Christus, cum alterum fratrem habeat » (1), Patres semper docuerunt Spiritum Sanctum esse verum Deum de Deo vero, attamen non esse filium Dei, nec ab eo per generationem productum (2). Ad quaestionem autem quare non sit filius nec generatus, plerumque respondent hoc esse mysterium ineffabile nobis omnino absconditum, nec curiose scrutandum. Data autem occasione, alii aliam protulerunt rationem huius differentiae inter secundam et tertiam personam, de qua re Ecclesia nihil definivit.

Apud Patres graecos, vix ullum tentamen explicationis reperitur, si ea excipias quae dixit Gregorius Nyssenus de processione immediata et mediata: *Filius est a Patre; Spiritus est a Patre per Filium* (3). Horum Patrum ultimus. Ioannes Damascenus adhuc confitetur suam plenam ignorantiam: « Et generationis quidem, inquit ac processionis aliquod discrimen didicimus; at quis sit discriminis modus, nequaquam didicimus » (4). Neque ulterius progressi sunt Graeci, donec theoria

---

(1) Didymus, *De Spiritu Sancto*, c. LXIII, P. G., t. XXXIX, col. 108.

(2) Unus inter auctores antiquos, Hermas, in *Pastore*, Sim. V, 5, 2; IX, 1, 1, Spiritum Sanctum vocavit Filium Dei: « Θέλω σοι δεῖξαι ὅσα σοι ἔδειξε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον τό λαλῆσαν μετὰ σοῦ ἐν μορφῇ τῆς Ἐκκλησίας· ἐκεῖνο γὰρ τὸ πνεῦμα ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐστίν ». Verum notum est Hermam fuisse laicum in theologia parum versatum: « Il n'était pas un théologien, mais un petit bourgeois sans instruction » ait A. Lelong, *L Pasteur d'Hermas*, Pariis, 1912, p. LXXX.

(3) *Ad Ablabium: Quod non sint tres dii*: « Τὴν κατὰ τὸ αἴτιον καὶ αἰτιατόν διαφορὰν οὐκ ἀρνούμεθα, ἐν ᾧ μόνῳ διακρίνεσθαι τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου καταλαμβάνομεν, τῷ τὸ μὲν αἴτιον πιστεύειν εἶναι, τό δὲ ἐκ τοῦ αἰτίου· καὶ τοῦ ἐξ αἰτίας ὄντος πάλιν ἄλλην διαφορὰν ἐννοοῦμεν· τὸ μὲν γὰρ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, τὸ δὲ διά τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου ». P. G., t. XLV, col. 133 BC. De hoc celeberrimo textu infra fusius agemus.

(4) *De fide orthodoxa*, l. I, c. x: « Καὶ ὅτι μέν ἐστι διαφορὰ γεννήσεως καὶ ἐκπορεύσεως μεμαθήκαμεν· τίς δὲ ὁ τρόπος τῆς διαφορᾶς, οὐδαμῶς ». P. G., t. XCIV, col. 824 A.

augustiniana et thomistica de processionibus divinis eis innotuit, quam ex ipsis aliqui, ut vidimus, libenter amplexi sunt. Ipse Augustinus, qui non unam explicationem protulit et hanc plerumque dat, scilicet quod Filius unius est Patris, Spiritus Sanctus autem a Patre Filioque procedit, ad certum de hac quaestione intuitum nunquam pervenit. Scribit enim in *Libro III contra Maximium Arianum*:

« Quid autem inter nasci et procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens, explicare quis potest? Non omne quod procedit, nascitur, quamvis omne procedat quod nascitur: sicut non omne quod bipes est, homo est, quamvis bipes sit omnis qui homo est. Haec scio. Distinguere autem inter illam generationem et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio » (1).

Melior sane ratio discriminis ab eo excogitata, illa est quae repetitur ex processione per modum intellectus et processione per modum voluntatis seu amoris (2). At vero neque Augustinus ipse, neque veteres Scholastici qui rationem Augustini suam fecerunt (3), explicationem huiusmodi ad perfectam expolitionem adduxerunt ante sanctum Thomam, qui primus omnium in clarissima luce posuit intimam differentiam inter processionem per modum intellectus et processionem per modum voluntatis existentem:

« Processio amoris in divinis, inquit, non debet dici generatio. Ad cuius evidentiam sciendum est quod haec est diffe-

---

(1) *Contra Maximinum Arianum*, l. II, c. XIV, 1, P. L., t. XLII, col. 770 C.

(2) « Ideo quamdam in hac re intelligibili nativitatis et processionis insinuari distantiam, quoniam non hoc est cogitatone conspicere, quod appetere vel etiam perfrui voluntate, cernit discernitque qui potest ». *De Trinitate*, XV, c. XXVII, 50. P. L. t. XII, col. 1097.

(3) Vide apud Petavium, *op. cit., De Trinitate*, l. VII, c. XIII, diversas rationes a Patribus et theologis propositas ante sanctum Thomam.

rentia inter intellectum et voluntatem, quod intellectus sit in actu per hoc quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem. Voluntas autem fit in actu non per hoc quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate, sed ex hoc quod voluntas habet quandam inclinationem in rem volitam. Processio igitur quae attenditur secundum rationem intellectus est secundum rationem similitudinis, et intantum potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile. Processio autem quae attenditur secundum rationem voluntatis non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis et moventis in aliquid; et ideo quod procedit in divinis per modum amoris non procedit ut genitum vel ut filius « sed magis procedit ut spiritus, quo nomine quaedam vitalis, motio et impulsio designatur, prout aliquis ex amore dicitur moveri vel impelli ad aliquid faciendum » (1).

Hanc speculationem ex toto ignorarunt Patres graeci, quippe qui solemne habent Spiritum Sanctum vocare *imaginem* Filii, sicut Filius est imago Patris (2). In imagine enim non attendunt *modum originis, sed tantum ipsam originem* (3) et *rationem similitudinis manifestantis ac repraesentantis per-*

---

(1) *S. Theolog.*, I p., q. XXVII, a. 4.

(2) Ita jam S. Gregorius Thaumaturgus in suo *Symbolo*: Εἷς Κύριος... χαρακτὴρ καὶ εἰκὼν τῆς θεότητος... Καὶ ἓν Πνεῦμα ἅγιον... εἰκὼν τοῦ Υἱοῦ τελείου τελεία. P. G., t. XLVI, col. 910; et Ioannes Damascenus post multos alios: « Εἰκὼν τοῦ Πατρὸς ὁ Υἱός, καὶ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα ». *De fide orthodoxa*, l. I, c. XIII. P. G. t. XCIV, col, 856,

(3) Ex hoc quod Spiritus Sanctus dicitur imago Filii, recte deducitur Spiritum Sanctum etiam a Filio esse. Haec tamen consequentia est satis obscura. Unde dissidentibus aegre persuasionem ingeret quod Spiritus Sanctus a Filio suum esse habeat, quandoquidem ubi Patres asserunt Spiritum esse Filii imaginem, plerumque sibi directe proponunt ostendere eum esse Filio consubstantialem.

fectionem prototypi, quae desumitur ex perfecta identitate essentiae per originem unius ab alio communicatae. Ut dicit de Régnon, secundum Patres graecos: « Le Fils est comme un portrait tiré sur le Père: et le Saint-Esprit comme une photographie tirée sur ce portrait » (1).

Vides diversitatem respectus inter conceptum Latinorum et conceptum Graecorum quoad imaginem. Graeci hoc unum intendunt, ut ostendant Spiritum Sanctum esse verum Deum procedentem a Patre per Filium, et quia per Filium procedit, specialem relationem habentem ad ipsum. Augustinus vero et alii Latini post eum explicare conantur quare Spiritus Sancti processio non sit generatio. Rationem autem imaginis inveniunt in ipsa generatione. Unde dicunt Filium esse imaginem Patris vi suae processionis, quia est per modum intellectus et inde appellationem *imaginis* esse *nomen personale Filii*; quod innuitur a sacra Scriptura, ubi Filius, et quidem solus, vocatur *imago, exemplar, character* Patris. Admissa explicatione psychologica Trinitatis a sancto Augustino et praesertim a sancto Thoma elaborata, patet Spiritum Sanctum esse imaginem Filii vel Patris non quidem vi suae processionis, quae est per modum voluntatis et amoris, sed ob aliam rationem, quia scilicet quidquid *quovis modo* per processiones divinas communicatur, est semper una et eadem res, nempe essentia divina.

(1) *Etudes sur la Trinité,* t. IV, p. 139. Cf. ejusdem operis t. III, p. 321-329.

CAPUT SECUNDUM

De processione Spiritus Sancti secundum doctrinam Sacrae Scripturae.

Praenotamina.

Cum Trinitatis mysterium sit omnium altissimum rationique humanae penitus impervium, patet nos de eo nihil certi affirmare posse quod in divina Revelatione fundamentum sive explicitum sive implicitum non habeat. Illae rationes theologicae, quas in primo capite ad fidei definitiones utcumque elucidandas exposuimus, non aliunde quam ex certis principiis ex fontibus revelatis haustis suum momentum suamque vim trahunt. Cum autem duplex fons exstet Revelationis, Scriptura nempe divinitus inspirata et sacra Traditio Ecclesiae magisterio commissa ac per illud sine errore transmissa, quidquid in divinis Litteris inveniri possit, quod processionem Spiritus Sancti, prout haec ab Ecclesia catholica definita est, sive directe, sive indirecte tangat, in hoc secundo capite quam diligentissime investigandum nobis proponimus.

Porro compendiorum dogmaticae theologiae auctores, ad demonstrandum Spiritum Sanctum non solum a Patre, verum etiam a Filio procedere tria argumenta ex variis sacrae Scripturae locis conficere solent; ex quibus primum fundatur in effatis: *Spiritus Filii — Spiritus Iesu — Spiritus Christi*; secundum ex missione vel largitione Spiritus Sancti a Filio; tertium, et quidem praecipuum, ex verbis Christi: *Spiritus*

veritatis de meo accipiet, de meo accipit. Quidam quartam afferunt probationem ex ordine divinarum personarum in formula baptismatis.

Huiusmodi argumentorum vim plus minusve urgentem in dubium nequaquam revocamus eaque in praesenti capite resumemus modoque nostro proponemus. Longarum autem controversiarum decursu, quas Latini catholici Graecique dissidentes inter se olim habuerunt, alii quidam Scripturae sacrae loci a Catholicis in medium prolati sunt, quos non omni momento vacuos existimamus; immo vero ex illis quidam, nostro iudicio directius ac clarius quam probationes consuetae dogma catholicum insinuant ac manifestant. De locis huiusmodi, quos nostri iamdudum oblivioni mandarunt, mentionem facere opportunum ducimus, quorundam exègetarum catholicorum auctoritate fulti, qui eorum vim probativam recenter in luce posuerunt.

Quamvis in sequentibus capitibus de Patrum antiquorum doctrina fusiori calamo acturi simus, attamen, data opportunitate, nostras interpretationes eorum exegesi confirmabimus, ut saepe solent compendiorum auctores. Praeterea obiectiones et difficultates, quas dissidentes orientales, inde a Photio, contra Catholicorum interpretationes movere consueverunt, breviter referemus ac explodemus.

Quatuor erunt huius capitis articuli. Sermo erit:

1° De locis sacrae Scripturae processionem Spiritus Sancti a Patre, vel a Filio, vel ab utroque, aut a Patre per Filium, *directe* arguentibus vel insinuantibus;

2° De argumento desumpto ex missione vel largitione Spiritus Sancti tum a Patre, tum a Filio;

3° De duobus testimoniis directis dogma catholic

asserentibus cum aliquo respectu ad missionem temporalem Spiritus Sancti;

»° De locis *implicite* vel *indirecte* tantum veritatem definitam insinuantibus.

ART. I. - DE LOCIS SACRAE SCRIPTURAE PROCESSIONEM SPIRITUS SANCTI, PROUT AB ECCLESIA DEFINITA EST, DIRECTE ARGUENTIBUS VEL INSINUANTIBUS.

I. — *Spiritus qui ex Deo est* (I Cor., II, 12).

In Ep. I ad Cor., II, 12, haec legimus: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum,* QUI EX DEO EST, *ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis* (1).

Hic agi de persona Spiritus Sancti — et quidem *in recto* (1) —, non vero de conscientia divina, ut volunt aliqui,

(1) ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ.

(2) Admirationem nobis movent ea quae scribit E. B. Allo, *Saint Paul. Première aux Corinthiens,* Parisiis, 1935, p. 46 in nota: « La particule ἐκ marquant une dérivation, il nous paraît difficile d'entendre ces mots, *in recto,* du Saint-Esprit personnel, comme pour *Cornely, Gutjahr;* c'est *plutôt* le don divin, la grâce qui transforme l'âme et illumine l'intelligence. Il est vrai, Paul enseigne ailleurs (*scilicet paulo infra*), que le Saint-Esprit réside daus les âmes justifiées et que « la personne est dans le don »; mais si l'on voulait trop presser ici cette idée de l'habitation en nous d'un être personnel, on serait tenté, à cause du parallélisme, d'entendre « l'esprit du monde » au sens de « Diable », comme y incline J. Weiss et n'hésite pas à le faire *Cornély* ». Respondemus: « Il n'ya qu'à ne pas trop presser le parallélisme, comme la comparaison entre Dieu et l'homme y invite d'elle-même. Mais l'emploi de ἐκ, dans le cas, loin de faire penser à une entité impersonnelle, accentue au conire *l'idée d'origine par voie de nature.* S'il y avait: Τὸ Πνεῦμα τὸ παρὰ τοῦ Θεοῦ,

probant tam usus praepositionis *ex*, quae indicat originem, ergo et distinctionem inter Deum et Spiritum ex eo procedentem seu emanantem; tum repetitio articuli (τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ); tum evidens allusio ad missionem Spiritus Sancti (*accepimus Spiritum*), cuius templum, in quo habitat, fideles paulo infra dicuntur (1); tum communis interpretatio Catholicorum.

Vocem *Deus* certo supponere pro *Deo Patre* omnes concedent; in eadem autem et Filium includi nemo absolute negare poterit, et magna cum probabilitate quis asseret, cum sanctus Paulus haud una vice Filium seu Christum expresse *Deum* appellet, praesertim in *Ad Rom.* VIII, 9: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius*: ubi vides *Spiritus Dei* idem sonare ac *Spiritus Christi;* item in eadem *Epist. ad Cor.* VII, 17: *Nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet*, ubi *Dominus* id est Christus, et *Deus* unus et idem sunt (2).

Ergo locus laudatus directe et certo asserit Spiritum Sanctum procedere, suum esse habere a Deo Patre, et probabiliter etiam a Filio procedere, cum Filius sit Deus.

---

c'est-à-dire l'*Esprit qui vient d'auprès du Père,* nous aurions une allusion directe à la mission temporelle du Saint Esprit. Au contraire, l'emploi de ἐκ fait directement penser à la procession éternelle ». Caeterum non negamus hic connotari - sed *in obliquo* - effectum a Spiritu inhabitante in anima fideli productum, gratiam scilicet supernaturalis illuminationis.

(1) I Cor., III, 16: « Οὐκ οἴδατε, ὅτι ναὸς Θεοῦ εστε καὶ τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ ἐν ὑμῖν οἰκεῖ ».

(2) « Εἰ μὴ ἑκάστῳ ὡς ἐμέρισεν ὁ Κύριος, ἕκαστος ὡς κέκληκεν ὁ Θεός, οὕτως περιπατείτω ». 'Ο Κύριος est Christus. « L'equivalence de κύριος et de Θεός dans le deux membres parallèles est un nouvreau temoignage de la divinité du Christ ». Allo, *op. cit.*, p. 171.

II. — *De fluvio aquae vivae de sede Dei et Agni procedente* (Apoc. XXII), (1).

In *Apocalypsi* sancti Ioannis, XXII, 1, ubi caelestis Ierusalem describitur, occurrunt haec verba:

Et ostendit mihi fluvium aquae vitae, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni: Καὶ ἔδειξέν μοι ποταμὸν ὕδατος ζωῆς λαμπρὸν ὡς κρύσταλλον, ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ θρόνου (1) τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ ἀμνίου.

Si fluvius aquae vivae designat Spiritum Sanctum, certe hic habuemus praeclarum testimonium, et quidem directum et explicitum, circa processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio tanquam ab uno principio. Unitas enim principii optime indicatur per unitatem throni in quo sedent *Deus,* id est Pater, et *Agnus,* id est Filius. Praeterea praepositio ἐκ innuit originem ex aliquo principio, non directe ex *principio quod,* sed ex *principio quo,* ex natura divina prout est in Deo et in Agno, potius quam ex personis spirantibus. Insuper — quod est maximi momenti in disputationibus cum Graecis dissidentibus — adhibetur verbum graecum ἐκπορεύεσθαι ad designandam processionem Spiritus Sancti non solum a Patre, sed etiam a Filio, et quidem cum praepositione ἐκ non cum praepositione διά Graeci enim, inde a Photio, nihil solemnius habuerunt quam ut Latinos provocarent dicendo: « Nullibi in sacra Scriptura, neque in Patrum operibus *ad verbum* legitur: Τὸ πνεῦμα ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ Υἱοῦ (2) Hoc de solo Patre scriptum est apud.

---

(1) Loco ἐκ τοῦ θρόνου unus manuscriptus habet ἐκ τοῦ στόματος.

(2) Vide supra, p. 14, ipsa Photii verba in suo opere *De Mystagogia Spiritus Sancti.*

Joannem, XV, 26. Inde colligimus Spiritum Sanctum a Patre solo, et non a Filio, *vere* et *proprie procedere*, hoc est suum esse, suam existentiam habere. Hanc significationem enim habet verbum ἐκπορεύεσθαι, ubi de divinis dicitur ». Uno verbo, si locus de Spiritu Sancto interpretandus est, invenimus in eo sub figuris et symbolis expressum Latinorum conceptum de Trinitate una cum formula, qua plerumque utuntur: *Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit tanquam ab uno principio.* Tota igitur quaestio est utrum fluvius aquae vivae revera significet Spiritum Sanctum.

Atqui ita est, ut constat tum ex modo loquendi sacrae Scripturae, tum ex interpretatione quorumdam Patrum antiquorum, tum ex sententia non paucorum theologorum et exegetarum recentiorum.

Primum quidem Christus ipse, in Evangelio sancti Joannis, expresse declarat flumen aquae vivae figurare Spiritum Sanctum ejusque gratiam et dona credentibus distributa (1); immo vero dicit se esse fontem hujus aquae (2) illamque si-

---

(1) Joa. VII, 37-39: « In novissimo die magno festivitatis stabat Jesus et clamabat dicens: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae.* Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus (*datus* deest in graeco), quia Jesus nondum erat glorificatus: ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος. Τοῦτο δὲ εἶπεν περὶ τοῦ Πνεύματος οὗ ἔμελλον λαμβάνειν οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν· οὔπω γὰρ ἦν Πνεῦμα, ὅτι Ἰησοῦς οὔπω ἐδοξάσθη ».

(2) Notandum est duplicem esse lectionem loci supra laudati. Multi enim antiqui, praesertim in Occidente, ita legunt, ut flumina aquae vivae fluant non de ventre credentis in Christum, sed de ventre ipsius Christi, punctum ponentes post *qui credit in me.* Sic enim intelligunt: *Si quis, sitit, veniat ad me, et bibat qui credit in me. Sicut dixit Scriptura: Flumina de ventre ejus* (id est *Christi*) *fluent aquae vivae*: In graeco: « Ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με, καὶ πινέτω ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ. Καθὼς εἶπεν ἡ Γραφή· ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτου ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος ». Hanc ultimam lectionem retinet M.-J. Lagrange, *Évangile selon*

tientibus praebere (1). Insuper addit hunc loquendi modum adhiberi in sacra Scriptura (2).

Sacrae Scripturae vestigiis inhaerentes, Patres tum graeci tum latini Spiritum Sanctum cum aqua viva saepe saepius comparant docentque Christum hujus aquae vivae esse fontem. Ita Irenaeus:

« *In omnibus autem nobis Spiritus et ipse est aqua viva, quam praestat Dominus recte in se credentibus* (3).

Athanasius, in *Libro de Incarnatione et contra Arianos* postquam locum Joa. VII, 38-39, et alios laudavit, ita pergit: « In Evangelio autem Filius pollicetur se daturum aquam iis qui in siti ambulant, dum Samaritanae ita de Spiritu Sancto

---

S. Jean, ed. 3, Parisiis, p. 214, utpote antiquiorum Patrum Occidentis auctoritate firmatam, Irenaei scilicet, Hippolyti, Cypriani, Ambrosii, etc., et quia aegre invenitur in Veteri Testamento locus qui lectioni vulgatae respondeat. « Si au contraire le Christ est la source, cela est indiqué par de textes nombreux ». Lagrange, *ibid.*, p. 216. Viennenses et Lugdunenses, ad Christianos Asiae scribentes de martyribus suis, ad Joa. VII, 38-39 necnon ad Apoc.. XXI, 6 et XXII, 1, clare alludunt: « Sanctus inconcussus in confessione perstitit, utpote caelesti fonte aquae vivae, quae ex ventre Christi profluit, perfusus ac firmatus ὑπὸ τῆς οὐρανίου πηγῆς τοῦ ὕδατος τῆς ζωῆς τοῦ ἐξιόντος ἐκ τῆς νηδύος τοῦ Χριστοῦ δροσιζόμενος καὶ ἐνδυναμούμενος ». Eusebius, *Hist. eccl.*, l. V, c. I P. G., t. XX, col 417 A. Cf, Turner, *The Journal of theological Studies*, oct 1922, p. 66-70.

(1) Cf. Joa. IV, 10: « Dedisset tibi aquam vivam ». Apoc. VII, 17: « Quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitae fontes aquarum ». Item *Apoc.* XXI, 6: « Ego sitienti dabo de fonte aquae vitae gratis: ἐγὼ τῷ διψῶντι δώσω ἐκ τῆς πηγῆς τοῦ ὕδατος τῆς ζωῆς δωρεάν ».

(2) Cf. Is. XLIV, 3; Ezech. XXXVI, 25; Joel, II, 28; Zachar. XII, 10; XIII, 1. Paulus ipse ad eamdem figuram alludit in I Cor. XII, 13: « Πάντες ἓν Πνεῦμα ἐποτίσθημεν ». In litteratura rabbinica, aqua viva item figurat Spiritum Dei. Cf. Svvete, *The holy Spirit in the N. T.*, p. 144, n. 2. Londini, 1909.

(3) *Contra haereses*, V, 18, 1. Ita in versione armena et versione latina. Cf. III, 24, 1: « Et in eo disposita est communicatio Christi, id est Spiritus Sanctus... Quapropter qui non participant eum neque a mamillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem ».

loquitur: *Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere, etc...* Et paulo post sic eam affatur: *Omnis qui bibit ex aqua hâc, sitiet iterum, etc....* Eaque de causa ait David: *Quoniam apud te est fons vitae; in lumine tuo videbimus lumen.* Norat enim apud Deum Patrem *Filium esse fontem Spiritus Sancti* » (1).

Ipsum autem fluvium aquae vitae de sede Dei et Agni procedentem de persona Spiritus Sancti expresse interpretatur sanctus Ambrosius in *Libro de Spiritu Sancto,* l. III. c. xx (2). Post Ambrosium, latini theologi eumdem locum haud raro protulerunt ad errorem photianum convellendum (3).

---

(1) « Οἶδε γὰρ παρὰ τῷ Θεῷ Πατρὶ ὄντα τὸν Υἱὸν, τὴν πηγὴν τοῦ ἁγίου Πνεύματος ». P. G., t. XXVI, col. 1000 A.

(2) « Nec illud mediocre quod de throno Dei exire fluvium legimus. Sic enim habet, dicente Joanne Evangelista: *Et ostendit mihi flumen aquae vitae, splendidum tanquam crystallum, procedens de sede Dei et Agni,* etc... Hic est utique fluvius de Dei sede procedens, *hoc est Spiritus Sanctus, quem bibit qui credit in Christum,* sicut ipse ait: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat qui credit in me. Sicut dicit Scriptura: Flumina de ventre fluent aquae vivae* ». P. L., t. XVI, col. 846 B C.

(3) Ita Aeneas Parisiensis in suo *Libro adversus Graecos.* P. L., t. CXXI, col. 702; cf. col. 700; Matthaeus ab Acquasparta, *Tractatus de aeterna Spiritus Sancti processione ex Patre Filioque,* Ad Claras Aquas (Quaracchi), 1895, p. 11: « Amplius Joannes in Apocalypsi ostensum sibi dicit fluvium splendidum tanquam crystallum procedentem de sede Dei et Agni; sicut igitur illa sedes Dei est stabilitas aeternitatis, sic necesse est fluvium illum manantem profluentiam aeternam habere. Si igitur fluvius ille vivificus nihil aliud est quam Spiritus Sanctus, qui omnibus, ad quos pervenit, donat vitam, sicut idem Joannes in Evangelio exponit (c. VI, 64), necessario sequitur quod per revelationem Joannes cognovit Spiritum Sanctum a Patre et Filio simul procedere, cum non sit aliud sedes Dei et Agni quam stabilita tranquillitas aeterni Patris et Unigeniti sui. — Quod si dicat Graecus per illum fluvium designari influentiam charismatum creatorum, advertat quod non est donatio doni gratuiti et creati absque donatione Doni increati, juxta quod dicit Apostolus ad Romanos: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis* (Rom. V, 5)). Non ergo dicitur ob aliud fluvius procedere de sede Dei

Inter Graecos autem praeclarum testimonium habemus Andreae Caesariensis († post annum 600) in suo percelebri *Commentario in Apocalypsim*, qui fluvium aquae vitae tum de aqua baptismatis, tum de ipso Spiritu Sancto intelligit, prout consideratur Ecclesia militans, aut Ecclesia triumphans:

« Per fluvium, inquit, qui in mortali hac vita procedit, regenerationis lavacrum adumbratur. Hoc enim per Spiritum Sanctum motum omnes quotquot in eo abluuntur omni nive ac crystallo puriores nitidioresque reddit. At vero fluvius Dei qui supernam Jerusalem larga aquarum copia irrigat, *est Spiritus Sanctus, qui ex Dei et Patris throno procedit, et per Agnum, per medium supremarum virtutum,* quae divinitatis sedes nominantur, sanctae civitatis plateas replet, nempe multitudinem ejus, quae juxta Psalmistam arenae numerum excedit » (1).

Theologi byzantini unionis amici hoc textu Apocalypsis contra dissidentes haud semel usi sunt; quo ostendebant in

---

et Agni, nisi quia Spiritus Sanctus, in quo et per quem omnia donantur, ex Patre Filioque ab aeterno procedit ». Cf. etiam Adonem Viennensem in *Chronico* (circa annum 850), de concilio Aquisgranensi anno 809 habito: P. L., t. CXXIII, col. 133 A: « Nomen autem processionis a Patre et Filio ita aperte est positum: *Et ostendit mihi fluvium aquae vivae...* ». Eamdem interpretationem habet Rupertus Tuitiensis († 1120) in suo *Commentario in Apocalypsim*, P. L. t. CLXIX, col. 1206-1207: « Ergo flumen istud Dominus est, et vere, quia Spiritus Sanctus est ».

(1) P. G., t. CVI, col. 441 A: « Τὴν δὲ ἄνω Ἱερουσαλὴμ ὁ ποταμὸς τοῦ Θεοῦ ὁ πεπληρωμένος ὑδάτων, τὸ ζωοποιὸν Πνεῦμα διαπορεύεται, ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, καὶ διὰ τοῦ Ἀρνίου, διὰ μέσου τῶν ὑπερτάτων δυνάμεων, αἳ θρόνος τῆς θεότητος ὀνομάζονται, τὰς πλατείας πληροῦν τῆς ἁγίας πόλεως, δηλαδὴ τὸ πλῆθος αὐτῆς ». Vides hunc Graecum repugnare formulae: ἐκ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ ἐκπορευόμενον, quam clare inculcat textus sacer. Inde ejus interpretatio: ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, καὶ διὰ τοῦ Ἀρνίου τὰς πλατείας πληροῦν τῆς ἁγίας πόλεως, quae verbis Scripturae non plene respondet. Nota versionem latinam in P. G. esse mendosam: *qui ex Dei et Patris throno per Agnum procedit.* Caeterum deest critica editio commentarii Andreae.

sacra Scriptura Spiritum Sanctum dici ἐκπορεύεσθαι non solum ex Patre, verum etiam ex Filio, et polemistarum cavillationes circa significationem hujus verbi ἐκπορεύεσθαι retundebant. Ita, inter alios, Joannes Veccus († 1298 (1) et Barlaamus Calaber († 1348), postquam doctrinae catholicae adhaesit (2).

Huc referri possunt verba liturgiae byzantinae in *Officio Pentecostes* de Spiritu Sancto:

« Tu es fluvius divinitatis ex Patre per Filium procedens » (3).

In officio autem vespertino feriae quartae post Pentecosten, Filius Dei homo factus (ὁ Θεάνθρωπος) dicitur *fons aeternus fluvii ineffabilis bonitatis et aquae vivae*, nempe Spiritus Sancti (4).

Inter commentatores recentes qui hunc locum Apocalysis de processione intellexerunt citare possumus Anglicanum

---

(1) In opusculo *De libris suis*, 3, P. G., t. CXLI, col. 1021 CD, Joannes Veccus dicit se hunc locum explicare in *Antirrhetico contra caput* XVI *Georgii Moschabari*, qui nondum editus est. Cf. *Epigraphen* XI, *ibid.*, col. 697-700.

(2) *Probatio per sacram Scripturam quod Spiritus Sanctus et ex Filio est, quemadmodum et ex Patre. Tertium decimum argumentum*, P. G., t. CLI, col. 1327 BC « Ait Joannes in *Apocalypsi*: *Et ostendit mihi fluvium*, etc. In his fluvium aquae Spiritum Sanctum est nominari, Agnum vero Filium Dei; quoniam vero procedit Spiritus Sanctus et ex Filio non inquantum homo est Filius, sed inquantum Deus est et ejusdem sedis Patri, ideo ait procedere fluvium de sede Dei et Agni, quod est de natura illa, qua est Agnus synthronus Patri, ut per hoc significetur Agnum auctorem esse, inquantum ipse Agnus Deus est ».

(3) « Σὺ ποταμὸς θεότητος, ἐκ Πατρος δι' Υἱοῦ προερχόμενος ».

(4) Ἡ πηγὴ ἡ ἀΐδιος, ἀεννάως ἡ βρύουσα ποταμὸν ἀνέκφραστον ἀγαθότητος, ὕδωρ τὸ ζῶν ἀεὶ βλύζουσα, συμφύτως προχέουσα, ταῖς αὐτοῦ ἐπιρροαῖς τὴν ψυχήν μου κατάρδευσον ». **Nota hic agi de processione aeterna Spiritus, quandoquidem Filius dicitur fons *aeternus ab aeterno et semper emanans ac fluens* fluvium bonitatis, aquam vivam.**

H. B. Swete († 1916) (1), et Catholicos J. Lebreton et E. B. Allo. Lebreton haec habet:

« Toute cette doctrine se résume bien dans la vision symbolique de l'Apocalypse: « un fleuve d'eau vive, brillant comme le cristal, procédant du trône de Dieu et de l'Agneau (XXII, 1); telle est, pour saint Jean, la nature et l'origine de l'Esprit: il procède d'une source unique, qui est le trône de Dieu et de l'Agneau; mais d'ailleurs ni le prophète de l'Apocalypse ni l'évangéliste n'oubliera que ce trône n'appartient pas à titre identique au Père et au Fils; l'un possède la divinité comme en étant le principe unique, l'autre comme le recevant de lui en plénitude » (2).

Allo vero interpretationem Andreae Caesariensis suam facit:

« Pour André, ces eaux représentent le baptême dans la vie présente et le Saint-Esprit dans la Jérusalem d'en haut. Nous voyons là avec Swete l'explication la plus exacte, car dans la littérature johannique, l'eau de la vie signifie à la fois le sacrement de la renaissance et le don de l'Eprit-Saint (voir Joh. VII, 38-39). Autrement, il n'y aurait pas de mention du Saint-Esprit dans la dernière partie de l'Apocalipse, qui se relie si étroitement à la première, où l'Esprit paraît

---

(1) *The Apocalypse of St. John*, ed. 3, p. 298, Londini 1917.

(2) *Les origines du dogme de la Trinité*, ed. 2, Parisiis 1910, p. 427. Cf. p. 373: « Dans l'Apocalypse, comme dans son évangile (VII, 39), saint Jean représente l'Esprit sous le symbole de l'eau vive; or c'est le Christ qui la donne (Apoc. XXI, 6); c'est de son trône et du trône de Dieu qu'elle procède: « il me montra un fleuve d'eau de vie, brillant comme le cristal, procédant du trône de Dieu et de l'Agneau (XXII, 1) »; on ne peut s'empêcher de rapprocher ce texte du passage de l'évangile de saint Jean où il est dit que l'Esprit procède du Père, παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται (XV, 26) et reçoit du Fils (XVI, 15)».

sept fois; et ce serait bien étonnant. Ce fleuve qui a sa source dans le trône où siègent Dieu et l'Agneau, c'est Dieu communiqué, la troisième personne divine répresentée par son opération. Ainsi au sommet de Jérusalem nous voyons la Trinité tout entière: le Père pénètre toute la Cité de sa gloire; l'Agneau l'illumine de sa doctrine, l'Esprit-Saint l'arrose et y fait naître partout la vie, d'abord par le sacrement de baptême. Ces images conviennent proportionnellement à la vie présente et à la vie future. Jean s'est abstenu, avec intention peut-être, de placer dans ce verset, non plus que dans le suivant, aucun verbe fini qui en eût restreint l'application à l'avenir » (1).

Ergo, quamvis Apocalypsis liber densis tenebris involvatur veritatemque dogmaticam figuris et symbolis plerumque contegat, loci laudati significatio haud dubie apparet. Quid enim ex throno Dei et Agni procedere possit quod non sit divinum, et Deus ipse, praesertim ubi agitur de caelesti Jerusalem? (2).

---

(1) E. B. Allo, *Saint Jean. L'Apocalypse*, ed. 2, Parisiis, 1921, p. 326. Eumdem locum de processione Spiritus Sancti intelligit etiam J.-P. Secchi in suo opere: *La cattedra Alessandrina di S. Marco evangelista e martyre conservata in Venezia entro il tesoro marciano delle reliquie. Parte quinta dogmatica*, c. I, Venetiis, 1853, p. 246: « Questo tratto della divina rivelazione ha somministrato e somministra alla Chiesa cattolica non solo il dogma della processione eterna dello Spirito santo dal Padre e dal Figlio, ma la formola biblica adottata nel simbolo della fede ».

(2) Graeci dissidentes hujus loci vim contra Photii errorem enervare conati sunt, dicentes hic agi non de persona Spiritus Sancti, sed de ejus gratia et charismatibus. Matthaeus Angelus Panaretus, polemista saeculi XIV, integrum opusculum nondum editum de hoc textu conscripsit: Ἐκ τῆς ἀποκαλύψεως τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ θεολόγου, ὅπερ προφέρουσιν οἱ Λατῖνοι εἰς σύστασιν τοῦ ἰδίου δόγματος, ὅτι καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα. Cf. P. Risso, *Matteo Angelo Panaretos e cinque suoi opuscoli*. Excerptum e commentario *Roma e l'Oriente*, t. IV-VI,

III. — De insufflatione Christi in discipulos post resurrectionem (Joa. XX, 22-23).

Ad vesperum diei Resurrectionis, Christus discipulis apparens dixit eis: *Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.* (Joa. XX, 21-23).

Si hac figurativa insufflatione hisque verbis Christus Spiritum Sanctum discipulis revera tunc contulit eo modo quo persona divina ab alia communicari potest, fatendum est eum non potuisse vividius insinuare ac innuere se esse principium et fontem Spiritus Sancti illumque ab aeterno producere seu spirare. Manifesta enim apparet relatio inter flatum seu spiritum oris Christi et Flamen Dei seu Spiritum Sanctum, inter insufflantem seu spirantem et Spiratum seu τὸ Πνεῦμα.

At vero, reverane Christus Donum increatum seu ipsam personam Spiritus Sancti discipulis tunc communicavit? Negant Graeci dissidentes, non solum ii qui personam divinam quomodocumque mitti aut dari omnino infitiantur, verum etiam qui post Theophylactum (1) et alios concedunt perso-

---

Cryptoferratae, 1914, p. 26. Nilus Cabasilas item, in suo longo tractatu *De processione Spiritus Sancti contra Latinos*, nondum edito, de eodem loco fuse disserit. Cf. *Cod. Vatic.* 1117, saec. XV, fol. 187-194v.

(1) Theophylactus, Bulgariae archiepiscopus († circa finem saec. XI) non solum in *Epistola polemica ad Nicolaum diaconum de iis quorum Latini incusantur*, P. G., t. CXXVI, col. 225-232, verum etiam in suis commentariis exegeticis *In Joannem*, P. G., t. CXXIII, t. CXXIV, col. 297, contendit per insufflatio-

nam Spiritus Sancti, et non solum ejus dona vel charismata, in die Pentecostes missam fuisse et super fideles sub linguarum ignearum figura advenisse.

Non negandum est hic agi de aliqua missione temporali Spiritus Sancti, qua Christus Apostolis contulit potestatem remittendi et retinendi peccata: verum cum dono creato conjunctum est Donum increatum, id est ipsum Spiritum Sanctum (1), ut colligimus tum ex verbis ipsius Christi: *Accipite Spiritum Sanctum*, tum ex aliis Scripturae locis, ubi vidimus dari Spiritum Sanctum, cum ejus dona et charismata donantur, ut in die Pentecostes factum est. Cf. Ad Rom. V, 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis*, ubi certo indicatur donatio Spiritus Sancti.

Caeterum, etiamsi concederemus Spiritum Sanctum qua personam tunc datum non fuisse, valeret tamen locus ad insinuandam processionem aeternam Spiritus Sancti ex Filio, eo quod Christus donum collatum appellaverit *Spiritum Sanctum* illudque per aliquam insufflationem dederit. Ad quid

---

nem Domini Apostolis datam fuisse aliquam potestatem et donum spiritale, scilicet potestatem remittendi peccata, non vero ipsum Spiritum Sanctum: « Si, inquit, tunc dedit discipulis Spiritum quando insufflavit, quomodo postea dixit eis: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancto super vos non post multos hos dies*; vel quomodo in Pentecoste credimus factum descensum Spiritus, si quidem in vespera diei Resurrectionis dedit illum? » In Joa. c. III, 32-34, P. G., t. CXXIII, col. 1224. Cf. *Epist. ad Nicolaum*, t. CXXVI, col. 229-232.

(1) Ex eo quod in textu graeco legitur: Λάβετε Πνεῦμα ἅγιον, et non: τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, possit quis suspicari hic sermonem esse non de persona Spiritus Sancti, se de ejus dono. J. Lebreton, *op. cit.*, pag. 427, n. 1, scribit: « L'absence d'article indique que le sens est ici moins nettement personnel que dans le discours après la Cène: il s'agit ici de la grâce de l'Esprit plus que de la personne de l'Esprit ». Hoc concedi potest, scilicet quod *in recto* donum spirituale intenditur; sed non excluditur *fons doni*, immo vero supponitur.

enim ista insufflatio nisi ad significandam et revelandam rem arcanam ac mysterio plenam, id est ipsam processionem aeternam Spiritus Sancti a Filio?

Nostrae interpretationi suffragatur auctoritas Ecclesiae et Patrum tum graecorum tum latinorum. In memoriam primum revocandum est anathema XII concilii oecumenici V (553) contra Theodorum Mopsuestenum, in quo haec inter alia leguntur:

« Si quis defendit impium Theodorum Mopsuestenum.... qui ausus est dicere, quod post resurrectionem, cum insufflasset Dominus discipulis et dixisset: *Accipite Spiritum Sanctum*, non dedit eis Spiritum Sanctum, sed figuratim tantummodo insufflavit... talis anathema sit » (1).

Ad Patres autem quod attinet, sufficiant tria quatuorve testimonia inter multa. Primus audiatur Athanasius:

« Ait ipse Dominus: *Paracletus non loquetur a semetipso, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis;* item, cum insufflasset, *ex seipso dedit illum discipulis suis* eoque facto illum Pater effudit super omnem carnem » (2).

Cyrillus Alexandrinus haud semel asserit Christum, insufflando in Apostolos, illis revera dedisse Spiritum Sanctum et insufflationem signum ac figuram fuisse processionis sub-

(1) Denzinger B., n. 214: « οὐ δέδωκεν αὐτοῖς Πνεῦμα ἅγιον, ἀλλὰ σχήματι μόνον ἐνεφύσησε ». Non auderem tamen asserere illum sub concilii anathemate incidere qui negaret personam ipsam Spiritus Sancti datam tunc fuisse. Ideo enim Theodorus damnatur, quia dixit Christi insufflationem omni efficacia spirituali vacuam illamque merum gestum exteriorem ac figurativum fuisse. Nota concilium non addere articulum ante Πνεῦμα ἅγιον

(2) *Epist. III ad Serapionem*, l. P. G., t. XXVI, col. 625 A: « Καὶ ἐμφυσήσας δέδωκεν ἐξ αὐτοῦ τοῦτο τοῖς μαθηταῖς ». Paulo infra col. 628 C, Spiritus Sanctus vocatur *halitus Filii*, πνοή ἐστι τοῦ Υἱοῦ. Cf. *Epist. I ad Serapionem*, 19, *ibid.*, col. 376 B: « Καὶ τοῦ Πνεύματος δεδομένου εἰς ἡμᾶς· " Λάβετε γὰρ Πνεῦμα ἅγιον ", ἔλεγεν ὁ Σωτήρ ».

stantialis Spiritus Sancti ex Filio. Ipsum textum evangelicum commentans, Theophylacti et aliorum Graecorum difficultatem ad hunc locum solvit dicens ideo Christum in discipulos insufflasse illisque Spiritum Sanctum dedisse, ut ostenderet non solum Patrem, sed seipsum etiam esse Spiritus Sancti largitorem, utpote qui omnia habeat quae Pater habet (1). Alibi vero haec subjicit.

« Idcirco Christus insufflavit corporaliter, ostendens quod sicut ex ore humano spiritus prodit corporaliter, sic et ex divina substantia deitati convenienter *Spiritus qui ex eo est* profunditur. Cum ergo Spiritus ipse Dei Patris sit ac Filii, quomodo non unam omnino habebunt substantiam et distincte simul atque conjunctim » (2).

Pro Latinis autem loquatur S. Augustinus:

« Cur ergo, inquit ille, non credamus quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filii quoque sit Spiritus? Si enim non ab ipso procederet, non post resurrectionem se repraesentans, discipulis suis insufflasset. dicens: *Accipite Spiritum Sanctum. Quid enim significavit illa insufflatio, nisi quod procedat Spiritus Sanctus et de ipso?* » (3).

---

(1) *In Joannis evangelium*, l. XII, P. G., t. LXXIV, col. 709-717. Totus commentarius legendus est. Notamus tantum haec verba: « Κατοικίζει πάλιν τὸ ἴδιον Πνεῦμα Χριστὸς ἐν τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς. Ἔδει γάρ, ἔδει κἀκεῖνο πρὸς τούτῳ νοεῖν, ὅτι τοῦ Πνεύματός ἐστι χορηγὸς καὶ δοτήρ. Τοιγάρτοι καὶ ἔφασκεν ὅτι "Πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατὴρ ἐμά ἐστιν". Ἔχει δὲ ὁ Πατὴρ ἐξ ἑαυτοῦ καὶ ἐν ἑαυτῷ τὸ ἴδιον Πνεῦμα· ἔχει τοῦτο ἐν ἑαυτῷ καὶ ὁ Υἱός, ἐπείπερ ἐστὶν ὁμοούσιος αὐτῷ ».

(2) *In Joannem*, l. IX, *ibid.*, col. 257 C D: « Διὰ γάρ τοι τοῦτο σωματικῶς ἐνεφύσησεν ὁ Χριστὸς, δεικνὺς ὅτι καθάπερ ἐκ στόματος τοῦ ἀνθρωπίνου πρόεισι τὸ πνεῦμα σωματικῶς, οὕτω καὶ ἐκ τῆς θείας οὐσίας θεοπρεπῶς προχεῖται τὸ Πνεῦμα τὸ ἐξ αὐτοῦ ». Cf. *Thesaurum*, P. G., t. LXXV, col. 584-585: « Ὅτε τοίνυν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν ἡμῖν γενόμενον συμμόρφους ἀποδεικνύει Θεοῦ, πρόεισι δὲ καὶ ἐκ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, πρόδηλον ὅτι τῆς θείας ἐστὶν οὐσίας, οὐσιωδῶς ἐν αὐτῇ καὶ ἐξ αὐτῆς προϊόν ».

(3) *In Joa. tract.* XCIX, 6: P. L., t. XXXV, col. 1888; cf. *De Trinitate*, l. IV, c. XX, 29.

ART. II. — DE MISSIONE ET DATIONE SPIRITUS SANCTI TUM A PATRE, TUM A FILIO.

In sacra Scriptura legimus Spiritum Sanctum mitti et dari tum a Patre, tum a Filio (1). Legimus item Filium mitti et dari a Patre (2); nusquam vero ibidem invenimus sive Patrem mitti vel dari ab alia persona, sive Spiritum Sanctum mittere vel dare Patrem aut Filium. Exinde jure colligimus missionem vel dationem unius personae divinae ab alia supponere originem seu processionem personae missae vel datae a persona dante vel mittente.

Hujusmodi inductio ex sacra Scriptura sumpta confirmatur ipsa notione missionis vel dationis. Missio enim, quae proprie non dicitur nisi inter personas, non solum importat realem distinctionem inter eum qui mittit et eum qui mittitur, sed etiam aliquam auctoritatem, aliquem influxum realem mittentis in missum. Mittitur autem aliquis ad aliquid operandum in loco ubi non erat prius. Iam vero si notionem missio-

---

(1) Cf. Joa. XIV, 26: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo;* Joa. XV, 26: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre* (παρὰ τοῦ Πατρός: *d'auprès du Père,* ou: *de la part du Père*). Vides parallelismum inter utrumque locum. Cf. etiam Joa. XIV, 16: *Rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis;* Joa. XVI, 7: *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos;* Luc. XXIV, 49: *Et ego mitto promissum Patris in vos;* Gal. IV, 6: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra;* I. Joa. III, 24: *De Spiritu suo dedit nobis;* Rom. V, 5: *per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis;* Joa. XX, 21-23: *Accipite Spiritum Sanctum;* Joa. VII, 38-39; Apoc. XXI, 6.

(2) Cf. Joa. III, 16, 17: *Sic Deus dilexit mundum,* etc.; Joa. V, 23; Gal. IV, 4.

nis personis divinis accommodare tentemus, ad hanc conclusionem devenimus. scilicet quod persona divina ab alia mitti non possit nisi quatenus suam originem habet seu procedit a persona mittente. Nulla enim alia dependentia, nullus alius influxus cogitari potest inter personas divinas nisi ille qui fundatur in origine seu processione. Unde ratiocinando devenimus ad conclusionem in sacra Scriptura insinuatam, scilicet: 1°) quod illa sola persona divina mitti potest quae procedit ab alia; 2°) quod illa sola mittere potest quae aliam habet a se procedentem. Ad terminum autem seu scopum missionis quod attinet, patet personam divinam moveri non posse localiter, cum sit ubique praesens. Potest autem *incipere esse novo modo* ubi jam prius erat ratione attributi immensitatis, per productionem alicujus novi effectus in creatura. Hic autem novus effectus, qui nullam mutationem in personam divinam inducere potest, cum sit operatio ad extra, pertinet non solum ad personam missam, sed etiam ad personam mittentem, estque tribus personis communis. Unde missio in divinis. ex parte *termini a quo,* importat originem seu processionem aeternam personae missae a persona mittente; ex parte vero *termini ad quem seu objecti missionis,* importat novum existendi modum in creatura, connotantem aliquem realem effectum in ea (1). Hic autem novus existendi modus

---

(1) Ad rem S. Thomas, *S. Theol.,* I, q. XLIII, a. 1: « In ratione missionis duo importantur; quorum unum est habitudo missi ad eum a quo mittitur; aliud est habitudo missi ad eum a quo mittitur. Per hoc autem quod aliquis mittitur, ostenditur processio quaedam missi a mittente vel secundum imperium, sicut dominus mittit servum; vel secundum consilium, ut si consiliarius mittere dicatur regem ad bellandum; vel secundum originem, ut si dicatur quod flos emittitur ab arbore. Ostenditur etiam habitudo ad terminum ad quem mittitur, ut aliquo modo ibi esse incipiat, vel quia prius ibi omnino non erat, vel

cum effectu consequente in creatura, quamvis speciatim personae missae tribuatur per appropriationem, reapse tribus personis communis est, nisi tamen agatur de missione visibili, in qua aliquid esse potest quod uni tantum personae congruat, ut patet in missione visibili Filii per Incarnationem (1).

De datione autem unius personae ab alia, eadem est ratio ac de missione (2). Nemo enim dat quod non habet. Atqui solus modus quo persona divina possit aliam personam habere ut aliquid sibi proprium quod dare possit, est modus per viam originis. Unde Filius dicitur proprius Patris, et Spiritus Sanctus proprius Spiratoris, id est Patris et Filii quatenus sunt unus spirator vel duo spirantes.

Validum est ergo argumentum ex sacra Scriptura dedu-

---

quia incipit ibi aliquo modo esse quo prius non erat. Missio igitur divinae personae convenire potest secundum quod importat ex una parte processionem originis a mittente, et secundum quod importat ex alia parte novum modum existendi in alio ».

(1) « In missione visibili distinguere oportet efformationem signi, signi ordinationem ad rem manifestandam, et ipsam rei significatae manifestationem. Sic in Incarnatione, aliud est efformatio humanitatis Christi, aliud unio illius ad solam Verbi personam, aliud manifestatio Verbi per carnem illi unitam; item in missione Spiritus Sancti supra Christum aut apostolos, aliud est efformatio columbae aut linguarum, aliud columbae aut linguarum ordinatio ad Spiritum manifestandum; aliud tandem ipsa Spiritus per columbam et linguas manifestatio. Ex his porro tribus duo priora, cum sint aliquid ad extra reale, sunt opus commune trium personarum...; at per haec missio visibilis tantummodo praeparatur; nam consequenter tantum ad illam trium operationem et ordinationem voluntariam, solus Filius manifestatur in carne solusque Spiritus per columbam, aut per linguas igneas ». P. Galtier, *op. cit.*, p. 325-326.

(2) Adest sane differentia inter actum mittendi et actum donandi, quatenus aliquis potest dare seipsum, dum non dicimus aliquem mittere seipsum, quamvis Latini, post Ambrosium et Augustinum, saepe dixerint Patrem, vel Filium, vel Spiritum mittere seipsos; sed hic loquendi modus est improprius. Ubi autem agitur de donatione personae divinae per aliam, eadem est ratio missionis et donationis quantum ad *terminum a quo* missionis vel donationis.

ctum: *Spiritus Sanctus mittitur et datur tum a Patre tum a Filio. Ergo ab utroque aeternaliter procedit.*

Difficultas.

Aliqua difficultas inde oritur, quod in sacra Scriptura Spiritus Sanctus videtur mittere Filium. Legitur enim apud Isaiam, XLVIII, 16: *Et nunc Dominus Deus misit me et spiritus ejus* (1). Item in eodem Isaia, LXI, 1: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me*: *ad annuntiandum mansuetis misit me* (2); quae, ut de seipso dicta, sibi accommodavit Christus in synagoga Nazareth (Luc. IV, 18-41) (3). His locis ac praesertim primo moti, Patres quidam, ut Didymus Alexandrinus (4), Ambrosius (5), Anastasius Antiochenus (6),

(1) Apud LXX Interpretes: « Καὶ νῦν Κύριος ἀπέστειλέ με καὶ τὸ Πνεῦμα αὐτοῦ »

(2) Apud LXX: « Πνεῦμα Κυρίου ἐπ'ἐμέ, οὗ εἵνεκεν ἔχρισε με ».

(3) Lucas habet lectionem LXX Interpretum.

(4) *De Trinitate*, l. II, 9; III, 38: P. G., t. XXXIX, col. 629 C, 977 C; cf. col. 500 A; *Liber de Spiritu Sancto*, 26, *ibid.*, col. 1057 B. Ad hanc doctrinam adductus est Didymus propter rationem apologeticam, nempe ut a difficultate se expediret, quam haeretici ex missione Spiritus Sancti a Patre vel a Filio movebant contra ejusdem divinitatem. Cf. infra, p. 133, n. 4.

(5) *De Spiritu Sancto*, l. III, c. I, 8: « Ergo et Pater Filium misit, et Spiritus. Spiritum quoque et Pater misit, et Filius... Si ergo se invicem Filius et Spiritus mittunt, sicut Pater mittit, non subjectionis injuria, sed communitas potestatis est ». P. L., t. XVI, col. 811 B. Nota Ambrosium in hac quaestione sicut et in multis aliis, a Didymo pendere.

(6) *Oratio I de rectis dogmatibus veritatis seu de Trinitate*, 22, P. G. (latine tantum), t. LXXXIX, col. 1325 A: « Neque vero, quia mittitur Spiritus Sanctus, minorem Patre et Filio secundum substantiam putamus: apage! nemo hoc suspicetur; non enim ut minister mittitur, sed ut consubstantialis et aequalis honoris et συμφυές. Siquidem et ipsum Filium missum esse didicimus non solum a Patre, sed ab Spiritu Sancto, sicut ipse dixit per Isaiam: *Et nunc msit me Do-*

concilium Toletanum XI (a. 675) (1) et alii (2) Filium, etiam qua Deus est, a Spiritu Sancto mitti docuerunt; quod totam vim argumenti ex missione desumpti ad probandam processionem Spiritus Sancti etiam a Filio enervat ac convellit.

Ad hanc difficultatem melior responsio erit illam falso niti fundamento. Primus enim Isaiae locus intelligendus est non de Filio ut Deo, sed de ipso Isaia propheta (3), aut de Filio ut homine (4).

---

minus et Spiritus ejus ». Cf. infra, p. 133. Valde probabile est etiam Anastasium a Didymo pendere.

(1) Denzinger, n. 285: « Missus tamen Filius non solum a Patre, sed a Spiritu Sancto credendus est, in eo quod per prophetam dicit: *Et nunc misit me Dominus et Spiritus ejus*. A seipso quoque missus accipitur, pro eo quod inseparabilis non solum voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur ».

(2) S. Fulgentius, in *Libro* II, c. 6, *ad Monimum*, P. L., t. LXV, col. 184-185, idem docere videtur: « Sicut a Patre et Filio missus legitur Spiritus Sanctus, sic a Patre et Spiritu missus invenitur et Filius ». Laudat Is. LXI, 1, Luc. IV, 18, et Is. XLVIII, 16. Verum alibi, *Contra Fabianum* 29, *P. L., ibid.*, col. 797, veram missionis divinae notionem, debitis distinctionibus positis, omnino diserte declarat. Cf. infra, p. 213-214. Falso etiam quis inter hujus opinionis sequaces Augustinum recenseret, ut facere videntur tum Petavius, *De Trinitate*, l. VIII, c. I, 12, ed. L. Vivès, Parisiis, 1865, t. III, p. 430, et T. de Régnon, *Etudes sur la sainte Trinité*, t. IV, p. 516-518. Cf. quae infra dicimus, p. 208-209. Haud pauci etiam Scholastici de missione divina sat obscure loquuntur. Solutio S. Thomae (cf. *S. Theol.*, q. 43, a. 8), qua distinguit inter terminum a quo et terminum ad quem missionis, non valet pro Patribus supra citatis. Fatendum est notionem perfectam missionis nonnisi gradatim a theologis elaboratam fuisse. Ipsa locutio *mittere seipsum*, quam habet Augustinus et post eum multi alii, est modus loquendi omnino improprius.

(3) « Haec porro expositio sola verbis apte respondet, seque aliquis alius nisi ipse propheta ita ex abrupto potest induci loquens, neque alius ita simpliciter de se dici potest se missum esse a Deo et spiritu ejus. Eo enim ipso quo *spiritus* Dei mentio fit, jam munus propheticum aliqua ratione nobis ostenditur, cum eo modo praecipuo quodam jure istud munus describatur ». J. Knabenbauer, *Commentarius in Isaiam prophetam*, Parisiis, 1887, p. 223.

(4) Ita S. Hieronymus et alii. De interpretatione Cyrilli Alexandrini et Basilii vide infra, p. 141 et 154.

Caeterum notum est in Veteri Testamento, ubi de *Spiritu Dei* agitur, essentiam Dei vel virtutem Dei moventem et vivificantem significari, non vero personam divinam distinctam. In secundo autem loco, prout legitur apud LXX et apud Lucam, IV, 18, actio ungendi et mittendi non ad *Spiritum Domini*, sed ad *Dominum* haud aegre refertur, sicut hoc expresse ponitur tum in textu hebraico, tum in Vulgata latina apud Isaiam, et sic evanescit difficultas. Hunc autem alterum locum non ad Filium ut Deum, sed ad ipsum ut hominem spectare ex contextu manifesto constat. Non enim ut Deus, sed ut homo Filius ungitur.

Multo autem gravius circa primum locum erravit Photius in *Quaestionibus Amphilochianis* (159 et 188), ubi verba Scripturae refert non ad Filium, sed ad ipsum Patrem, ita ut Pater appareat ut a Filio et a Spiritu Sancto missus; quem interpretationem auctoritate Joannis Chrystomi fulcire nititur, in hoc dupliciter errans (1).

---

(1) P. G., t. CI, col. 837, 909-913. Auctoritas sancti Joannis Chrysostomi desumitur ex quadam *homilia de Spiritu Sancto,* inter spurias a criticis merito relata. Locus laudatus sic se habet: « Si tibi ostendero Conditorem caeli et terrae missum a Spiritu et a Filio (ἀποστελλόμενον παρὰ τοῦ Πνεύματος καὶ παρὰ τοῦ Υἱοῦ) quid facies? » Sic legit Photius. In textu autem edito in collectionibus Patrum, v. g., in *P. G.* t. LII, col. 268 *in medio,* verba καὶ παρὰ τοῦ Υἱοῦ, desunt. Insuper verum non est quod dicit Photius, scilicet τὸν ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, apud Pseudo-Chrysostomum designare personam Patris. Ex toto enim contextu apparet conditorem caeli esse Filium, Filium autem mitti non secundum divinitatem sed secundum humanitatem. Siquidem hic Pseudo-Chrysostomus negat personas divinas proprie mitti posse: ἡ δωρεὰ πέμπεται, τὸ δὲ Πνεῦμα οὐκ ἀποστέλλεται. *P. G., ibid.* Inter Graecos posteriores nullus fere locum Isaiae de missione Patris intellexit, sed tantum de missione Filii. Concedit tamen Photius Patrem rarius mitti et frequentius mittere, quia est principium. *Loc. cit.,* col. 912.

De notione missionis apud Graeco-Russos.

Nullam accuratam missionis divinae notionem apud Graeco-Russos dissidentes invenies. Tota eorum de hac quaestione speculatio polemicam habuit originem; siquidem, quando de divinis missionibus agunt, hoc unice fere sibi proponunt, ut vim argumenti enervent, quod ex missionibus catholici theologi conflant ad probandum Spiritum Sanctum etiam a Filio existentiam habere.

Primum quidem negant missionem, quam vocant *processionem temporalem*, nexum necessarium importare cum processione aeterna, hanc imitari, manifestare et quasi reproducere ad extra. Processio temporalis unice respicit effectum creatum in creatura productum. Est quid prorsus accidentale et extrinsecum, ad ordinem historicum pertinens, cujus scopus, *ad terminum a quo quod attinet*, manifestatio est externa personae missae a persona mittente.

Caeterum, circa ipsam indolem hujus externae manifestationis inter se non conveniunt. Includitne ista manifestatio realem largitionem personae missae a persona mittente creaturae factam, ita ut, praeter donum gratiae creaturae justificatae collatum, fiat etiam communicatio doni increati, id est ipsius personae divinae, quae novo modo novoque titulo in creatura existere incipiat? Huic quaestioni non unum dederunt responsum: *Ante controversiam palamiticam, plerique* non omnes, *docuerunt in missione ipsam personam divinam creaturae communicari. Post hanc controversiam, plerique* non omnes, *tenuerunt personam divinam nullo pacto dari vel communicari, et nihil aliud in missione viderunt quam operationem tribus personis communem, qua creaturae communi-*

catur gratia, quae, juxta Palamae systema, increata pronuntiatur habeturque ut quaedam effulsio aeterna et increata divinae essentiae. Ipsa haec operatio est manifestatio Patris et Filii et Spiritus Sancti, et non tantum personae missae vel mittentis. Cum enim, juxta Gregorium Palaman, essentia divina et ipsae personae divinae sint ex se prorsus inaccessae, imparticipabiles et incommunicabiles, missio personae divinae intelligi non potest nisi de operatione Trinitati communi, speciatim vero de hac operatione, quae nomen habet *gratia.* Cum autem operatio ista, sicut et omnes aliae Dei operationes, sit aliquid divinum, increatum et aeternum, a divina natura realiter quidem distinctum, ab ea vero revera inseparabile, sequitur missionem aliquo pacto vocari posse *processionem* (πρόοδον) *aeternam.* Hujusmodi autem aeterna processio, quae in tempore manifestatur, est solummodo *secundum operationem,* κατὰ τὴν ἐνέργειαν, *non secundum naturam,* κατὰ τὴν φύσιν, *nec secundum subsistentias seu personas,* κατὰ τὰς ὑποστάσεις. Respicit creaturas, *est ad extra;* non respicit personas nec processiones ad intra. Duplex ergo distinguenda est processio aeterna, una secundum subsistentiam personarum in essentia divina; altera secundum operationem essentiae, quae tribus personis communis est. Ubi Scriptura dicit unam personam ab alia mitti, hoc nullatenus significat personam missam creaturae communicari, creaturam inhabitare speciali modo ac titulo; hoc enim omnino impossibile est. Hujusmodi missio nihil aliud indicat nisi manifestationem externam et temporalem illius operationis aeternae et increatae quae *gratia* vel *dona Spiritus* appellatur; quae quidem tribus personis communis est, communicatur autem animabus dignis, vel potius eas attingit, ad eas se extendit, sicut lux cujusdam solis aeterni, quae certo temporis

momento novam regionem, novas res prius in tenebris positas illuminat.

In hac speculatione seu conceptione, sequentes locutiones Scripturae vel Patrum: *Spiritus Sanctus a Filio mittitur, prodit, profunditur* vel *effunditur, ex Filio est, elucet,* etc., significant quidem aliquam *processionem aeternam* Spiritus Sancti a Filio, sed non in ordine ad existentiam personalem Spiritus. Hujusmondi processio fit tantum secundum operationem, κατὰ τὴν ἐνέργειαν, in ordine ad sanctificationem creaturae, et ut talis non potest non esse tribus personis communis. Quatenus autem respicit creaturam, seu quantum ad terminum ad quem, potest etiam dici *processio temporalis.* In se spectata est revera quaedam *ostensio* et *manifestatio trium personarum* sub aspectu quo personae manifestari et cognosci possunt, nempe per aeternam earum operationem, quae creaturas attingit easque sanctificat (1).

Notandum est quosdam antiquos, inter illos praesertin qui ad Scholam Antiochenam pertinent, negasse personam divinam proprie mitti et animae fideli per novum praesentiae modum communicari; de quibus quaedam infra dicemus. Inter latinos theologos item aliqui, ut Ripalda (2), et Viva (3), communicationem doni increati seu personae divinae in justificatione negare videntur, et in missione nihil aliud invenire nisi largitionem gratiae et donorum creatorum. Persona divina, quae mittitur, juxta illos, per aliquem novum modum in anima non fieret praesens, sed in ea habitaret *virtute* tan-

(1) De notione missionis apud Graeco-Russes fuse agimus in t. II *Theologiae Orientalium,* p. 233-247.

(2) *De ente supernaturali,* disp. 132, n. 95.

(3) *De gratia,* disp. IV, q. III, n. 4.

tum et praesentia omnibus creaturis communi (1). Haec opinio ab omnibus theologis catholicis hodie rejicitur ut falsa, propositionemque asserentem in missione invisibili non dona creata tantum, sed ipsas personas divinas seu *donum increatum substantialiter donari* communiter tradunt ut theologice certam; et jure quidem, cum tum Scriptura tum Patres hoc perspicue innuant.

Art. III. — De duobus testimoniis dogma catholicum explicite asserentibus cum aliquo respectu ad missionem temporalem Spiritus Sancti.

In evangelio sancti Joannis duo occurunt loci probantes *explicite* Spiritum Sanctum tum a Patre tum a Filio procedere seu ab utroque suum esse habere; quorum primus directe est de processione a Patre, et indirecte de processione a Filio; alter, e contra, ad processionem a Filio directe refertur, indirecte vero ad processionem a Patre. Uterque autem non significat processionem aeternam Spiritus Sancti *nisi mediante ejus processione ad homines seu missione temporali*, ita ut, si cum Graeco-Russis dissidentibus supponamus missionem temporalem personae divinae non connecti necessario cum ejus processione aeterna nec in ea fundari, sed aliquid diversum innuere, hujusmodi testimonia evangelica, quae ipsius Christi

(1) « Haec alligatio et unio communis est omni creaturae per actionem qua fit a Deo; quippe haec actio vindicat, Deum assistentem et indistantem a creatura, cujus ratione, etiamsi Deus non esset immensus, tamen esset assistens et praesens rebus quas fabricatur ». Ripalda, *loc. cit.* Cf. Pesch, *op. cit. t. cit.*, p. 414-416. Notat tamen hic auctor, *ibid.*, p. 409, rem cum Ripalda et Viva potius esse de modo loquendi quam de doctrina ipsa; quae interpretatio *forsitan benignior est.*

verba nobis referunt, suam vim demonstrativam amittant tam pro origine Spiritus a Patre quam pro ejusdem a Filio processione.

I. — *De verbis Christi*: « *Paraclitus, quem ego vobis mittam a Patre... qui a Patre procedit* ». (Joa. XV, 26).

Primus locus sic se habet in textu originali:

« Ὅταν ἔλθῃ ὁ Παράκλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ Πατρός, τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ ». (Joa. XV, 26).

Hic est textus celeberrimus, quem Graeci dissidentes Latinis semper objecerunt, quasi dogmati catholico de processione aeterna Spiritus Sancti etiam a Filio aperte contradiceret. Imprimis enim simplicem Christi affirmationem: *Qui a Patre procedit* in propositionem exlusivam transmutarunt: *Qui a Patre* SOLO *procedit;* quod est contra grammaticae et sanae interpretationis leges, praesertim ubi agitur de personis divinis. Notum est enim in Novo Testamento de una persona divina vel de duabus haud raro aliquid simplicitur affirmari, quod de omnibus certo tenendum est (1).

(1) Cf. v. g., Matth. XI, 27: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius.* Hic habemus *dictionem exclusivam,* et tamen Spiritus Sanctus non excluditur neque a cognitione Patris neque a cognitione Filii. A fortiori Filius non excluditur a processione Spiritus Sancti per dictionem simpliciter affirmativam. Ut dicit S. Thomas, *S. Theol.*, I, q. XXXVI, a. 2 ad 1: « Etiam in sacra Scriptura tenendum est quod id quod de Patre dicitur oportet de Filio intelligi, etiamsi dictio exclusiva addatur, nisi solum in illis in quibus Pater et Filius secundum oppositas relationes distinguuntur... Sic igitur, cum dicitur quod Spiritus Sanctus a Patre procedit, etiamsi adderetur quod a solo Patre procedit, non excluderetur inde Filius, quia quantum ad hoc quod est esse principium Spiritus Sancti, non opponuntur Pater et Filius, sed solum quantum ad hoc quod hic est Pater et ille Filius ». Cf. etiam Joa. XVII, 3: « *Haec est*

Deinde non adverterunt in hoc ipso loco Christum suam, ut ita dicam, auctoritatem in Spiritum Sanctum indicare, dum dicit: *Quem ego mittam vobis a Patre.* Missio divina enim, ut supra ostendimus, relationem originis supponit inter personam mittentem et personam missam.

Demum iidem contendunt verba: *Qui a Patre procedit* ita de Spiritu Sancto dici, ut de sola ejus processione aeterna a Patre intelligenda sint sine ullo respectu ad temporalem ejus adventum seu missionem apud homines (1). Nos autem tenemus haec verba, prout leguntur in textu originali, asserere quidem processionem aeternam Spiritus a Patre, sed non tam *in recto* quam *in obliquo.* In recto enim directe referuntur *ad profectum futurum Paracliti e domicilio seu e sinu Patris ad testimonium perhibendum de Filio inter homines,* Indirecte autem affirmatur processio aeterna Spiritus a Patre, quatenus Spiritus *est, manet apud Patrem,* et dicitur proficisci *ex « apud Patrem » tamquam ex quodam domicilio proprio,* quod importat processionem seu originem a Patre. Igitur haec locutio metaphorica directe alludit ad missionem temporalem Spiritus, ita tamen ut clare insinuet processionem immanentem a Patre.

Textus graecus attente perscrutandus est: « ὃ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται ». Animadverte primum adhiberi non prae-

---

autem vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. Item, Joa. XIV, 23: *Si quis diligit me..., et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus.*

(1) Plerique cum Macario Bulgakov dicunt: « Adest in sacra Scriptura locus clarus directe enuntians Spiritum Sanctum a Patre procedere; deest vero in eadem Scriptura locus *expresse* dicens Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere. In affirmatione dominica sistere debemus et nihil amplius addere, ulterius non progredi ». *Theologia dogmatica orthodoxa* (russice), ed. 4, Petropoli, 1883, t. I, p. 268.

positionem ἐκ, quae ex se indicat originem, sed praepositionem παρά cum genitivo, quae non usurpatur nisi ad significandas relationes *inter personas jam existentes et in suo esse constitutas.* Ponitur praesertim post verba *accipere* et ejus synonyma, *discere, cognoscere, interrogare, poscere, venire, proficisci ex apud aliquem,* vel *venire, proficisci de mandato alicujus, mitti ab aliquo.* Non indicat autem originem proprie dictam (1). Unde Filius non dicitur in Symbolo Nicaeno et aliis symbolis: « γεννηθέντα παρὰ τοῦ Πατρός », sed « γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρός » (2). Item ubi concilia et Patres processionem aeternam Spiritus a Patre significare voluerunt, loco praepositionis παρά, quae legitur in textu evangelico, posuerunt praepositionem ἐκ: « ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον ». Ita habemus in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano et aliis symbolis huic affinibus necnon in pluribus Patrum Graecorum scriptis. Adest ergo aliqua sensus differentia inter « παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται » et: « ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται », quae non apparet in versione latina: *Qui a Patre procedit,* quando-

(1) Quidam existimant praepositionem παρά indicare originem in duobus locis evangelii Johannis, scilicet I, 14 et VI, 46. In primo habemus: « ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ Πατρός ». Aliqui vertere volunt: *quasi Unigeniti qui a Patre procedit.* Verum παρὰ Πατρός refertur ad δόξαν: *gloire comme celle qu'un fils unique tient de son père.* « On ne saurait entendre παρὰ Πατρός d'une filiation, comme a fait Origène, ait Lagrange, *Evangile selon saint Jean,* ed. 3, Paris, 1927, p. 23; en effet παρὰ Πατρός ne peut signifier la filiation. C'est donc le gloire qui appartient au Fils et qui lui convient comme Fils, que le Père ne pouvait pas manquer de lui donner ». Locus alter sic sonat: « οὐχ ὅτι τὸν Πατέρα ἑώρακέν τις εἰ μὴ ὁ ὢν παρὰ τοῦ Θεοῦ ». Iterum ibi quidam invenire volunt indicationem processionis aeternae. Sed ex contextu patet haec verba ita esse vertenda: « Ce n'est pas que personne ait vu le Père, *si ce n'est celui qui est d'auprès de Dieu,* c'est-à-dire *qui vient, qui est venu d'auprès de Dieu* ». Ut dicit Lagrange, *op. cit.,* p. 182: « Jésus se donne seulement comme le révélateur suprême *envoyé d'auprès de Dieu* ».

(2) Cf. Joa. III, 5, 6, 8: « Ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ Πνεύματος... τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκός... πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ Πνεύματος ».

quidem praepositio latina *a* vel *ab* praepositioni παρά cum genitivo non plene respondet sed multo latius patet. Unde mirum non est Latinos nostros hanc subtilem differentiam non animadvertisse et textum evangelicum nonnisi de processione aeterna Spiritus interpretatos fuisse (1). Graeci vero de missione temporali, in hoc textu directe significata, ad processionem aeternam, quae huic primae significationi intime subjacet, sensim transierunt, praepositionem παρά in praepositionem ἐκ mutantes; illorum vero neminem novimus qui ante controversiam de hac quaestione exortam verba Christi, prout in Evangelio ponuntur, de missione temporali intelligi posse expresse negaverit; quin immo quosdamPatres invenimus huic interpretationi haud dubie suffragantes, ut Athanasius (2), Anastasius Antiochenus (3) et inter Latinos Afer Marius Victorinus (4).

Nec dicas processionem aeternam inde directe indicari, quod verbum ἐκπορεύεται in praesenti tempore usurpatur, quod aeternitati omnino congruit. Notum est enin apud auctores Novi Testamenti praesens pro futuro saepe adhiberi, praesertim cum verbis ἔρχομαι, πορεύομαι et aliis motum localem notantibus (5).

---

(1) Loquimur de antiquioribus, quia, ut infra dicimus, haud pauci Latini nostrae interpretationi plus minusve suffragantur.

(2) *Epist. ad Serapionem,* I, 20, P. G., t. XXVI, col. 580: « Μίαν εἶναι δεῖ τελείαν καὶ πλήρη τὴν ἁγιαστικὴν καὶ φωτιστικὴν ζῶσαν ἐνέργειαν αὐτοῦ [= τοῦ Υἱοῦ] καὶ δωρεάν, ἥτις ἐκ Πατρὸς λέγεται ἐκπορεύεσθαι, ἐπειδὴ παρὰ τοῦ Λόγου, τοῦ ἐκ Πατρὸς ὁμολογουμένου, ἐκλάμπει καὶ ἀποστέλλεται καὶ δίδοται ». Vides Athanasium in his verbis invenire tum processionem aeternam Spiritus a Patre et Filio, tum ejusdem missionem temporalem.

(3) Vide infra, p. 175.

(4) Vide infra, p. 199.

(5) F. M. Abel, *Grammaire du grec biblique,* Parisiis, 1927, p. 252: « Le présent de ἔρχομαι, πορεύομαι et d'autres verbes marquant un mouvement

Quidam exegetae interpretationi quam propugnamus ideo repugnant, quod haec in ore Christi aliquam tautologiam ponat. Dixit enim jam: *Quem ego mittam vobis a Patre* (= *que je vous enverrai d'auprès du Père*). Idem repetit, si verba *Qui a Patre procedit* reddere debeamus per *Qui a Patre proficiscitur, vel mox profecturus est* (= qui *va partir*, qui *partira d'auprès du Père*). Verum tautologia minima est, et scimus in sacris Scripturis, hujusmodi repetitiones satis frequentes esse. Tautologia vero omnino evanescit, si verba: « ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ Πατρὸς » sic intelligamus: *Quem ego mittam vobis ex parte, ex mandato seu in nomine Patris.* Porro hunc sensum, qui cum praepositione παρά optime congruit, haud dubie insinuat locus parallelus: Joa. XIV, 26: « Paraclitus autem Spiritus Sanctus, *quem mittet Pater in nomine meo*: ὃ πέμψει ὁ Πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου, ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα » (1).

Igitur Christi verba gallice ita reddam: « Lorsque sera venu le Paraclet que je vous enverrai *de la part du Père*, l'Esprit de la vérité, *qui partira d'auprès du Père*, il rendra témoignage à mon sujet ».

Paucis: In praesenti loco, Christus de Paraclito eadem fere asserit, quae de seipso testatur ubi ait: *Ego ex Deo processi* (seu *exivi*) *et veni*: ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἥκω (2). *Ego a*

---

local est souvent employé pour le futur ». Item, p. 260: « Dans le N. T. les diverses nuances de l'action future en tant qu'action et en tant que future sont exprimées par des circonlocutions formées avec εἰμί, μέλλω, *ou par le présent* ». Caeterum notum est plerosque N. T. auctores *mente semitica* cogitare et scribere. Atqui in hebraica dialecto praesens et futurum unica verbi flexione exprimuntur.

(1) Unde J. Lebreton, *op. cit.*, 422, locum gallice sic reddit: « Quand sera venu le Paraclet; *que je vous enverrai de la part du Père* ».

(2) Joa. VIII, 42. Nota hic adhiberi praepositionem ἐκ, quae ex se indicat originem vel terminum a quo aliquis proficiscitur. Locus directe indicat exitum

Deo exivi. Exivi a Patre et veni in mundum: iterum relinquo mundum et vado ad Patrem: Ἐγὼ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον. Ἐξῆλθον ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ ἐλήλυθα εἰς κόσμον (1).

In his textibus, certo subjacet notio processionis aeternae Filii a Patre; unde et multi Patres et exegetae de generatione Verbi eos explicaverunt. Attamen *directe* et *immediate* alludunt ad exitum et profectum Verbi *ex-apud Patrem*, ut mundo se manifestet per Incarnationem; ita ut « παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται » eumdem fere sensum exhibeat ac « ἐκ τοῦ Θεοῦ, παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐξῆλθον » (2). Utrimque alluditur ad manifestationem externam et missionem temporalem personae divinae, ita tamen ut haud obscure subindicetur, insinuetur, innuatur processio aeterna ejusdem personae ex Deo Patre, et quidem *clarius* in iis locis ubi praepositio ἐκ vel ἀπὸ adhibetur. Hic loquendi modus historicus et metaphoricus captui discipulorum, ante Pentecosten magis congruebat, accommodatior erat quam conceptus proprie theologicus processionis immanentis et aeternae.

Interpretationi propositae cum Patres quidam, quos supra laudavimus, tum docti catholici haud pauci suffragantur; inter quos nominandi veniunt Rupertus Tuitiensis (3), Erasmus († 1536) (4), Cornelius Jansenius, Gandaven-

---

Filii a Patre ad Incarnationem, sed insinuat etiam processionem aeternam, et quidem melius quam: « Ἐγὼ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον » (= *Je suis sorti d'auprès de Dieu*).

(1) Joa. XVI, 27-28. Cf. Joa. XIII, 3: « εἰδὼς ὅτι ἀπὸ Θεοῦ ἐξῆλθεν ».

(2) Revera verba ἐκπορεύεσθαι, ἐξέρχεσθαι synonyma dici possunt.

(3) *Commentarius in Joannem*, P. L., t. CLXIX, col. 731-733. Rupertus, sicut et nos, utramque processionem exprimi censet.

(4) In sua paraphrasi ad hunc locum Erasmus, linguae graecae peritissimus, dicit: « Qui a Patre procedit », quod eleganter verti potest: *proficiscitur*, nisi processionis vocabulum aures jam omnium occupasset ».

sis episcopus († 1576 (1), Arias Montanus († 1598) (2); et inter recentiores P. Secchi (3), P. Schanz (4). Acatholici vero fere omnes, inde a Th. Beza (5), ut W. Bauer (6), Th. Zahn (7), B. Westcott (8), A. Plummer (9), A. Loisy (10), J. H. Ber-

---

(1) *Commentariorum in suam concordiam ac totam historiam evangelicam partes quatuor, pars* IV. Lugduni 1584 p. 940. Jansenius, sicut et nos, insistit in significatione praepositionis παρά.

(2) *Elucidationes in quatuor evangelia et in Acta Apostolorum*, Antuerpiae, 1575. Arius Montanus, clericus hispanus, orientalista et exegeta celeberrimus, Philippi II regis jussu, *Bibliam Polyglottam Antuerpiensem, regiam* dictam, non solum edidit, sed solus fere paravit; qui et multa commentaria exegetica conscripsit. Cf. *Dictionnaire d'histoire ecclésiastique*, art. *Arias Montano*, t. IV, col. 129-145.

(3) *Op. cit.*, p. 260-268. P. Secchi de hoc loco evangelico fuse et erudite disserit. Hunc italice sic vertit: *Quando poi verrà il Consolatore che io manderò a nome del Padre, Spirito della verità, che viene mandato fuori a nome del Padre, egli renderà testimonianza di me.* Probe ostendit differentiam inter utramque formulam: ὃ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται et: ὃ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται: « Noi non mai permetteremo ai Foziani, inquit, in quel tratto evangelico lo scambio con ἐκ della preposizione παρά, perchè questa giova a dimostrare nell'evangelio l'identità della missione con l'origine eterna ».

(4) *Kommentar über das Evangelium des heiliges Johannes*, Tubingae, 1885, p. 501.

(5) *Novum Testamentum*, ed. Raich (1874), t. II, p. 908.

(6) *Hand-Commentar zum N. T.*, t. IV, ed. 3, 1908, Tubingae, p. 259.

(7) *Das Evangelium des Johannes ausgelegt*, Lipsiae, 1912, p. 584-585.

(8) *The Gospel according to St. John*, Londini, 1908, t. II, p. 213.

(9) *St. John* (in *Cambridge Greek Test*), 1913, p. 288-289.

(10) *Le quatrième évangile*, ed. 2., Parisiis, 1921, p. 427: « L'auteur n'envisage pas les relation éternelles du Père, du Fils et de l'Esprit, mais leur contribution respective à l'oeuvre du salut ». Cf. idem opus, ed. 1, Parisiis, 1903, p. 773. Goguel, *La notion johannique de l'Esprit*, Parisiis, 1902, p. 113-114. Miror quod M. J. Lagrange, *op. cit.*, qui ad Joh. I, 14 scribit: « παρὰ τοῦ Πατρός ne peut signifier la filiation » (p. 23), ad Joh., XV, 26, eamdem locutionem de processione aeterna Spiritus a Patre intelligat (p. 413): « Sans condamner cette opinion de Schanz, il nous semble (avec l'immense majorité des catholiques) que le présent ἐκπορεύεται opposé à πέμψω, indique une émanation, ou, selon le terme reçu et plus textuel, une procession éternelle de l'Esprit par rapport au Père ».

nard (1), verba Christi item de processione temporali Spiritus intelligunt.

Inter Russos dissidentes Damascenus Semenov Rudnev († 1795) eidem aperte favet contra Theophanem Procopovitch, quem non latuit vis hujus interpretationis ad convellendum Achillem Photianorum (2).

Photiani siquidem duplici via nostra interpretatione percelluntur. Primum quidem eorum evertitur praejudicium de differentia essentiali inter processionem aeternam et missionem temporalem, quasi haec illam non supponat in illaque fundetur, sed aliquid sit omnino diversum. Secundo, exinde nullus in S. Scriptura locus amplius invenitur, quo Spiritus Sancti a Patre aeterna processio, tacito Filio, directe doceatur.

Praeterea, quotquot ex illis personam divinam revera mitti negant et missionem temporalem ad solam gratiae vel donorum largitionem coarctant locum praesentem de processione aeterna Spiritus *logice* interpretari non possunt, quandoquidem ex contextu evidenter idem est *ille qui mittetur* a Filio in nomine Patris et *qui a Patre procedit.* Si non mittur Pa-

---

(1) J. H. Bernard, *Gospel according to St John* (*The international critical Commentary*, 1928), p. 499.

(2) In notis ad editionem *Tractatus de processione Spiritus Sancti*, Gothae, 1772 p. 25-34. Rudnev, p. 25, haec habet: « Hodie omnes fere critici verbum ἐκπορεύεσθαι de temporaria Spiritus Sancti a Patre missione in mundum explicant. Ita celeberrimus etiam hac nostra aetate criticus et philologus David Michaelis docet ». Procopovitch ipse, *ibid.*, p. 25, dicit: « Fateor ex se sola voce *procedit* non posse probari sermonem hic esse de aeterna processione, cum vox talis non video cur non possit accipi etiam pro adventu Spiritus Sancti temporario ». Nota in *Collationibus Bonnensibus* anni 1875 inter Veteres Catholicos, Anglicanos et Graeco-Russos, Anglicanum Brooke animadvertisse verba « παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται » referri ad missionem temporalem. Cf. N. Damalas, Ἔκθεσις πρὸς τὴν ἱερὰν σύνοδον περὶ τῶν Βόννῃ πεπραγμένων, p. 75 Athenis, 1875.

raclitus, sed tantum ejus donum, idem Paraclitus ut persona non procedit a Patre: est ipsum donum a Patre, emanans (1).

II. — Spiritus Sanctus de Filio accipiet et accipit. (Joa. XVI, 13-15).

De futura Spiritus missione loquens, haec inter alia dixit Christus Apostolis:

« Adhuc multa habeo vobis dicere sed non potestis portare modo. Quum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem; *non enim loquetur a semetipso,* sed quaecumque audiet loquetur et quae ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit *quia de meo accipiet,* et annuntiabit vobis. *Omnia quaecumque habet Pater mea sunt.* Propterea dixi *quia de meo accipiet* (in graeco: λαμβάνει) et annuntiabit vobis: Ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν. Πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατὴρ ἐμά ἐστιν· διὰ τοῦτο εἶπον, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λαμβάνει καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν » (Joa. XVI 12-15).

Ex contextu patet haec verba ad fututram missionem Spiritus Sacti apud Apostolos directe referri. Talia vero sunt ut certo *subindicent* primum processionem aeternam Spiritus a Filio, deinde etiam ejusdem processionem a Patre.

---

(1) Hanc logicam consequentiam expresse admisit Theodorus in sua *Disputatione cum Macedonianis* (ed. Nau in *Patrologia Orientali,* t. IX, col. 665-666), admissa majore, scilicet quod persona Spiritus non mittitur: « Notre-Seigneur montre encore cela [que l'Esprit est séparé de toute créature] par sa parole, lorsqu'il dit: *Quand viendra le Paraclet que je vous enverrai de près de mon Père, l'Esprit de vérité qui procède de près de mon Père.* Il est évident qu'il ne parle pas *de la substance du Saint-Esprit, mais de la grâce que nous recevons de lui.* Il a encore très bien dit que c'est lui qui l'envoie, après l'avoir reçu de son Père. En effet, c'est parce qu'il avait d'abord reçu la grâce de l'Esprit qu'il a été cause aussi que nous le recevions. Il est évident, en effet, que puisque le Christ dans la chair a été nos prémices, nous espérons participer avec lui aux biens futurs... C'est donc de cette grâce de l'Esprit que Notre-Seigneur a dit avec raison: *Quand sera venu celui que je vous envoie;* car ce n'est pas de la substance de l'Esprit qu'il disait: *Il viendra,* ou: *Je l'envoie,* puisque personne ne peut dire qu'elle passe d'un lieu dans un autre, attendu qu'elle n'est pas circon-

Figurate et humano modo Christus loquitur. Dicit Spiritum Sanctum omnem veritatem docturum esse Apostolos, omnem scilicet veritatem quae illis profutura sit ac necessaria ad missionem a Christo acceptam adimplendam; hanc autem scientiam Spiritum non ex se habere, sed eam ab alio auditurum esse et accepturum (1). Porro eam audiet et *accipiet primum a Filio,* et ita Filium clarificabit, quia ea docebit et annuntiabit quae a Filio audiverit et acceperit. *Futura enim annuntiando,* quod Deus solus potest, illum certo glorificabit, eo ipso demonstrans illum esse verum Dei Filium. Gloria discipuli est gloria magistri.

Spiritus ergo nobis praesentatur ut discipulus Christi: Ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, inquit Christus, id est: de meae scientiae thesauro accipiet et annuntiabit vobis. Sub hoc figurato loquendi modo aliquam Spiritus dependentiam a Filio certo detegimus. Agitur directe de dependentia quoad scientiam: *Spiritus Sanctus suam scientiam accipit a Filio.* Nonne hoc clare innuit Spiritum esse suum, ipsam essentiam divinam, quae re differre non potest a scientia divina, accipere a Filio, id est *aeternaliter procedere ab ipso?*

Nec dicas scientiam, de qua agitur non esse necessario divinam; in textu enim responsum habes: *Quae ventura sunt annuntiabit vobis.* Deus solus futura certo cognoscit.

Nec instes Christum ibi loqui non qua Deus est, sed qua homo (2). Subjicit enim ipse: *Omnia quaecumque habet Pa-*

scrite en un endroit ». Et paulo infra, col. 667, idem repetit: « C'est pour cela aussi que Notre-Seigneur a dit: *Il procède du Père,* parce qu'il est bien évident que la grâce de l'Esprit procède de l'Esprit, selon la parole de Paul (I Cor., XII, 11).

(1) Non mihi placet horum verborum versio gallica a Lagrange, *op. cit.,* p. 423 et a Lebreton, *op. cit.,* p. 423, tradita: « Lui me glorifiera, *car il prendra du mien* ». Hoc cum verbis: *Non loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur* non bene congruit. Melius ergo ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται reddes per: « *Il recevra du mien* ».

(2) Theodorus Mopsuestenus, in *Commentario evangelii S. Joannis,* syriace

ter mea sunt: propterea dixi quia de meo accipiet. Atqui omnia Patris habet quatenus ab eo genitus est estque illi consubstantialis ac perfecte aequalis. Omnia enim a Patre ipse accepit, omnia ab eo audivit, ut pluries fatetur (1).

Et inde est quod accipiendo a Filio, Spiritus Sanctus eo ipso accipiet a Patre, quia ea quae Filii sunt, a Patre sunt. Ea indivise possident Pater et Filius. Cum autem in textu agatur de scientia divina, quae re unum est cum essentia divina, ergo Spiritus Sanctus essentiam divinam tum a Patre, tum a Filio accipit indivisibiliter, id est: a Patre et Filio aeternaliter procedit tanquam ab uno principio. Insinuatur autem directe processio aeterna per hoc quod in textu originali, *loc. cit.*, ad vers. 15, verbum « λαμβάνειν » in tempore praesenti adhibetur: « διὰ τοῦτο εἶπον, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λαμβάνει ».

Mirum non est plerosque Patres cum graecos tum latinos in his Christi verbis invenisse indicationem haud dubiam processionis aeternae Spiritus Sancti a Patre et Filio et , ut patet, praesertim a Filio. Unde in quibusdam fidei symbolis Spiritus Sanctus dicitur *ex Patre procedere et ex Filio accipere*: ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ λαμβάνον. (2). Et revera verbum λαμβάνειν ex se aptius est ad significandam

---

jam edito et latine etiam a J. M. Vosté edendo, haec verba explicat quasi non a Verbo, Filio Dei unigenito, sed a Christo homine prolata: Christus homo plenitudinem gratiae et veritatis accepit; ex hac plenitudine Spiritus sumet, ut apostolis aliquam partem largiatur. Hanc interpretationem apud quosdam Graecos recentiores invenimus.

(1) Cf. Joa., VII, 16: « Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me »; VIII, 26: « Quae audivi ab eo, haec loquor in mundo (cf. v. 40); XII, 49, 50): « Ego ex meipso non sum locutus... Quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor »; XV, 15: « Omnia quaecumque audivi a Patre meo nota feci vobis ».

(2) Cf., v. g., symbolum catechumenorum apud Epiphanium, P. G., t. XLIII, col. 234, et Denzinger, *op. cit.*, n. 13, ubi pro λαμβάνον ponitur λαμβανόμενον (in flexione media).

processionem aeternam quam verbum ἐκπορεύεσθαι, quod ex se indicat aliquem *profectum seu exitum ad extra.* Solae enim relationes quae inter personas divinas existunt sunt *dare* et *accipere* et distinguuntur inter se per hoc quod unus dat et alter accipit.

Inter Patres qui hunc locum de processione aeterna Spiritus interpretati sunt, laudari possunt:

1° S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech.* XVI, 24:

« Et Pater quidem dat Filio, et Filius communicat Spiritui Sancto. Ipse enim Jesus est, non ego, qui ait: *Omnia mihi tradita sunt a Patre* (Matth. XI, 27), deque Spiritu Sancto dicit: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, ille me glorificabit, quoniam ex meo accipit et annuntiabit vobis*» (1).

2° S. Ambrosius, *De Spiritu Sancto,* l. II, c. XII: « Quae accepit Filius a Patre per unitatem naturae, *ex Filio per eamdem unitatem accepit Spiritus Sanctus;* propterea quod loquitur Spiritus, Filii est; quod dedit Filius, Patris est (2).

3° Didymus Alexandrinus in opere: *De Spiritu Sancto,* 34:

« *Non loquetur a semetipso;* hoc est: non sine me et sine meo et Patris arbitrio, quia inseparabilis a mea et Patris voluntate, *quia non ex se est, sed ex Patre et me est; hoc enim ipsum quod subsistit et loquitur, a Patre et me illi est* » (3).

---

(1) « Καὶ Πατὴρ μὲν δίδωσιν Υἱῷ, καὶ Υἱὸς μεταδίδωσιν ἁγίῳ Πνεύματι. Αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ Ἰησοῦς ὁ λέγων, οὐκ ἐγώ· Πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ Πατρός μου. Καὶ περὶ τοῦ Πνεύματος λέγει. Ὅταν ἔλθῃ ἐκεῖνος... ἐμὲ δοξάσει, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λαμβάνει ». P. G., t. XXXIII, col. 952-953.

(2) P. L., t. XVI, col. 803B.

(3) P. G., t. XXXIX, col. 1063.

4° S. Athanasius, *Epist. I ad Serapionem* 1, 2:

« Filius dicit: *Quae audivi a Patre, haec loquor in mundo* (Joa. VIII, 26). Spiritus autem ex Filio quoque accipit: *De meo, inquit, accipiet et annuntiabit vobis* (Joa. XVI, 14)... Cum igitur eumdem ordinem eamdemque naturam habeat Spiritus erga Filium, qualem Filius erga Patrem, qua, quaeso, ratione is qui Spiritum Sanctum rem creatam esse contendit, non idem de Filio necessario sentiet? » (1).

5° S. Epiphanius, in *Ancorato*, 7, 67:

« Spiritus a Patre procedit et a Filio accipit... Si Christus creditur esse ex Patre Deus de Deo, etiam Spiritus est ex Christo seu ab utroque, sicut dicit Christus: *Qui a Patre procedit;* et: *Hic de meo accipiet* » (2).

6° S. Cyrillus Alexandrinus, *In Joannis evangelium*, l. XI, ad Joa. XVI, 14, 15:

« Citra culpam et reprehensionem omnem dici potest ab Unigenito quiddam accipere Spiritum ejus. *Nam cum per ipsum procedat naturaliter, utpote qui sit ejus proprius*, una cum omnibus quae perfecte habet, accipere dicitur quae ejus sunt » (3).

---

(1) **P. G., t. XXVI, col. 580:** « Τὸ δὲ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Υἱοῦ λαμβάνει... Τοιαύτην δὲ τάξιν καὶ φύσιν ἔχοντος τοῦ Πνεύματος πρὸς τὸν Υἱόν, οἵαν ὁ Υἱὸς ἔχει πρὸς τὸν Πατέρα, πῶς ὁ τοῦτο κτίσμα λέγων οὐ τὸ αὐτὸ καὶ περὶ τοῦ Υἱοῦ ἐξ ἀνάγκης φρονήσει; » **Cf. *Orationem III contra Arianos*, 24, P. G., *ibid.*, col. 376 A, ubi haec leguntur:** « Αὐτὸς ὁ Υἱὸς τῷ Πνεύματι δίδωσι, καὶ ὅσα ἔχει τὸ Πνεῦμα παρὰ του Λόγου ἔχει ».

(2) **P. G., t. XLIII, col. 28 A, 137 B:** « Τὸ δὲ Πνεῦμα παρὰ Πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ λαμβάνον... Εἰ δὲ Χριστὸς ἐκ τοῦ Πατρὸς πιστεύεται Θεὸς ἐκ Θεοῦ, καὶ τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Χριστοῦ, ἢ παρ' ἀμφοτέρων, ὥς φησιν ὁ Χριστός· Ὃ παρὰ Πατρός ἐκπορεύεται, καί· Οὗτος ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται ». **Haec verba directe percellunt Graecos dissidentes, qui contendunt apud Patres graecos Spiritum Sanctum nunquam dici:** « ἐκ τοῦ Υἱοῦ » **esse. Revera de sancto Epiphanio tacere solent.**

(3) **P. G., t. LXXIV, col. 449C:** « Προϊὸν γὰρ δι' αὐτοῦ, φυσικῶς, ὡς ἴδιον αὐτοῦ, μετὰ πάντων ὧν ἔχει τελείως, λαμβάνειν λέγεται τὰ αὐτοῦ ». **Cf. P. G., t. LXXV, col 102.**

7° S. Augustinus, in toto *Tractatu* XCIX *in Joannem, P. L.*, t. XXXV, col. 1885-1890. Haec pauca tantum exscribimus:

« *Non ergo loquetur a semetipso*, quia non est a semetipso. *Sed quaecumque audiet loquetur*: ab illo audiet a quo procedit. Audire illi scire est; scire vero esse, sicut superius disputatum est. Quia ergo non est a semetipso sed ab illo a quo procedit, a quo illi est essentia, ab illo scientia, quod nihil est aliud quam essentia. Nec moveat quod verbum futuri temporis positum est. Non enim dictum est: *quaecumque audivit*, aut: *quaecumque audit*, sed: *quaecumque audiet, loquetur*. Illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna scientia. In eo autem quod sempiternum est, sine initio et sine fine, cujuslibet temporis verbum ponatur, sive praeteriti, sive praesentis, sive futuri, non mendaciter ponitur » (1).

Et in *Libro* XV, c. 26, *De Trinitate*, P. L., t. XLII, col. 1094: « Si quidquid habet, de Patre habet Filius, de Patre habet utique ut et de illo procedat Spiritus Sanctus ».

III. — *De interpretatione photiana verborum Domini*: « *De meo accipiet* ».

De praecedenti loco evangelico Photius longam texit disputationem (2). Perspexit enim vim probationis exinde deductae pro dogmate catholico. Ejus argumenta ad hanc vim enervandam sic breviter contrahi possunt:

---

(1) Nota haec verba referri tantum, in contextu, ad processionem Spiritus Sancti ex Patre, non directe ad processionem Spiritus ex Filio, quae aliis Scripturae testimoniis in eodem tractatu probatur.

(2) Cf. *Epistol. ad archiep. Aquileiensem*, 14, 15; P. G., t. CII, col. 807-810; *De S. Spiritus mystagogia*, 20-30, P. G., *ibid.*, col. 297-312.

1°) Incredibile est Filium Dei his verbis sibi ipsi contradixisse, aut ea retractasse quae superius affirmaverat, dum dixerat: *Spiritus veritatis, quia a Patre* [solo] procedit (1).

2° Christus non dixit: ἐξ ἐμοῦ λήψεται, id est: *ex me accipiet,* ut Latini interpretari conantur, sed dixit: ἐκ τοῦ ἐμοῦ, (= ἐκ τοῦ ἐμοῦ Πατρὸς), id est: EX MEO PATRE accipiet. « Ipsi pueri grammaticorum scholam frequentantes sciunt hac voce: *De me,* illum ipsum includi, qui orationis pericopen protulit; illa autem: *De meo,* aliam personam diserte significari, unitam quidem juribus conjunctionis cum eo qui vocem pronuntiavit, sed differentem omnino quoad hypostasim » (2).

3° Etiamsi Christus dixisset: *De me accipiet,* exinde non sequeretur Spiritum Sanctum ex eo procedere. Aliud est enim accipere a quodam aliquid ob aliquam particularem necessitatem, aliud ab ipso procedere, seu essentiam accipere (3). Ex contextu autem et ex usurpatione futuri: *accipiet,* patet Spiritum Sanctum accipere, non ut *procedat* vel *subsistat,* sed ut *ventura annuntiet*: *Quae ventura sunt, annuntiabit vobis* (4).

4° Item, ex contextu perspicuum est Christum, haec de Spiritu Sancto pronuntiando, intendisse tantummodo perfectam Spiritus Sancti *aequalitatem et consubstantialitatem cum seipso et cum Patre declarare.* Clarius explicans quid sibi velit his verbis: *De meo accipiet,* confestim addit: *Omnia quaecumque habet Pater mea sunt.* Ideo, Spiritus mea accipiens, et *de meo Patre accipit.* Nec vero eo usque tantum sen-

---

(1) *Mystagogia,* 20, P. G., *loc. cit.* col. 300. Vides quomodo Photius propositionem simpliciter affirmativam convertat a priori in exclusivam.

(2) *Ad Aquil.,* 14 15, col. 808-809; *Myst.* 22, 23, col. 301-304; 29, col. 312.

(3) *Myst.,* 21, col. 300-301.

(4) *Myst.,* 29, col. 309-312.

tentiae ejusdem explicationem profert, sed adhuc exactius illam revelans et confirmans, ait: *Propterea dixi quia de meo accipiet, quoniam in Patre quidem sunt mea; Spiritus autem ex Patre accipit; quae enim sunt Patris, mea sunt* (1).

Haec Photius; cui ad omnia responsio haud difficilis ex iis, quae supra diximus. Patet ejus exegesim ἐκ τοῦ ἐμοῦ vertentem per ἐκ τοῦ ἐμοῦ Πατρός, tum grammaticae legibus, tum praesertim contextui aperte repugnare et intolerabilem tautologiam in ore Christi ponere. Illud ἐκ τοῦ ἐμοῦ Christus ipse ita explanat, ut ἐμοῦ non possit esse nisi neutri generis (= de eo quod ad me pertinet, quod habeo). Aliunde mirum est hominem adeo acutum non perspexisse Spiritum a Filio nihil accipere posse, quod non sit re idem cum essentia divina. Accipere cognitionem futuri, quae cognitio est prorsus divina, idem est ac accipere essentiam divinam. Nec in textu agitur directe de consubstantialitate personarum, sed de modo quo Filius et Spiritus Sanctus Patri consubstantiales evadunt, scilect per relationem originis, qua Filius a Patre, Spiritus a Patre et Filio seu a Patre per Filium scientiam et consequenter essentiam divinam accipit.

Contra Photium hoc demum facit, quod Patres cum graeci tum latini verba Christi de processione aeterna Spiritus Sancti a Patre necnon a Filio intellexerunt (2).

Qui post illum fuerunt polemistae antilatini fere omnes usque ad Nicephorum Blemmidam († 1272), illud « ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται » ad ejus mentem explicaverunt. Postquam autem

(1) *Ibid.*

(2) Photiana interpretatio illius « ἐκ τοῦ ἐμοῦ » occurrit apud Pseudo-Athanasium, *Dialogus I contra Macedonianos* P. G., t. XXVIII, col. 137 C: « Ἐκεῖνος ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, δηλονότι ἐκ τοῦ Πατρός ». Num Photius ab illo ignoto suam exegesim mutuatus fuerit, an e contra?

Nicephorus Blemmides illius censuram egit (1), plerique illam reliquerunt (2), et in ejus locum alias protulerunt, dicentes: 1° vel hic agi de missione seu processione temporali, ut constat ex usu futuri « λήψεται »: Doctrina quam Spiritus Sanctus a Filio accipit non est essentia divina, sed complexus veritatum hominibus revelandarum. Filius hanc revelationem incepit; Spiritus Sanctus eam complere debet, nihil traditurus quod a Filii dictis discrepet, cum sint consubstantiales eamdemque omnino habeant sapientiam et operationem (3); 2° vel cum Metrophane Critopulo:

« *De meo accipiet, id est*: Omnem suam sapientiam in me, *ut homine*, divinitas reposuit tanquam in aerario aliquo, juxta illud: *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (Col., II, 9). Ex illa igitur doctrina, ex illa sapientia accipiet Spiritus Sanctus, et annuntiabit vobis. Non enim reliquum quidquam alicubi est, quod in me non reposuerit divinitas, ut aliunde accipiat Paraclitus; sed omnia in me reposuit, ex quibus ipse capiet » (4).

(1) Cf. M. Jugie, *Theol. Or.*, t. II, p. 334 in nota.

(2) Occurrit tamen adhuc apud quosdam modernos, v. g., apud Jeremiam II, *Responsio II ad Tubingenses*, ed. Ged. Cyprii, t. I, p. 138; in *Encyclica epistola patriarcharum Orientis ad fideles Antiochenos, anno* 1722 *data*, Mansi-Petit, *Concil.*, t. XXXVII, col. 168.

(3) Insistunt in futuro « λήψεται »; tacent de praesenti « λαμβάνει » (Joa., XIV, 15).

(4) *Confessio, fidei*, c. I, Kimmel, *Monumenta fidei Ecclesiae orientalis*, *Ienae*, 1851, t. II, p. 36. Haec Critopuli interpretatio cum commentario Theodori Mopsuesteni *in Joannem* supra relato, p. 79, n. 2, fere congruit.

Art. IV. - De locis implicite vel indirecte tantum veritatem catholicam insinuantibus.

Praeter Scripturae testimonia jam laudata et explicata, ex quibus plus minusve directe vel explicite colligitur, Spiritum Sanctum tum a Patre tum a Filio procedere, quaedam alia theologi, post Patres, afferre solent, quae nonnisi *implicite* vel *indirecte* eamdem veritatem insinuant. Agitur praesertim de effatis: *Spiritus Patris* (1), *Spiritus Filii* (2), *Spiritus Christi* (3), *Spiritus Jesu* (4) necnon de ordine personarum in formula trinitaria baptismali ab ipso Christo enuntiata (5).

I. — *Spiritus Patris — Spiritus Filii — Spiritus Christi.*

Spiritus Patris significat Spiritum qui pertinet ad Patrem, Spiritum quem mittit, quem dat Pater, Spiritum quem producit Pater, qui provenit ex Patre. Jam vero variae hujusmodi significationes vel ex se dicunt, vel supponunt *personam Spiritus Sancti esse junctam cum Patre nexu originis*, id est ab ipso procedere, ab eo suum esse habere. Persona divina enim ad aliam pertinere, ejus possessio esse non potest nisi quatenus ab ea procedit; item dari vel mitti ab alia nequit nisi quatenus ab ea pendet per relationem originis.

---

(1) Cf. Matth. x, 20: *Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis;* Matth. iii, 16; I Pet., iv, 14: *Spiritus Dei.*

(2) Cf. Gal. iv, 6: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.*

(3) Cf. Rom. viii, 9: *Si quis Spiritum Christi non habet;* I Pet., iv, 14: *Qui est ejus* (= *Christi*) *Spiritus super vos requiescit.*

(4) Cf. Act. xvi, 7: *Non permisit eos Spiritum Jesu; Phil.,* i, 19: *Spiritus Jesu Christi.*

(5) Cf. Matth. xxviii, 19.

Caeterum nemo, praeter Arianos et Macedonianos, negavit Spiritum Sanctum procedere ex Patre.

Quaerere autem quis possit quare dicatur *Spiritus Patris*, non autem *Pater Spiritûs*. Personae enim nexu originis invicem junctae de se invicem praedicantur. Dicimus: *Pater Filii* sicut et: *Filius Patris*. Hujus differentiae ratio in modo loquendi obvia est. Pater siquidem est auctor Spiritus Sancti, non qua *Pater est* — secùs, Spiritus esset ejus filius —, sed quatenus est *Spirator*. Unde recte dicere possumus: *Spirator Spiritûs*, et: *Spiritus Spiratoris*. Toleratur locutio *Spiritus Patris*, quamvis Pater non sit productor Spiritûs qua Pater est, quia usus genitivi inter personas indicat *possessionem in genere*. Unde, cum dicimus: *Spiritus Patris*, significamus Spiritum esse proprium Patris, ad eum pertinere, quin ex *verbis ipsis modum possessionis indicemus*. Reapse quidem modus iste est per viam originis, cum in divinis nullus alius possessionis modus existere possit; hic vero verbis, quibus utimur, non definitur, sed in incerto relinquitur. E contra, si dicamus: *Pater Spiritûs*, statim ambiguitas oboritur. Unde hujusmodi locutio in theologia omnino prohibetur.

Quae de locutione: *Spiritus Patris* diximus, de effato: *Spiritus Filii* propter easdem rationes omnino valent. *Spiritus Filii* — si sane nomine *Filii* intelligamus Unigenitum Patris qua Deus est, non qua homo — spiritus est qui pertinet ad Filium, qui ejus proprius est, qui ab eo mittitur et datur, qui ab eo revera pendet in suo esse, id est qui ab eo procedit.

Sicut locutio *Pater Spiritûs* non recipitur, ita etiam locutio *Filius Spiritûs* reprobatur propter similem rationem, nempe propter ambiguitatem, ne Spiritus credatur *pater Filii*. Filius enim producit cum Patre Spiritum Sanctum non qua *Filius* est, sed qua *Spirator*.

Spiritus Sanctus dicitur etiam in Sacra Scriptura *Spiritus Christi, Spiritus Jesu.* Hujusmodi locutio per se idem significat ac effatum *Spiritus Filii;* sed cum supponat incarnationem Verbi, posset quis illam referre ad Christum qua hominem. Sicut enim Christus Deus-Homo potest mitti secundum utramque naturam, scilicet a Deo Patre quoad utramque, a Spiritu Sancto vero quoad naturam humanam tantum, ita etiam Spiritus Sanctus possit dici *Spiritus Christi, Spiritus Jesu* propter intimas relationes, quas habet ad Christum hominem, quatenus scilicet illius corpus in sinu Virginis formavit (1), illum unxit et ad pauperes evangelizandos misit (2), in eum descendit et in eo manet (3), in desertum duxit etc. (4). Verum quidem est in Christo unam et eamdem esse personam pro utraque natura, personam scilicet Unigeniti Patris, quae est unicum suppositum operationum, tum divinarum, tum humanarum. Unde locutio *Spiritus Christi* seu *Jesu* bene intelligi potest de Christo Deo (5). Sed possit etiam intelligi de Christo homine. Inde est quod aliquam ambiguitatem praefert et minus apta est ad convincendos Photianos (6).

---

(1) Matth. I, 20; Luc. I, 35: *Spiritus Sanctus superveniet in te.*

(2) Is. LXI, 1; Luc. IV, 18; Act. X, 38: *Unxit eum Deus Spiritu Sancto.*

(3) Matth., III, 16; Luc., III, 22; Joa. I, 32-33.

(4) Matth. IV, 1; Marc. I, 12; Luc. IV, 1.

(5) Contra Photium, qui in *Myst. Sp. Sancti,* 93, 94, P. G., t. cit., col. 388-389, contendit locutionem *Spiritus Christi* referri necessario ad Christum hominem, nullo modo vero ad Christum Deum; quod si nimis urgeres, in nestorianismum incideres.

(6) Possit etiam locutio: *Spiritus Filii* referri ad Christum hominem vi communicationis idomatum, praesertim cum in loco: *Ad Gal.* 4 et 6: *Misit Deus Spiritum Filii sui,* Paulus directe alludat ad incarnationem Verbi. Nota tamen in *Ad Romanos,* VIII, 9, legi: « *Si tamen Spiritus Dei* habitat in vobis. Si quis *Spiritum Christi* non habet, hic non est ejus ». Ad hunc locum Lagrange, *Epître aux Romains,* Parisiis, 1916, p. 198, haec habet: « L'Esprit est l'Esprit du Christ, parce qu'il descend dans l'âme par l'union au Christ. L'Esprit de Dieu

Quod autem Photius ejusque discipuli post ipsum dixerunt et adhuc dicunt, scilicet quod locutiones hujusmodi: *Spiritus Patris, Spiritus Filii* nihil aliud significent *quam personarum divinarum consubstantialitatem* (1), omnino falsum est. Consubstantialitas enim ex seipsa nullam fundat relationem inter duas personas vi cujus una dici possit esse alterius: v. g., duo homines sunt consubstantiales; non tamen alteruter dicitur esse alterutrius nisi inter utrumque intercedat aliqua relatio originis vel dependentiae: *Joannes Petri,* vel *Petrus Joannis* dicitur, sive quia Joannes est pater Petri sive quia est ejus dominus; et vice versa, si ponamus Petrum esse patrem aut dominum Joannis. Si Photiana ratio valeret, nihil impediret quominus diceremus *Pater Spiritûs* vel *Filius Spiritûs,* sicut dicimus: *Spiritus Patris, Spiritus Filii;* quod tamen expresse reprobat ipse Photius (2).

---

est ici l'Esprit du Christ; ce qui ne prouve rien contre la distinction de la troisième personne, mais ne prouve pas non plus directement que le Saint-Esprit procède aussi du Fils ».

(1) Secundum Photium, *esse Filii* significat tantummodo Spiritum non esse *alienum a Filio, ejusdem naturae esse cum Filio,* ejusdem essentiae, ejusdem gloriae, ejusdem honoris ac dominationis; nullo modo autem indicat Filium esse principium Spiritus Sancti. Patri quidem consubstantalis est Spiritus Sanctus, quia ex ipso procedit; consubstantialis vero Filio est, non quia ex eo procedit, sed quia ex uno et indivisibili principio ab aeterno aequali ordine utrique progressio est. Cf. *Epist. ad Aquil.,* 11; *Mystag.,* 48-56, 59, 85, 90-94; P. G., col. 804-805; 328-333, 337, 372-378, 384-389. Hanc interpretationem generatim suam fecerunt polemistae antilatini. Quidam tamen, ut Nicephorus Blemmides, docuerunt Spiritum Sanctum ideo dici Spiritum Filii, quod Filius ab aeterno potestatem accepit mittendi et dandi Spiritum Sanctum tanquam thesaurum proprium. Cf. *Theol. Orient.,* t. II, p. 330, 331.

(2) *Ad Amphilochium* q. CLXXXIV, P. G., t. CI, col. 913-915, ubi dicit ideo nos non dicere *Pater Spiritûs* vel *Filius Spiritûs,* quia inter homines non videmus *spiritum* (seu *flatum* = πνεῦμα) habere patrem vel filium, dum cernimus patrem vel filium habere spiritum, id est respirare. Eplicatio mira et (quis dicat): ridicula!

Plerique Ecclesiae Patres effata: *Spiritus Patris, Spiritus Filii, Spiritus Christi* de processione aeterna Spiritus tum a Patre tum ex Filio seu *per Filium* interpretati sunt. Ita inter Graecos Cyrillus Alexandrinus (1), Epiphanius (2); Maximus Confessor (3); inter Latinos vero Augustinus (4), Leo Magnus (5), Fulgentius (6).

---

(1) *In Joa.*, l. x, P. G., t. LXXIV, col. 417 c: « Ἰδοὺ γάρ, ἰδοὺ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τουτέστιν ἑαυτοῦ, τὸν Παράκλητον εἰπών, παρὰ τοῦ Πατρὸς αὐτὸν ἐκπορεύεσθαί φησιν. Ὥσπερ γάρ ἐστιν ἴδιον Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ φυσικῶς, ἐν αὐτῷ τε ὑπάρχον καὶ δι' αὐτοῦ προϊόν, οὕτω καὶ τοῦ Πατρὸς ».

(2) *Ancoratus*, LXXI, P. G., t. XLIII, col. 148B: « Καὶ Πνεῦμα ἅγιον Πνεῦμα ἀληθείας ἐστί (id est: Filii), φῶς τρίτον παρὰ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ ».

(3) *Quaestio* LXIII *ad Thalassium*, P. G., t. XC, col. 672: « Spiritus Sanctus, ut natura essentialiter Dei ac Patris est, sic natura essentialiter est et Filii, *ut qui ex Patre essentialiter per Filium genitum ineffabiliter procedat*: Τὸ γὰρ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ὥσπερ φύσει κατ' οὐσίαν ὑπάρχει τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρός, οὕτω καὶ τοῦ Υἱοῦ φύσει κατ' οὐσίαν ἐστίν, ὡς ἐκ τοῦ Πατρὸς οὐσιωδῶς δι' Υἱοῦ γεννηθέντος ἀφράστως ἐκπορευόμενον ».

(4) *In Joa. tract.* XCIX, 6: P. L., t. XXXV, col. 1888-1889: « Hic aliquis forsitan quaerat utrum et a Filio procedat Spiritus Sanctus. Filius enim solius Patris est filius, et Pater solius Filii est pater: Spiritus autem Sanctus non est unius eorum Spiritus, sed amborum. Habes ipsum Dominum dicentem: *Non enim vos estis qui loquimini*, sed *Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (Matth. x, 20). Habes et Apostolum: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra* (Gal. IV, 6). Numquid duo sunt, alius Patris, alius Filii? Absit... Cum sicut unus Pater, et unus Dominus, id est Filius, ita sit et unus Spiritus, profecto amborum est... *Cur ergo non credamus quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus?* ».

(5) *Sermo* LXX *in Pentecosten*, P. L., t. LIV, col. 402 A: « Siquidem cum et de Patre sit Filius unigenitus, et Spiritus Sanctus Patris Filiique sit spiritus, non sicut quaecumque creatura quae et Patris et Filii est, *sed sicut cum utroque vivens et potens et sempiterne ex eo quod est Pater Filiusque subsistens* ».

(6) *De fide ad Petrum*, c. XI, P. L., t. LXV, col. 696: «Firmissime tene et nullatenus dubites eumdem Spiritum Sanctum, qui Patris et Filii unus Spiritus est, de Patre et Filio procedere. Dicit enim Filius: *Cum venerit Spiritus veritatis, qui a Patre procedit*: ubi suum Spiritum esse docuit, quia ipse est veritas ».

II. — *In nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti* (*Matth.* xxviii, 19).

Indicium, non argumentum apodicticum, quod Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio sumi potest ex hoc quod in formula baptismatis ab ipso Christo enuntiata, tertius venit Spiritus Sanctus. Ut enim ait S. Thomas, « in rebus, in quibus non est sola materialis distinctio, semper invenitur in multitudine productorum aliquis ordo... Si ergo ab una persona Patris procedunt duae personae,... oportet esse aliquem ordinem earum ad invicem, nec potest aliquis ordo alius assignari nisi ordo naturae, quo alius est ex alio. Non est igitur possibile quod Filius et Spiritus Sanctus sic procedant a Patre, quod neuter eorum procedat ab alio, nisi quis poneret in eis materialem distinctionem; quod est impossibile » (1).

Respondebit Photianus ideo Filium nominari secundum post Patrem, quia est Filius Patris, nec congruebat ut Spiritus Sanctus inter Patrem et Filium interponeretur. Vim rationis non negamus, et ideo dicimus hic agi non de probatione proprie dicta, sed de aliqua dogmatis catholici insinuatione, cujus valor Patrum auctoritate confirmari potest, praesertim auctoritate Basilii Magni in *Epist.* 125, 3, P. G., t. XXXII, col. 549 D:

« Necesse est et hoc quoque declarare eos etiam qui ordinem nobis a Domino traditum invertunt et Filium ante Patrem, et Spiritum Sanctum ante Filium collocant, fugiendos esse, ut *qui aperte cum pietate pugnent. Immotus enim et inviolabilis conservandus est ordo,* quem ex ipsa Domini voce

(1) *S. Theol.*, I, q. xxxvi, a. ii.

traditum accepimus, dicentis: « *Euntes docete omnes gentes,* etc. (1) ».

Item, in *Epistola* 52 *ad canonicas,* 4, P. G., ibid., col. 396: « Qui Spiritum Sanctum praeponit Filio, inquit, aut illum praedicat Patre antiquiorem, hic Dei ordinationi resistit et a sana fide alienus est, doxologiae rationem traditione acceptam non servans, sed ad placendum hominibus novitatem sibi effingens... Innovatio circa ordinem (personarum) earum existentiam evertit estque totius fidei negatio. Aeque igitur impium est et Spiritum ad rem creatam deducere, et aut supra Filium, aut supra Patrem ponere sive secundum tempus, sive secundum ordinem » (2).

Non audent quidem Photii discipuli divinarum personarum ordinem in praxi evertere, sed plerique contendunt, contra manifestam sancti Basilii sententiam, hunc ordinem non insinuare mutuam personarum divinarum dependentiam in ratione originis nec esse immanentem, sed respicere tantum uniuscujusque personae historicam manifestationem ad creaturas (3). Absolute loquendo, hic ordo immutari posset, et abs-

---

(1) « Φεύγειν δεῖ καὶ τοὺς τὴν ἀκολουθίαν ἣν παρέδωκεν ἡμῖν ὁ Κύριος ἐναμείβοντας ὡς φανερῶς μαχομένους τῇ εὐσεβείᾳ, καὶ Υἱὸν μὲν προτάσσοντας τοῦ Πατρὸς, Υἱοῦ δὲ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον προτιθέντας. Ἀκίνητον γὰρ καὶ ἀπεγχείρητον φυλάσσειν προσήκει τὴν ἀκολουθίαν ἣν ἐξ αὐτῆς τοῦ Κυρίου τῆς φωνῆς παρελάβομεν ». Eadem repetit in *Libro de Spiritu Sancto,* 47, *ibid.,* col. 153 D.

(2) Ὁ δὲ προτιθεὶς Υἱοῦ [τὸ Πνεῦμα] ἢ πρεσβύτερον λέγων Πατρὸς, οὗτος ἀνθίσταται μὲν τῇ τοῦ Θεοῦ διαταγῇ, ἀλλότριος δὲ τῆς ὑγιαινούσης πίστεως, μὴ ὃν παρέλαβε τρόπον δοξολογίας φυλάττων, ἀλλ' ἑαυτῷ καινοφωνίαν εἰς ἀρέσκειαν ἀνθρώπων ἐπινοῶν... ὥστε ἡ περὶ τὴν τάξιν καινοτομία αὐτῆς τῆς ὑπάρξεως τὴν ἀθέτησιν ἔχει καὶ ὅλης τῆς πίστεως ἄρνησις ». Hunc Basilii locum quidam theologi russi in suam linguam non recte verterunt; quos corrigit Bolotov in opusculo: *K voprossu o Filioque.* (*De quaestione circa illud « Filioque »*) ed. A. Brilliantov, Petropoli, 1914, p. 88-89.

(3) Ita, v. g., Gregorius Palamas, *Sermo I de processione Spiritus Sancti a solo Patre,* ed. N. Metaxas, Constantinopoli, 1627, p. 34-37. Cf. Ἀντεπιγραφαί P. G., t. CLXI col. 257 D; *Marcus Ephesius,* Συλλογιστικὰ κεφάλαια πρὸς Λατίνους,

que errore Spiritus Sanctus secundus post Patrem nominari posset, inter Patrem et Filium medius existens; et revera quidam Patres, ut aiunt, Spiritum ponunt inter Patrem et Filium (1). Georgius Scholarius haud negat absolute ordinem formae baptismalis esse intrinsecum, sed contendit hoc certo probari non posse ex sacra Scriptura (2). Pauci concedunt ordinem in natura divina fundari et esse aeternum, non quod Spiritus a Filio etiam procedat, sed vel quod Filius a Patre ab aeterno habeat potestatem mittendi Spiritum Sanctum (3), vel

---

ed. L. Petit, in *Patrologia orientali*, t. XVII, col. 376-388, c. VI: « Διὰ τοῦτο καὶ ἡ τάξις, οἶμαι, τοῖς θεολόγοις παρείληπται, ἵνα μὴ τὸ Πνεῦμα υἱὸς νομισθῇ μετὰ τὸν Πατέρα ταττόμενον· ἄλλως γὰρ καὶ ἀναιροῦσι τὴν τάξιν ».

(1) Ita, v. g., Epiphanius dicit Spiritum Sanctum esse *Trinitatis vinculum, in medio esse Patris et Filii,* σύνδεσμος τῆς Τριάδος, ἐν μέσῳ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ. Inde tamen non sequitur Epiphanium negare ordinem personarum esse immanentem, sed hoc de Spiritu Sancto asserit sub aliquo respectu, quatenus nempe a Patre et Filio tanquam ab uno et communi principio procedit; quod est ipsissimus conceptus Latinorum. Spiritus Sanctus est in *medio Patris et Filii,* quatenus est terminus communis illorum spirationis, qua Pater et Filius uniuntur invicem, immo unificantur. At vero, in personarum divinarum enumeratione, juxta S. Epiphanium, Spiritus remanet semper tertius. Postquam enim sanctus doctor dixit Spiritum esse in medio Patris et Filii, statim addit: « ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ, τρίτον τῇ ὀνομασίᾳ ». *Ancoratus,* 8, P. G., t. XLIII, col. 29 C. Unde sententiae photianae directe contradicit. Cf. de Régnon, *Etudes sur la Trinité,* t. IV, p. 61-63.

(2) *Primus tractatus de processione Spiritus Sancti,* l. V, c. IV, *Oeuvres complètes,* t. II, p. 201: « Ἡ διαφορὰ τῶν προόδων καὶ ἡ τάξις τῶν ὀνομάτων μεσιτεύειν τὸν Υἱὸν ἀναγκάζει κἂν τῷ λόγῳ κἂν τοῖς νοήμασιν ἡμῶν· εἰ δὲ κἂν τῷ πράγματι οὕτως ἐστί, καὶ τίς ἂν λόγος εἴη, οὐδεὶς ἂν ἐκ τῶν ἱερῶν λογίων ἰσχυρίσασθαι δύναιτο ». Oblivioni tradit Scholarius quod Patres graeci, ac praesertim Basilius, docent hunc ordinem esse necessarium et immanentem.

(3) Ita Gemistus Pletho, *De latino dogmate liber,* P. G., t. CLX, col. 976 A: « Ἔχοντα δὲ τὸν Υἱὸν συναϊδίως τὴν τοῦ Πνεύματος πρὸς τὴν κτίσιν πεμπτικὴν δύναμιν, εἰκότως καὶ τοῦ Πνεύματος προτετάχθαι τῷ ἀριθμῷ, τοῦ Πατρὸς οὕτω τε καὶ τοιαῦτα παράγοντος τὰ ἐξ αὐτοῦ, ἵνα καὶ ἐν αὐτῇ τῇ Τριάδι τάξις τις ᾖ, ὡς οὐδοτιοῦν

quod Filius logice praecedat Spiritum sitque quasi conditio sine qua non ejus productionis a Patre (1).

Conclusio de doctrina sacrae Scripturae.

Ex omnibus quae de sacrae Scripturae doctrina circa processionem Spiritus Sancti mox attulimus, dogma catholicum in verbo Dei scripto sufficienter et quasi evidenter fundari colligere possumus. Attamen si quis, Graeco-Russorum dissidentium instar, negaret missionem temporalem divinarum personarum necessario implicare processionem aeternam personae missae a mittente, et aliquid omnino diversum eam esse contenderet, ille vix ullum testimonium *certum*, etiam pro aeterna Spiritus processione a Patre, in sacris libris inveniret. Loci enim omnes quos attulimus et explicavimus ad processionem temporalem seu missionem Spiritus Sancti directe vel indirecte alludunt. A fortiori, nihil inde certo deduces, si, ut item volunt plerique Graeco-Russi, pro inconcusso axiomate ponas missionem divinam unice respicere donum creatum seu effectum temporalem ad extra productum, nullatenus vero ipsam personam divinam quae mittitur, quatenus haec in creatura rationali novo modo esse incipit, et sub hoc respectu ipsa a mittente revera datur ac mittitur.

τῶν γε ἀριθμήτων, ὅτου ἂν τάξις ἀπείη, ἔξον καλῶς ». Hanc sententiam periculosam judicat Scholarius in *Epistola ad Plethonem*, P. G. *ibid.*, col. 618 CD, et in t. IV *Operum omnium*, Parisiis, 1935, p. 139.

(1 Ita Bolotov, *op. cit.*, p. 81-94, et quidam alii theologi nostri aevi. Jure asserit Bolotov ordinem manifestationis historicae personarum ordini aeterno processionum respondere illumque imitari ac repraesentare.

CAPUT TERTIUM

Traditio catholica de processione Spiritus Sancti ante schisma photianum.

Praenotamina.

Exposita S. Scripturae doctrina de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, ad alterum divinae Revelationis fontem nunc accedimus, traditionem scilicet, per Ecclesiae magisterium saeculorum decursu transmissam, manifestatam et explicatam. De hac revera haud pauca jam retulimus, dum in capite praecedenti, ad nostram de S. Scripturae locis interpretationem corroborandam, sanctorum Patrum aliquot testimonia recitavimus. Sed haec non sufficiunt, et ad pleniorem veritatis catholicae manifestationem ac defensionem, in antiquorum Patrum doctrina diutius immorari debemus, quandoquidem Graeco-Russi suum errorem de processione Spiritus Sancti a Patre solo horum Patrum auctoritate fulcire omni conatu tentaverunt.

Ad argumentum affatim evolvendum, sex articulos praesenti capiti damus, quorum tituli erunt:

1° De Patrum Antenicaenorum doctrina;

2° De symbolorum et conciliorum testimonio circa processionem Spiritus Sancti, inde a saeculo IV;

3° De Patrum graecorum doctrina;

4° De Patrum latinorum doctrina;

5° De additione vocis « Filioque » ad symbolum nicaeno-constantinopolitanum in Occidente ante Photium;

6° De controversiis inter Graecos et Latinos circa processionem Spiritus Sancti ante Photium.

Art. 1. — Patrum Antenicaenorum doctrina de processione Spiritus Sancti.

Notum est theologiam Patrum Antenicaenorum non solum de processione Spiritus Sancti, verum etiam de Trinitatis mysterio in genere, esse valde imperfectam, modis loquendi plus minusve impropriis saepe obscurari, immo vero haeresim quandoque redolere, nisi benigna interpretatione leniatur. Ex ipsis tamen quidam Patrum posteriorum speculationes aliquatenus jam adumbrant, et processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio, vel a Patre per Filium in scriptis suis haud obscure significant: inter quos nominandi veniunt Irenaeus, Origenes, Dionysius Alexandrinus, Gregorius Thaumaturgus ex Graecis; Tertullianus et Novatianus ex Latinis.

I. — Sanctus Irenaeus.

Sanctus Irenaeus de processione aeterna Spiritus Sancti a Patre et Filio nonnisi implicite loquitur, quatenus nempe docet Spiritum a Patre et Filio mitti et dari (1), in nomine

(1) Cf. *Contra haereses,* V, 18, 2: « Le Père porte à la fois la création et son Verbe, *et le Verbe, porté par le Père, donne l'Esprit à tous,* selon que le Père le veut; à quelques-uns comme il convient à l'être créé, qui est œuvre de Dieu; à d'autres, comme il convient à des adoptés, qui sont enfants de Dieu. Et ainsi se manifeste un seul Dieu le Père, qui est au-dessus de toutes choses et par toutes choses et en toutes choses. Au-dessus de toutes choses le Père, et c'est lui qui est le chef du Christ; par toutes choses le Verbe, et

Patris et Filii loqui (1). Praeterea clare insinuat tres personas divinas nexu originis invicem conjungi, dum de Trinitatis operationibus ad extra disserit; siquidem Patrum graecorum theoriam de hujusmodi operationibus jam adumbrat, docens omnia *a Patre per Filium in Spiritu Sancto* fieri, operationem ad extra quasi secundum lineam rectam currere, a Patre proficiscendo, per Filium pergendo et in Spiritu Sancto suam consummationem et perfectionem inveniendo (2). Spiritus Sanctus describitur ut complementum et terminus Trinitatis, creaturas immediate respiciens, tangens et sanctificans illasque ad Patrem per Filium adducens. Hic ordo operationis ad extra reproducit ac manifestat ordinem immanentem personarum, inquantum nexu originis sibi invicem ita cohaerent, ut Pater a Filio, Pater et Filius a Spiritu Sancto separari nequeant (3).

---

c'est lui qui est le chef de l'Eglise; en nous tous l'Esprit, et c'est lui *qui est l'eau vive que le Seigneur donne à eeux qui croient en lui* d'une foi vraie et qui l'aiment ». P. G., t. VII, col. 1173. Loco versionis latinae, quae obscurior est, versionem gallicam damus iuxta J. Lebreton, *Histoire du dogme de la Trinité des origines au concile de Nicée,* t. II: *De saint Clément à saint Irénée,* ed. 2, Parisiis, 1928, p. 587. Cf. *Contra haereses,* III, 77, 1-2, col. 929-930: « C'est ainsi que Notre-Seigneur a eu pitié de la Samaritaine... pécheresse... lui promettant l'eau vive... C'est là le don que le Seigneur a reçu de son Père et qu'il accorde à ceux qui lui sont unis en envoyant sur la terre entière l'Esprit-Saint ».

(1) « C'est l'Esprit de Dieu qui par l'intermédiaire des prophètes... *parle tantôt au nom du Christ et tantôt au nom du Père ». Démonstration de la vérité évangélique,* 49. *Patrologia orientalis,* t. XII, p. 698.

(2) « L'apôtre Paul dit très justement: Un seul Dieu, le Père, qui est au-dessus de tous et avec tous et en nous tous. En effet, celui qui est au-dessus de tous, c'est le Père; mais celui qui est avec tous, c'est le Verbe, puisque par son moyen tout a été fait par le Père; et celui qui est en nous, c'est l'Esprit, qui crie: « Abba, Père! » et qui, en ornant l'homme, le forme à la ressemblance de Dieu ». *Démonstration,* 5, *Pat. orient., loc. cit.,* p. 663-664.

(3) « Quond nous sommes régénérés par le baptême qui nous est donné au nom de ces trois personnes, nous sommes enrichis dans cette seconde naissance des biens qui sont en Dieu le Père, par le moyen du Fils, avec

Ut Filii et Spiritus Sancti subordinationem erga Patrem ex origine enascentem necnon operationis ad extra communitatem ostendat, duas manus Patris illos appellat (1). Haec comparatio ex se periculosa est propter duplicem rationem: primo, quia subordinatianismum heterodoxum innuere possit; secundo, quia errori photiano suffragari videatur (2). Verum Irenaeus sua disertâ doctrinâ tum de personarum divinarum aequalitate, tum de Filii naturali prioritate relate ad Spiritum Sanctum utrumque periculum sufficienter amovet.

II. — Origenes.

In scriptis Origenis quae ad nos usque pervenerunt, haud pauca de Trinitate occurrunt valde obscura, immo inter se

---

le Saint-Esprit. Car tous ceux qui portent en eux l'Esprit de Dieu sont conduits au Verbe, c'est-à-dire au Fils; et le Fils les prend et les offre à son Père, et le Père leur communique l'incorruptibilité. Ainsi donc sans l'Esprit on ne peut voir le Verbe de Dieu, et sans le Fils on ne peut arriver au Père; puisque la connaissance du Père, c'est le Fils, et la connaissance du Fils de Dieu s'obtient par le moyen de l'Esprit-Saint; mais c'est le Fils qui par office distribue l'Esprit selon le bon plaisir du Père, à ceux que le Père veut et comme le Père veut ». Démonst. 7, *loc. cit.*, p. 664-665. Cf. LEBRETON, *op. cit.*, p. 588, Item, *Contra haereses*, V, 36, 2, P. G., t. VII, col. 1223: « Per Spiritum quidem ad Filium, per Filium autem ascendere ad Patrem ». « Ce qui demeure identique dans ces deux schêmes divers, c'est le mouvement de la vie divine, qui se reflète pour ainsi dire dans l'opération: du Père, par le Fils, dans l'Esprit; ou, si l'on remonte de l'homme à Dieu, cette ascension se fera comme par degrés: « per Spiritum ad Filium, per Filium autem ad Patrem ». LEBRETON, p. 589.

(1) Cf. *Contra haereses*, IV, 20, 1, P. G., t. cit., col. 1032: « Nec enim indigebat angelorum Deus ad faciendum quae ipse apud se praedefinierat fieri, quasi ipse suas non haberet manus. Adest enim ei semper Verbum et Sapientia, per quos et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur dicens: *Faciamus hominem* ». Vide alios textus apud LEBRETON, p. 578-589. Filius et Spiritus Sanctus *manus Dei* iam vocantur in *Epistolis Clementinis*. Cf. *Hom.* II, 52; *hom.* III, 20, 34, etc., P. G., t. II, col. 112, 124.

(2) Quatenus haec comparatio nobis repraesentat Filium et Spiritum Sanctum nullo nexu originis invicem coniungi, sed hinc inde, independenter ab invicem a Patre procedentes, et ita suggerit lineamentum anguli photiani.

pugnantia. Scimus tamen, ex Pamphili et Athanasii testimonio, eum de hoc mysterio recte sensisse. Ad processionem Spiritus Sancti quod attinet, in *Commentario in Joannem*, l. II, 6, hunc invenimus locum, ubi Origenes Spiritum Sanctum *a Patre per Filium procedere* satis clare significat, quamvis ejus loquendi modus insolitus sit et benigniore interpretatione indigeat, ut ad orthodoxiae normam reducatur. Quaerit utrum Spiritus Sanctus etiam per Verbum (διὰ τοῦ Λόγου) factus sit, cum scriptum sit: *Omnia per ipsum facta sunt.* Postquam diversas aliorum sententias retulit, suam sic exponit:

« Nos autem qui tres hypostases, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse credimus, et *ingenitum* (id est *improductum*) nihil praeter Patrem esse confitemur, hoc tanquam pietati ac veritati consonum admittimus, scilicet quod iis omnibus quae per Verbum facta sunt, *Spiritus Sanctus dignitate praestat, et ordine excellit omnia quae a Patre per Christum condita sunt.* Atque haec forsitan causa est cur ipse non dicatur esse Dei Filius, quod solus Unigenitus a principio natura Filius sit; *siquidem eo indigere videtur Spiritus Sanctus, ut ejus hypostasi ministerium praestet non solum ut ipse existat* (scilicet Spiritus), sed etiam ut sit sapiens, et rationis particeps et justus et quidquid illum esse existimare debemus, ut eorum omnium particeps sit, quae de Christo supra diximus » (1).

---

(1) « Ἡμεῖς μέντοι γε τρεῖς ὑποστάσεις πειθόμενοι τύγχάνειν, τὸν Πατέρα καὶ τὸν Υἱὸν καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, καὶ ἀγέννητον μηδὴν ἕτερον τοῦ Πατρὸς εἶναι πιστεύοντες, ὡς εὐσεβέστερον καὶ ἀληθὲς προσιέμεθα τό πάντων διὰ τοῦ Λόγου γενομένων τὸ ἅγιον Πνεῦμα πάντων εἶναι τιμιώτερον, καὶ τάξει (πρῶτον) πάντων τῶν ὑπὸ τοῦ Πατρὸς διὰ Χριστοῦ γεγενημένων. Καὶ τάχα αὕτη ἐστὶν ἡ αἰτία τοῦ μὴ καὶ αὐτὸ υἱόν χρηματίζειν τοῦ Θεοῦ, μόνου τοῦ Μονογενοῦς φύσει υἱοῦ ἀρχῆθεν τυγχάνοντος, οὗ χρῄζειν ἔοικε τὸ ἅγιον Πνεῦμα, διακονοῦντος αὐτοῦ τῇ ὑποστάσει οὐ μόνον εἰς τὸ εἶναι, ἀλλὰ καὶ σοφὸν εἶναι, καὶ λογικὸν καὶ δίκαιον καὶ πῶν ὁτιποτοῦν χρὴ αὐτὸ νοεῖν τυγχάνειν κατὰ μετοχὴν τῶν προειρημένων ἡμῖν Χριστοῦ ἐπινοιῶν ». P. G., t. XIV, col. 128-129. Verba: διακονοῦντος αὐτοῦ τῇ ὑποστάσει sic vertit F. PRAT, *Origène. Le théologien et l'exégète*, Parisiis, 1907, p. 54: *Le Saint-Esprit ayant besoin du Fils comme de celui qui lui communique l'hypostase.* G. Bardy vero, *art.* ORIGÈNE, in *Dic-*

Haec verba sane in sensum haereticum facile detorqueri possint, sed possunt etiam et *debent* in bonum sensum accipi, cum auctor in aliis suorum operum locis haud paucis trium personarum divinarum consubstantialitatem aperte doceat (1).

III. — Sanctus Dionysius Alexandrinus.

De sancto Dionysio Alexandrino († 264) sanctus Athanasius haud dubium refert testimonium circa processionem Spiritus Sancti a Patre per Filium. Hic enim, subordinatianismi aliquando accusatus, crimine hujusmodi se purgavit in suo opere inscripto, *Refutatio et Apologia*, ex quo Athanasius sequens excerptum nobis servavit:

« Singula nomina a me prolata (agitur de nominibus personarum Trinitatis) a se invicem nec separari nec dividi queunt: *Patrem* dixi, et priusquam adderem *Filium*, jam illum in Patre significaveram: *Filium adjunxi*, ac etiamsi *Patrem* non prius nominassem, is tamen in *Filii* nomine comprehensus

---

tionnaire de théologie catholique, t. XI, col. 1522, eadem ita reddit: *L'hypostase du Fils lui procurant par participation et l'être et la sagesse...* Nos putamus sensum esse: *Filius ministerium praestat hypostasi Spiritus Sancti ut existat;* Verbum nobis praesentatur ab Origene tanquam Patris minister ad communicandum existentiam et bona divina Spiritui Sancto.

(1) Cf. optimum commentarium F. Prat, *op. cit.*, p. 54-61. Origenem hic docere processionem aeternam Spiritus Sancti a Patre per Filium fatetur ipse Russus dissidens S. V. Kokhomskii in suo opere: *Doctrina Ecclesiae antiquae de processione Spiritus Sancti* (russice), Petropoli, 1875, p. 4. Idem sentit alius dissidens, Eleonskii, *Doctrina Origenis de divinitate Filii Dei et Spiritus Sancti necnon de eorum relationibus ad Patrem* (russice), Petropoli, 1879: « Dependentia Spiritus Sancti a Patre et Filio, secundum Origenem, eiusdem indolis est ac dependentia Filii a Patre. Haec Spiritus Sancti dependentia tum a Patre, tum a Filio, est tantummodo dependentia secundum existentiam (id est, secundum originem) ». P. 165. Addit theologus russus hanc Origenis doctrinam inveniri apud alios Patres: Gregorium Nyssenum, Epiphanium, Augustinum. Cf. A. Palmieri, *art.* Esprit-Saint, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. V, col. 775.

fuerat: *Spiritum Sanctum* addidi, *sed simul et unde et per quem adest* (seu *procedit*) *adjunxi.* Illi vero ignorant neque Patrem, qua Pater est, a Filio alienari posse: est enim originale nomen conjunctionis. Neque Filius a Patre separatur, quandoquidem vocabulum *Pater* communicationem significat. *In manibus autem illorum est Spiritus, qui neque a mitttente, neque a ferente separari potest illisque privari.* Sic nos indivisibilem unitatem in Trinitatem dilatamus, et Trinitatem iterum, quae imminui nequit, in unitatem contrahimus » (1).

Ex hoc, ait Dionysius, quod *Spiritum Sanctum* nominavi, eo ipso indicavi eum *ex Patre* (πόθεν, significans primam originem) *per Filium* (καὶ διὰ τίνος, significans mediationem Filii in processione Spiritus Sancti) *procedere* (ἥκεν, tempus perfectum, significans: jam *advenit, jam adest*: *il est arrivé, il est présent, il est sorti de, et il sort toujours.* Cf. verba Christi apud Joannem, VIII, 42: « Ἐγὼ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἥκον). Habemus ergo hic formulam Graecorum: *A Patre per Filium.* Nota item verba: *Spiritus est in manibus Patris et Filii.* Haec locutio significat communitatem possessionis et unitatem principii relate ad Spiritum Sanctum.

Quia vero Spiritus ,vi suae processionis, secundum conceptum Graecorum in ordine personarum fundatum, est quasi *vicinior Filio,* Dionysius primum dicit illum non *privari Fi-*

(1) ***De sententia Dionysii,* P. G., t. XXV, col. 504-505:** « Τῶν ὑπ' ἐμοῦ λεχθέντων ὀνομάτων ἕκαστον ἀχώριστόν ἐστι καὶ ἀδιαίρετον τοῦ πλησίον· Πατέρα εἶπον, καὶ πρὶν ἐπαγάγω τὸν Υἱόν, ἐσήμανα καὶ τοῦτον ἐν τῷ Πατρί· Υἱὸν ἐπήγαγον, εἰ καὶ μὴ προειρήκειν τὸν Πατέρα, πάντως ἂν ἐν τῷ Υἱῷ προείληπτο· ἅγιον Πνεῦμα προσέθηκα, ἀλλ' ἅμα καὶ πόθεν καὶ διὰ τίνος ἧκεν ἐφήρμοσα. Οἵ δὲ οὐκ ἴσασιν, ὅτι μήτε ἀπηλλοτρίωται Πατὴρ Υἱοῦ ᾗ Πατήρ· προκαταρκτικὸν γάρ ἐστι τῆς συναφείας τὸ ὄνομα. οὔτε ὁ Υἱὸς ἀπῴκισται τοῦ Πατρός· ἡ γὰρ Πατήρ προσηγορία δηλοῖ τὴν κοινωνίαν· ἔν τε ταῖς χερσὶν αὐτῶν ἐστι τὸ Πνεῦμα, μήτε τοῦ πέμποντος, μήτε τοῦ φέροντος δυνάμενον στέρεσθαι ». **Animadverte verba, quibus multi non attenderunt:** « ἀλλ' ἅμα καὶ πόθεν καὶ διὰ τίνος ἧκεν ἐφήρμοσα ».

lio, qui designatur per verba: τοῦ πέμποντος, postea vero non *privari Patre*, id est τοῦ φέροντος. Cf. locum Irenaei supra laudatum, p. 97, n. 1: « Le Père porte à la fois la création et son Verbe, et le Verbe, porté par le Père, donne l'Esprit à tous, selon que le Père le veut ».

IV. — Sanctus Gregorius Thaumaturgus († 270?).

Conceptum et doctrinam, quam Dionysius Alexandrinus obscurius tradidit, in symbolo trinitario Gregorii Thaumaturgi, Origenis discipuli, clarius expressam invenimus. Symbolum hujusmodi in visione per sommum, beatae Mariae Virginis jussu, Joannes Evangelista Gregorio dictaverit, ut narrat Gregorius Nyssenus in ipsius Thaumaturgi *Vita* (1). Certum est hoc documentum influxum Origenis arguere et conceptum trinitarium plerorumque Patrum graecorum exprimere (2). En verba quae ad Spiritum Sanctum referuntur:

« Et unus Spiritus Sanctus *ex Deo subsistentiam habens* et *per Filium apparens* (3); imago Filii perfecti perfecta, Vita viventium causa, fons sanctus, Sanctitas sanctificationis dona-

(1) *De vita S. Gregorii Thaumtaurgi*, P. G., t. XLVI, col. 909-912. Hanc narrationem Gregorius Nyssenus tenet a sua avia, sancta Macrina, ex Neocaesarea civitate oriunda.

(2) De hoc symbolo vide longam dissertationem L. Froideveaux in commentario: *Recherches de science religieuse*, (mense iunio, 1929): *Le symbole de S. Grégoire le Thaumaturge.*

(3) Post verba: *et per Filium effulgens*: καὶ διὰ Υἱοῦ πεφηνός: omnes editiones habent sequentem additionem: *videlicet hominibus*, δηλαδὴ τοῖς ἀνθρώποις. Hanc additionem esse spuriam critici, post M. Lequien. *Dissertatio Damascenica I*, P. G., t. XCIV, col. 196, communiter tenent, utpote quae contextui minime congruit, et haud obscure arguit tentamen eorum qui notionem processionis aeternae per Filium ex hoc symbolo expellere locutionemque Gregorii « διὰ Υἱοῦ πεφηνός » ad missionem temporalem Spiritus Sancti per Filium detorquere voluerint. Notandum est tamen codices manuscriptos, saltem

trix; in quo manifestatur Deus Pater, qui est super omnia et in omnibus; et Deus Filius, qui est per omnia... *Neque igitur unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus defuit;* sed firma et immutabilis eadem Trinitas semper:

Καὶ ἓν Πνεῦμα ἅγιον, ἐκ Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον και διὰ Υἱοῦ πεφηνός, δηλαδὴ τοῖς ἀνθρώποις, εἰκὼν τοῦ Υἱοῦ τελείου τελεία, ζωὴ ζώντων αἰτία, πηγὴ ἁγία, ἁγιότης ἁγιασμοῦ χορηγός· ἐν ᾧ φανεροῦται Θεὸς ὁ Πατήρ, ὁ ἐπὶ πάντων καὶ ἐν πᾶσι, καὶ Θεὸς ὁ Υἱός, ὁ διὰ πάντων.... Οὔτε οὖν ἐνέλιπέ ποτε Υἱὸς Πατρί, οὔτε Υἱῷ τὸ Πνεῦμα, ἀλλ' ἄτρεπτος καὶ αναλλοίωτος ἡ αὐτὴ Τρίας ἀεί (1).

Verba: « ἐκ Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον » indicant processionem aeternam *ex Patre tanquam ex primordiali et originali principio,* ut patet ex praepositione ἐκ (2). Verba autem: « καὶ διὰ Υἱοῦ πεφηνός » ostendunt participationem Filii ad processionem aeternam Spiritûs. Habet quidem Spiritus suam existentiam seu substantiam, τὴν ὕπαρξιν, ex Patre tanquam *ex originali fonte,* sed non procedit a Patre solo: Ut *appareat* ac *fulgeat ut Deus ex Patre, quasi per Filium transire debet*: *Fulget, procedit ex Patre per Filium.* Hoc pacto probe ostenditur dif-

---

inde a saeculo X, prout rem explorare potuimus, habere omnes additamentum huiusmodi. Attamen *Coislinus Parisinus* 368, saec. X, fol. 15, coniunctionem δηλαδὴ videtur non praeferre; quam non habet item Andronicus Camaterus apud Ioannem Veccum, *In Camaterum animadversiones,* P. G., t. CXLI, col. 577. Additio deest tum in versione latina *Historiae ecclesiasticae Eusebii,* ad l. VII, 28, 2 Cf. *Eusebius Werke,* ed. E. Schwartz et Th. Mommsen, t. II, Lipsiae, 1908, p. 956, ubi legitur: *et qui per Filium apparuit,* tum in *Epistola Hadriani I ad Carolum Magnum* (a. 794), P. L., t. XCVIII, col. 1249: *Et per Filium apparens.*

(1) P. G., t. X, col. 985-988.

(2) Verba « ἐκ Θεοῦ » intelligi possent non de Patre solo, sed de Patre et Filio simul, si quis διὰ Υἱοῦ πεφηνός de missione temporali Spiritus per Filium intelligere vellet. Nota enim Gregorium, qui de Filio paulo supra scripsit: « Εἷς Κύριος, μόνος ἐκ μόνου, Θεὸς ἐκ Θεοῦ », qui et postea subiecit: Θεὸς ὁ Πατήρ, Θεὸς ὁ Υἱός » de Spiritu Sancto non dicere: ἐκ Θεοῦ μόνου τὴν ὕπαρξιν ἔχον ». sed simpliciter: « ἐκ Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον ». Atqui Filius est Deus.

ferentia quae inter Patrem et Filium intercedit relate ad productionem Spiritus: Pater illum producit *ex seipso;* Filius illum producit ex virtute accepta a Patre, quia omnia Patris habet praeter esse Patrem.

Hanc esse veram significationem verborum: « καὶ διὰ Υἱοῦ πεφηνός » nec illa referri ad missionem temporalem Spiritus, ut volunt Graeci dissidentes, constat:

1° ex participio perfecto « πεφηνός ». In graeca dialecto enim tempus perfectum est tempus aeternitati congruens, quandoquidem indicat actionem jam perfectam et immutabiliter perseverantem, praesens perpetuum. Unde « πεφηνός » reddendum est per *apparens, effulgens,* vel: *qui apparet, qui effulget,* non vero per: *qui apparuit, qui effulsit.* Si Gregorius ad missionem temporalem Spiritus alludere voluisset, adhibuisset participium praeteritum seu ἀόριστον: « καὶ διὰ Υἱοῦ φανείς ». Praeteritum enim seu ἀόριστον est tempus historicum;

2° Ex eo quod Spiritus Sanctus dicitur *Filii perfecti imago perfecta,* quemadmodum Filius ipse supra dictus est *character et imago divinitatis,* id est Patris, χαρακτὴρ καὶ εἰκὼν τῆς θεότητος. Ratio enim imaginis non solum importat *similidinem* et *consubstantialitatem* ad prototypum, sed etiam *ab ipso originem*: « Le Fils est comme un portrait tiré sur le Père, et le Saint,Esprit comme une photographie tirée sur ce portrait » (1);

3° Ex eo quod Pater et Filius *manifestari* dicuntur in Spiritu Sancto. Haec locutio enim insinuat non solum quod Spiritus ordine naturae tertius venit post Patrem et Filium, sed etiam quod ab utroque in suo esse pendet;

---

(1) De Régnon, *op. cit.,* t. IV, p. 139. Cf. supra, p. 43.

4° Eamdem conjunctionem Spiritus cum Patre et Filio per nexum originis, conjunctionem scilicet immediatam cum Filio et *quasi mediatam* cum Patre, subindicant verba: *Nunquam Filius Patri, nunquam Filio Spiritus defuit.*

Uno verbo, symbolum Gregorii Thaumaturgi haud obscure insinuat eamdem esse positionem seu relationem Spiritus ad Filium quam habet Filius ad Patrem; at vero per verba: « ἐκ Θεοῦ τὴν ὕπαξιν ἔχον » dilucide ostendit Patrem esse originale principium Spiritus Sancti, dum Filius est principium medium.

V. — Tertullianus.

Sicut apud Origenem, ita etiam apud Tertullianum quaedam de Trinitate dicta invenimus inter se mire pugnantia, ad distinctionem et subordinationem divinarum personarum quod attinet (1). Attamen quaedam etiam habet cum doctrina orthodoxa omnino congruentia, inter quae occurrunt sequentia de relationibus personarum ad invicem:

« Spiritum, inquit, non aliunde puto quam a Patre per Filium... Protulit Deus Sermonem (id est: Verbum), quemadmodum etiam Paracletus docet, sicut radix fruticem, et fons fluvium, et sol radium. Nam et istae species *probolae* sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitaverim Filium dicere et radicis fruticem, et fontis fluvium, et solis radium... Igitur, secundum horum exemplorum formam, profiteor me duos dicere, Deum et Sermonem ejus, Patrem et Filium ipsius. Nam et radix et frutex duae res sunt, sed conjunctae. Et fons et flumen duae species sunt, sed indi-

(1) Cf. A. d'Alès, *La théologie de Tertullien,* ed. 3, Parisiis, 1905, p. 96-103.

visae. Et sol et radius duae formae sunt, sed cohaerentes. Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit ejus necesse est de quo prodit, non ideo tamen est separatum. Secundus autem ubi est, duo sunt. Et tertius ubi est, tres sunt. *Tertius enim est Spiritus a Deo et Filio, sicut tertius a radice fructus ex fructice; et tertius a fonte, rivus ex flumine; et tertius a sole, apex ex radio.* Nihil tamen a matrice alienatur, a qua proprietates suas ducit. Ita trinitas per consertos et connexos gradus a Patre decurrens, et monarchiae nihil obstrepit, et oeconomiae statum protegit... Filius Paracletum a Patre se postulaturum, cum ascendisset ad Patrem, et missurum repromittit, et quidem alium; sed jam praemisimus quomodo alium. Caeterum: *De meo sumet* (Joa. XVI, 14), inquit, sicut ipse de Patris. *Ita connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto, tres efficit cohaerentes, alterum ex altero,* qui tres unum sint, non unus » (1).

Habes hic sane disertum de processione Spiritus Sancti a Patre per Filium testimonium. Vides Tertullianum Graecorum conceptum de Trinitate omnino tenere eorumque diagrammate, id est per lineam rectam, processiones divinas repraesentare. Ut videbimus infra, exempla ex rebus creatis, quibus utitur, passim usurparunt graeci Patres, inde a saeculo IV.

VI. — Novatianus († 257?).

Romanus iste, qui, ut notum est, post mortem sancti Fabiani papae (251) schisma in Ecclesiam invexit, tractatum *De Trinitate* conscripsit, in quo suo modo exprimit originem Spiritus Sancti a Filio. Dicit enim:

(1) Adversus Praxeam, IV, VIII, XXV, P. L., t. II, col. 182 B, 186-187, 211 C.

« Si homo tantummodo Christus, quomodo Paraclitum dicit de suo esse sumpturum quae nuntiaturus sit?... Major ergo jam Paracleto Christus, quoniam nec Paraclitus a Christo acciperet, nisi minor Christo esset. Minor autem Christo Paraclitus Christum etiam Deum esse hoc ipso probat, a quo accepit quae nuntiat, ut testimonium Christo divinitatis grande sit, dum minor Christo Paraclitus repertus ab illo sumit quae caeteris tradit » (1).

Novatianus pronuntiat Paraclitum esse Christo minorem, non quod Filio quoad divinitatem revera non sit aequalis, sed quod ab eo accipit quae nuntiaturus est, id est, ut ex contextu patet, quia ab eo procedit. In eumdem sensum Novatianus verba Christi: *Pater major me est* interpretatur. Agitur de illa inferioritate quae enascitur ex hoc quod una persona divina ab altera divinam essentiam accipit (2).

Art. II. — De symbolorum et conciliorum testimonio circa processionem Spiritus Sancti inde a saeculo IV.

Inde a saeculo IV, postquam Macedonius, patriarcha Constantinopolis (342-346 et 351-360) et potissimum Anomaei divinitatem Spiritus Sancti directe impugnaverunt, docentes eum esse primam et excellentiorem Filii creaturam (3), Ec-

(1) *De Trinitate*, 16, ed. W. Yorke Fausset, Cambridgae, 1909, p. 55. Cf. A. d'Alès, *Novatien*, Parisiis, 1925, p. 118-119.

(2) Cf. *De Trinitate*, 22, p. 81: « Quamvis se ex Deo Patre Deum esse meminisset, nunquam se Deo Patri aut comparavit, aut contulit, memor se esse ex suo Patre *et hoc ipsum quod est habere se, quia Pater dedisset* ».

(3) Valde difficile est ex documentis historicis certo definire doctrinam ipsius Macedonii. Cf. Bardy, *art.* Macedonius in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. IX, col. 1464-1478. Bene scimus autem Anomaeos, quorum dux fuit Eunomius, divinitatem Spiritus Sancti expresse negavisse illumque habuisse ut primam creaturam Verbi.

clesiae Patres de Spiritu Sancto frequentius sermonem fecerunt, et ut eum esse vere Deum ostenderent, in processione eius a Patre potissimum, institerunt. Concilium Nicaenum I de hac processione tacuerat. Exorta autem haeresi Macedoniana, haud paucas Orientis Ecclesias videmus symbolo Nicaeno quaedam addere de divinitate Spiritus Sancti eiusque a Patre processione. Inde variae fidei formulae sub symboli Nicaeni nomine vulgari inceperunt, quae tanquam symbolum baptismale passim receptae sunt.

De huiusmodi fidei formulis aliisque symbolis, quae inter Traditionis documenta una cum conciliorum decretis primas certo tenent, in praesenti articulo agimus; item de iis quae in Actis conciliorum sive oecumenicorum, sive particularium ad processionem Spiritus Sancti plus minusve directe referuntur.

I. — De symbolo Nicaeno-Constantinopolitano dicto.

Praecipuum documentum Traditionis, quod Graeco-Russi, Photii vestigiis inhaerentes, contra dogma catholicum de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio urgere solent, est illa fidei formula celeberrima, ab omnibus Confessionibus christianis iamdudum recepta, quae symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum vulgo nuncupatur. De eius origine, quae valde obscura est, adhuc critici certant (1). Patres concilii

(1) Cum haec formula, paucis verbis exceptis, in *Ancorato* sancti Epiphanii, anno 373-374 conscripta, jam occurrat, plerique dicunt eam a concilio Constantinopolitano non fuisse compositam, sed tantum directe vel indirecte approbatam. A. Harnack S. Cyrillo Hierosolymitano illam tribuit (circa annum 362) et probabiliter conjicit Cyrillum obtulisse illam concilio tanquam propriam fidei confessionem, quam concilium approbaverit: art. *Konstantinopolitanisches Symbol, in Realencyclopädie für protestantische Theologie und Kirche*, t. XI, 1902, p. 22-28. V. Grumel, *Régestes de l'Eglise de Constantinople*, fasc. I, p. 1, Parisiis, 1932, putat hoc symbolum a Nectario fuisse recitatum, quando, ut

Chalcedonensis (451), synodo Constantinopolitanae I (a. 381), quae inter oecumenicas inde a Virgilio papa (538-555) computata est (1), eam expresse tribuerunt. Porro huiusmodi symbolum diserte docet Spiritum Sanctum *a Patre procedere*, verbis Christi apud Ioa. XV, 26, utens, loco tamen praepositionis παρά praepositionem ἐκ adhibens: « ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον » et sic processionem aeternam directe significans. Sicut in Evangelio, ita hic processio a Patre simpliciter affirmatur; processio a Filio vel per Filium tacetur, nequaquam excluditur. Photius vero eiusque discipuli propositionem mere affirmativam in *exclusivam* iterum mutant intelliguntque: *A Patre solo procedit;* quibus supra iam respondimus (2).

Si vero quaeras cur in hac formula Filii mentio omissa fuerit, responsio in promptu est. Quae enim ibi de Spiritu Sancto posita sunt ad hoc tendunt, ut repellatur haeresis macedoniana et Spiritus Sancti divinitas expresse declaretur. Ad hoc satis erat, ut processio Spiritus a Patre diserte affirmare-

---

patriarcha Constantinopolis a concilio jam electus, mox baptizatus fuit; erat enim catechumenus. Formula apposita fuerit Actis concilii, ubi de facto venit in fine, non in prinipio, ut fieri solet in synodis. Ita a concilio quasi indirecte confirmata fuerit, et Patres Chalcedonenses eam tanquam ipsius concilii formulam praesentare potuerint. Quidam objectionem contra ejus authenticitatem ex *Ancorato sumptam* ita probabiliter solvunt: Epiphanius formulam Nicaenam puram in suo opere primum transcripserit, quam revera solam in subsequentibus commentario prosequitur. Postea scribae huic Nicaenae primaevae textum nicaeno-constantinopolitanum supposuerint.

(1) Hoc concilium non fuit oecumenicum, sed tantum generale concilium totius Orientis, cui nullus Romani Pontificis legatus, nulli Occidentis episcopi interfuerunt. Postea vero, id est tempore Vigilii papae, ut oecumenicum receptum est propter symbolum sub ejus auctoritate circumlatum. Nec illius canones unquam recepit Ecclesia romana. Concilii Chaledonensis tempore, Romani, teste Leone Magno, concilium hujusmodi ignorabant. Mera igitur oecumenicitate, ut dicunt, *subsequente*, gaudet propter Romani Pontificis approbationem.

(2) Cf. p. 70-71.

tur, quandoquidem haeretici processionem eiusdem a Filio *nimis,* ut ita dicam, praedicabant ac extollebant, nedum illam negarent, docendo eum venire *inter ea quae per Verbum facta sunt,* id est esse creaturam; immo vero hoc animadvertas velim, quod si auctor symboli scripsisset: *A Patre per Filium procedit* — haec enim erat ipsissima formula non solum in Oriente sed etiam in Occidente iam vulgata — Macedonii error nonnisi ambigue perculsus fuisset; siquidem haeretici formulam ita interpretari potuissent: Spiritus a Patre per Verbum procedit, id est: nonnisi *mediate a Patre procedit,* quatenus per Verbum, qui suum esse *immediate a Patre tenet,* procedit per viam creationis, secundum axioma: *Causa causae est causa causati* (1). Propter rationem similem, ne scilicet errori vel dubio ansa relinqueretur, nec putaret quis processionem Spiritus a Patre esse meram missionem externam et temporalem, symboli auctor verba evangelica « παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται » non simpliciter exscripsit, sed παρά in ἐκ mutavit, ut clare significaret quaestionem esse *de origine proprie dicta.*

Caeterum, processio Spiritus a Patre *non excludit, sed vere includit* processionem a Filio, si haec duo revera ab omnibus tenenda sunt, scilicet: 1° Spiritus Sanctus non procedit a Patre, qua Pater est, sed qua Spirator; 2° Filius omnia Patris habet praeter esse Patrem.

(1) Jam supra diximus, p. 10, n. 2, auctorem *Librorum Carolinorum* in sensum macedonianum formulam *a Patre per Filium procedit* intellexisse.

II. — Concilia oecumenica de processione Spiritus Sancti ante Photium.

Si Photio credas, omnia concilia oecumenica, inde a secundo, eius dogmati de processione Spiritus a Patre solo aperte suffragata fuerint (1). Omnia enim symbolum nicaeno-constantinopolitanum recitare consueverunt, ubi dicitur: *Qui ex Patre procedit*; quod Photio eiusque discipulis idem sonat ac: *Qui a Patre solo procedit.* Verum neque Photius, neque discipuli eius animum attenderunt ad ea quae in synodis oecumenicis, inde ab Ephesina, acta, declarata vel approbata fuere; ex quibus constat huiusmodi synodos doctrinae catholicae de processione Spiritus Sancti etiam a Filio vel per Filium, sive *indirecte*, sive etiam *directe* suffragatas esse.

Catholici quidam contenderunt synodum Ephesinam doctrinam photianam iam damnasse, dum in sua sessione sexta reprobavit illud symbolum, Nestorii errorem spirans, quod presbyter Charisius Patribus denuntiavit; in illo siquidem haec occurrebant: « Credimus in Spiritum Sanctum, qui de Dei est substantia... neque filium putamus eum esse, *neque per Filium existentiam accepisse*: καὶ οὔτε υἱὸν νομίζομεν, οὔτε διὰ Υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν εἰληφός » (2).

---

(1) « Definivit statim universalium et septem sanctarum synodorum secunda Spiritum ex Patre procedere; excepit tertia, confirmavit quarta, suffragata est quinta, praedicavit sexta, obsignavit claris certaminibus septima; in qualibet illarum est luculenter cernere libere praedicatam veritatem, traditumque de Spiritu illum a Patre, *non autem a Filio procdere* ». *Mystagogia Spiritus Sancti,* 5. P. G., t. CII, col. 285 A B.

(2) Symbolum hujusmodi habes tum in collectionibus conciliorum inter *Acta synodi Ephesinae* (cf. Mansi, t. IV, col. 1348) tum inter *Fragmenta dogmatica Theodori Mopsuesteni,* P. G., t. LXVI, col. 1016-1020. Hanc formulam

Nihil tamen in synodi Actis nobis innuit Patres ad haec verba speciatim attendisse, quandoquidem ex contextu patet illa contra ipsam Macedonii haeresim dirigi. Revera fidei formula a Charisio ut haeretica Patribus delata ideo damnata fuit, quod heresim nestorianam redolebat.

Nec dicemus eamdem synodum docuisse doctrinam catholicam de processione Spiritus Sancti a Filio, quia anathematismum nonum Cyrilli Alexandrini sic se habentem: « Si quis unum Dominum Iesum Christum glorificatum dicit a Spiritu Sancto, tanquam qui aliena virtute per eum usus fuerit et ab eo acceperit efficaciam contra immundos spiritus, et posse in hominibus divina signa facere, *ac non potius proprium eius Spiritum dicit*, per quem divina signa complevit, anathema sit » (1), recepit et approbavit. Anathematismus enim quaestionem christologicam directe respicit, quae sola tunc in controversia erat, quamvis ex Cyrilli effato: *Spiritus Sanctus est proprius Filii*, possit quis iure inferre Spiritum Sanctum a Filio procedere. Sed eiusmodi deductiones a mente concilii longe tunc erant.

Testimonium grave, etsi adhuc indirectum, pro dogmate catholico invenimus in Actis synodorum Chalcedonensis et Constantinopolitanae II (a. 553), quae Cyrilli Alexandrini doctrinam universim ut orthodoxam laudaverunt; immo vero synodus Constantinopolitana in suo anathematismo XIII expresse anathemate plexit « impia Theodoreti scripta, quae con-

---

Theodoro vulgo tribuerunt. (Cf. *Cyrilli Ale. epist.* LXII *ad Proclum*, P. G., t. LXXVII, col. 345 A). Non videtur tamen Theodorus illam composuisse, quamvis cum ejus doctrina christologica congruat. Denzinger-Ban., *op. cit.*, n. 21.

(1) » Εἴ τις.... οὐχὶ δὴ μᾶλλον ἴδιον τοῦ Χριστοῦ τὸ Πνεῦμά φησιν, δι' οὗ καὶ ἐνήργηκε τὰς θεοσημείας, ἀνάθεμα ἔστω ». Denzinger-Ban., *op. cit.*, n. 121.

tra rectam fidem et contra primam Ephesinam synodum, et *S. Cyrillum et duodecim eius capitula exposuit...*; insuper omnes qui secripserunt contra *rectam fidem et S. Cyrillum et duodecim eius capitula* » (1). Atqui Theodoretus, ut videbimus infra, S. Cyrillum carpsit propter eius doctrinam circa processionem Spiritus Sancti etiam a Filio, quae revera omnino explicita est, et ipse Theodoretus dogma catholicum vel negare, vel saltem ignorare, ex iis quae scripsit, visus est. Insuper eadem synodus oecumenica quinta inter doctores Ecclesiae, *quorum doctrinam per omnia sequi se velle profitetur*, recensuit praecipuos Ecclesiae tum latinae tum graecae Patres, qui omnes processionem Spiritus a Patre et Filio vel a Patre per Filium disertis verbis praedicarunt, scilicet: Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum et Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Cyrillum, Leonem (2).

---

(1) Denzinger, *op. cit.*, n. 226.

(2) Patres synodi, in collatione tertia, suam fidem publice profitentur: « Confitemur fidem tenere et praedicare ab initio donatam a magno Deo et Salvatore nostro Jesu Christo sanctis apostolis et ab illis in universo mundo praedicatam, quam et sancti Patres confessi sunt et explanaverunt et sanctis Ecclesiis tradiderunt... *Super haec sequimur per omnia et sanctos Patres et doctores Ecclesiae*: Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum et Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proclum, et suscipimus omnia quae de recta fide et condemnatione haereticorum exposuerunt ». Mansi, *Amplissima collectio conciliorum*, t. IX, col. 201-202. Notum est Acta graeca synodi quintae ad nos non pervenisse et versionem latinam eorum tantum servatam fuisse. In controversia de processione Spiritus Sancti contra dissidentes ad haec verba Patrum concilii quinti haud semel jure provocarunt Byzantini unionistae. Et sane vim argumenti pro doctrina catholica exinde deducti nemo non videt, cum praesertim in catalogo Patrum, quorum doctrina tam explicite recipitur et quasi canonizatur, appareant non solum graeci doctores, sed etiam latini Patres quatuor inter praecipuos: Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Leo, quorum sententia de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio vel per Filium in dubium nemo rationabiliter revocare potest.

Demum in synodo oecumenica septima, quae Nicaena altera fuit, Tarasius, Constantinopolis patriarcha, Photii avunculus, in actione tertia, publice professus est suam fidem in *Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedentem*: τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς δι' Υἱοῦ ἐκπορευόμενον (1). Hanc suam fidei professionem Tarasius, ante concilium, ad omnes Orientis patriarchas miserat in suis litteris synodicis seu enthronisticis, quibus suam ad sedem Constantinopolitanam evectionem illis nuntiabat. Nullus tunc huic formulae reclamavit, nullus item, quando eadem coram synodo lecta est; immo vero, post concilium, videmus Hadrianum papam I Tarasii orthodoxiam, a theologis qui circa Carolum Magnum erant in dubium vocatam ob verba: *A Patre per Filium procedentem*, Patrum graecorum testimoniis tueri ac defendi (2). Certe hic habemus maximi momenti *documentum fidei Ecclesiae septem priorum conciliorum*, ut dicunt dissidentes, quo luce clarius patet dogma photianum de processione Spiritus Sancti a Patre solo tunc fuisse ignotum; quin immo asserendum est illud a Patribus concilii septimi indirecte fuisse damnatum, quandoquidem formula Tarasiana: *Spiritus Sanctus ex Patre per Filium procedit* cum Photiana: *A Patre solo procedit*, aperte pugnat, nec altera ad alteram sine sophisticis cavillationibus reduci possit.

III. — De aliis conciliis et fidei confessionibus.

Praeter textum symboli nicaeno-constantinopolitani dicti, S. Epiphanius, in fine *Ancorati*, aliam tradit fidei formulam, a se forsan compositam, quam propter novas exortas haereses

(1) Mansi, t. XII, col. 1121 D.
(2) *Epistola ad Carolum Magnum*, P. L., t. XCVIII, col. 1249.

omnibus commendat tanquam formulam baptismalem congruenter adhibendam. In hac de Spiritu Sancto sequentia occurrunt:

« Credimus et in Spiritum Sanctum, qui locutus est in lege et per prophetas praedicavit, et ad Jordanem descendit, in apostolis locutus est et in sanctis habitat. Ita porro nos in ipsum credimus: Spiritum esse sanctum, Spiritum Dei, Spiritum perfectum, Spiritum Paracletum, increatum, *ex Patre procedentem et ex Filio accipientem* (1) ».

Habemus hic certo processionem aeternam Spiritus Sancti ex Patre et ex Filio ipsis Christi verbis expressam. Nota tam pro processione ex Filio quam pro processione ex Patre praepositionem ἐκ usurpari, quod passim solet Epiphanius, ubi de processione Spiritus agitur.

Synodus romana anni 382, sub Damaso papa, non solum divinitatem Spiritus Sancti profitetur, sed etiam ejus a Patre et Filio processionem, Scripturae verbis utens:

« Spiritus Sanctus *non est Patris tantummodo Spiritus, sed Patris et Filii.* Scriptum est enim: *Si quis dilexerit mundum, non est Spiritus Patris in illo* (I Joa. II, 15). Item scriptum est: *Qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (Rom. VIII, 8, 9). Nominato itaque Patre et Filio intelligitur Spiritus, de quo ipse Filius in Evangelio: *Spiritus qui*

---

(1) « ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ λαμβάνον ». *Ancoratus,* 119. Ita in textu critico editionis Caroli Holl, *Epiphanius.* (*Ancoratus und Panarion*), t. I, Lipsiae, 1915, p. 148, loco lectionis vulgatae (cf., v. g., Denzinger, n. 13): « ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ λαμβανόμενον καὶ πιστευόμενον ». Patet in hac lectione λαμβανόμενον esse vocis mediae, *non passivae,* ut intelligere voluerunt quidam theologi dissidentes, inter quos Macarius Bulgakov. Caeterum eamdem locutionem habet Epiphanius supra, *Ancoratus,* 7 (Holl., p. 13): « τὸ δὲ Πνεῦμα παρὰ Πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ τοῦ Υἱοῦ λαμβάνον ».

a Patre procedit (Joa. XV, 26), et: *Ille de meo accipiet et annuntiabit vobis* » (Joa. XVI, 14) (1).

Sub nomine ejusdem Damasi papae alia fidei confessio venit, *Fides Damasi* nuncupata, quam recentes critici inter symbola antipriscilliana hispanica recensent et ad saeculum IV exeuntem probabiliter assignant (2). De Spiritus Sancti processione haec in ea leguntur: « Confitemur Spiritum Sanctum non genitum neque ingenitum, *sed de Patre et Filio procedentem* (3) ».

In Hispania item, a saeculo V ineunte usque ad finem saeculi VII, multas invenimus fidei professiones, eas praesertim, quae in conciliis Toletanis lectae sunt et approbatae, in quibus Spiritus Sanctus dicitur a Patre et Filio procedere (4). Audiatur, v. g., confessio fidei concilii Toletani VI (vel VII, juxta quosdam) anno 638 habiti:

« Credimus et confitemur... Patrem ingenitum, increatum, fontem et originem totius divinitatis... Spiritum vero Sanctum neque genitum neque creatum, sed *de Patre Filioque proce-*

---

(1) Denzinger, n. 83. Vides synodum romanam opportune complere formulam nicaeno-constantinopolitanam, quam anno 381 Orientales, Constantinopoli in synodum adunati, receperant, solam processionem Spiritus a Patre expresse profitentem. Et forsitan Romani complementum hujusmodi de industria addiderint!

(2) C. Künstle, *Antipriscilliana*, Friburgi, 1905, p. 54, censet hoc symbolum ideo « Fides Damasi » dictum fuisse, quod forsan concilium Caesaraugustanum anni 380 ad Damasum papam approbationis causa illud miserit, papa autem illud ut orthodoxum receperit.

(3) Denzinger, *op. cit.*, n. 15.

(4) De primis formulis quae sub nomine synodorum Toletanarum veniunt inde ab anno 400, quidem critici dubium movent. Cf. Künstle, *op. cit.*, 40-44, p. 67-70; E. Mangenot, *L'origine espagnole du Filioque*, in commentario *Revue de l'Orient chrétien*, t. XI (1906), p. 92-101; A. Palmieri, *art. cit.*, col. 810-811.

dentem utriusque esse Spiritum: ac per hoc substantialiter unum sunt, quia et unus ab utroque procedit » (1).

Concilium Toletanum XI (anno 675) suam de Spiritu Sancto doctrinam fusius exponit:

« Confitemur et credimus sanctam atque ineffabilem Trinitatem... et Patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur: ipse enim a nullo originem ducit, ex quo et Filius nativitatem, et Spiritus Sanctus processionem accepit: fons ergo ipse et origo totius divinitatis... Spiritum quoque Sanctum... credimus esse Deum, unius substantiae, unius quoque naturae: non tamen genitum vel creatum, *sed ab utrisque procedentem, amborum esse Spiritum...* qui nec Patris tantum, sed simul Patris et Filii Spiritus dicitur. Nec enim de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad sanctificandum creaturam, *sed simul ab utrisque processisse monstratur*, quia caritas sive sanctitas amborum esse agnoscitur. Hic igitur Spiritus Sanctus missus ab utrisque sicut Filius a Patre creditur, sed minor a Patre et Filio non habetur » (2).

Notanda sunt etiam verba concili Toletani XVI (anno 693), quae processionem aeternam Spiritus Sancti absque ulla ambagine significant: « Credimus et confitemur Spiritum Sanctum *ex Patre Filioque absque aliquo initio procedentem* » (3).

Symbolum *Quicumque, Athanasianum* dictum, de cujus origine adhuc certant eruditi, in Gallia meridionali, ad usum monachorum, circa finem saeculi V vel saeculo VI ineunte

(1) Mansi, t. x, col. 662 A; Labbe, *Concilia*, t. vi, col. 541.

(2) Mansi, xi, 133; Labbe, vii, 557; *Denzinger*, n. 275, 277. Künstle, *op. cit.*, p. 73 sq., opinatur symbolum a synodo Toletana xi recitatum saeculo v compositum fuisse. Caeterum notandum est haud pauca a Künstle de symbolis asserta probabilitatis campum non praetergredi. Cf. *Etudes des Pères Jésuites*, feb. 1906, p. 407 sq.

(3) Mansi, t. xii, 64 D; Labbe, viii, 54.

probabilissime compositum, catholica autctoritate jamdiu donatum, doctrinam catholicam his verbis exprimit: *Spiritus Sanctus, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens* (1).

Multae aliae fidei professiones Occidentalium, sive individuae sive synodales, enumerari possunt, in quibus processio Spiritus a Patre et Filio simpliciter affirmatur; ex quibus omnino constat hanc doctrinam, inde a saeculo IV, per totum Occidentem latinum ad magisterium Ecclesiae ordinarium pertinuisse et ab omnibus explicite creditam fuisse (2); quod

(1) Inde a saeculo IX, etiam ante Photium, Latini ad Athanasianum provocare consueverunt in controversiis circa processionem Spiritus Sancti, ut constat tum ex testimonio Alcuini (a. 808), *De processione Spiritus Sancti*, 1, P. L., t. CI, col. 73 D, tum ex *Epistola monachorum Benedictorum Montis Oliveti ad Leonem papam* III (a. 809, P. L., t. CXXIX, col. 1257-1259. Graece redditum est, ut videtur, circa finem saeculi XII, quo tempore Hugo Eterianus Graecis illud objicit: *De haeresibus Graecorum*, P. L., t. CCII, col. 393. Saeclo XIII, Joannes Veccus versionem graecam citat cum particula *Filioque, Epigraphae*, P. G., t. CXLI, col. 621. Codices graeci hanc particulam habent vel omittunt, prout ab Unionistis vel a Photianis exarati sunt. Graeci vel negarunt hoc symbolum esse genuinum Athanasii fetum, — quod verum est — vel Latinos accusarunt quod post exortam controversiam circa *Filioque*, hanc voculam addiderint, quod falsum est.

(2) Vide, v. g., professionem fidei S. Victricii, Rhotomagensis episcopi († 407?), apud Hahn, *Bibliotek der Symbole und Glaubensregeln der alten Kirche*, ed. 3, Breslaviae, 1897, p. 286; professionem fidei episcoporum Africanorum ad Hunnericum regem (a. 484), P. L., t. LVIII, col. 219; professiones *Phebadii, Isatis ex Judaeo, Pseudo-Gennadii Massiliensis, Pseudo-Gregorii Magni*, apud Künstle, *op. cit.*, p. 55-103; professiones approbatas a synodis hispanis Meridensi (a. 666) et Bracarensi (a. 675), Mansi, t. XI, col. 77, 154; testimonium synodi Heatfieldensis in Anglia (a. 680), cui praefuit Theodorus Tarsensis, Cantuariensis archiepiscopus, apud S. Bedam, *Hit. eccl.*, IV, 17, P. L., t. XCV, col. 199: « Glorificantes Deum Patrem... *et Spiritum Sanctum procedentem ex Patre et Filio inenarrabiliter*. Diu theologi catholici provocaverunt ad auctoritatem synodi Ecclesiae Persarum, anno 410, in civitate Seleucia-Ctesiphonti sub catholico Isaaco habita. In quodam codice syriaco Florentino, hujus synodi Acta referebant symbolum Nicaenum cum hac additione: « Et in unum Spiritum vivum et sanctum Paracletum vivum, *qui ex Patre et Filio*. Verum ex aliis syriacis codicibus constat Patres synodi purum symbolum Nicaenum absque ulla additione recitasse. Interpolatio, quae circa saeculum IX-X facta est, Jaco-

etiam adhuc luculentius patebit ex iis quae de additione vocis *Filioque* ad symbolum Nicaeno-constantinopolitanum dicturi sumus.

Art. III. — De Patrum graecorum doctrina, inde a saeculo iv.

Praenotamina.

Ut in principio articuli praecedentis jam diximus, exorta haeresi quae Spiritus Sancti divinitatem negabat, Patres graeci in asserenda et demonstranda ejus consubstantialitate cum Patre et Filio toti fuerunt. Ut hoc praestarent, in processione ejus a Patre potissimum institerunt, quandoquidem haeretici hanc expresse rejiciebant, dum Spiritum Filii creaturam pronuntiabant. Attamen de processione ejusdem Spiritus a Filio, seu potius per Filium, non ex toto tacuerunt, sed eam aperte docuerunt, ubi de relationibus personarum divinarum ad invicem ex professo tractarunt. Cum vero relationem originis quae inter Filium et Spiritum Sanctum existit, nemo tunc negaret, de ea in specie non disseruerunt, sed obiter tantum et quasi per transennam eam indicarunt. Inde in eorum scriptis obscuritas quaedam et imperfecta dogmatis catholici expo-

---

bitis tribuenda est, ut dicit J.-B. Chabot, *Synodicon orientale*, Parisiis 1902, p. 262, n. 5: « Comme on devait s'y attendre, il n'y a aucune trace de la mention de la procession da Saint-Esprit *ex Filio*, subrepticement introduite dans le symbole placé en tête des canons d'Isaac édités par M. Lamy: *Concilium Seleuciae*, Louvain, 1868, p. 27-30, et qu'il diffère assez sensiblement du nôtre dans sa rédaction... J'ai examiné de nouveau le manuscrit. Les mots: *qui ex Patre et Filio* se trouvent réellement dans le texte, sans rature ni surcharge, de la même main que le reste. Le manuscrit n'est malheureusement pas daté. Toutefois l'écriture dénote le IXe on tout au moins le Xe siècle ». Cf. M. Lamy, *Compte rendu du* IIIe *Congrès scientifique des Catholiques*, Bruxelles, 1894, 3, e p. 85.

sitio, quae Photio ejusque discipulis aliquatenus favit illisque quorumdam argumentorum speciosorum materiam praebuit.

Qui omnia ex graecorum Patrum operibus colligere vellet, quae ad processionem Spiritus Sancti etiam ex Filio seu per Filium spectant, magnum sane volumen concinnaret (1). Nos vero satis habebimus: 1° dare generalem compectum doctrinae trinitariae horum Patrum; 2° quaedam testimonia ex praecipuis selecta afferre, quae doctrinam catholicam haud dubie significant, aut supponunt; 3° praecipua item, quae pro sua sententia laudare solent heterodoxi, examini subjicere ac discutere.

I. — Conspectus generalis doctrinae Patrum graecorum de Trinitate.

Ut ex primo hujus capitis articulo constat, Patres Antenicaeni, tum graeci, tum latini, ubi relationem Spiritus Sancti ad Patrem necnon ad Filium significare volunt, jam utuntur formula: *A Patre per Filium procedit,* quae in ipso ordine personarum divinarum ad invicem, prout a Christo expressus est (Matth. XXVIII, 19), fundamentum habet. Eamdem retinent plerique Patres graeci (2), inde a saeculo IV. Ipsi enim,

---

(1) Haud pauca invenies tum in dissertatione Adolphi Bernardi Van der Moeren, *Dissertatio theologica de processione Spiritus Sancti ex Patre Filioque,* Lovanii, 1864, tum apud Franzlin, *Tractatus de Deo trino,* ed. 3, Romae, 1881, *theses* XXXV et XXXVI, p. 514-550; item in *Examine doctrinae Macarii Bulgakov episcopi russi schismatici,* Romae, 1876, tum praesertim apud Theodorum de Régnon, *Etudes de théologie positive sur la sainte Trinité,* t. I, p. 335-473, et totum t. IV, Parisiis, 1892. Cf. A. Palmieri, *art.* ESPRIT-SAINT, in *Dictionnaire de théologie catholique,* t. V, col. 776-799. Vide etiam *Epigraphas* Joannis Vecci, P. G., t. CXLI, col. 613-724.

(2) Dico *plerique,* quia, ut videbimus infra, quidam ex illis formulam latinam: *A Patre Filioque* seu *ab utroque* usurpant.

sicut Antenicaeni, non a notione unius Dei, quam ratio philosophica sibi effingere potest, suam de Trinitate speculationem exordiuntur, sed doctrinam, revelatam de Deo in personis trino imprimis considerant: *Deus est in tribus personis*, vel potius *Deus est tres personae*: en definitio, a qua tanquam a principio primo suum de Deo sermonem incipiunt. Tres personas divinas *in recto* considerant, naturam divinam vero *in obliquo*. Trinitate personarum posita, ab hac ad unitatem naturae seu essentiae redire conantur. Latini vero, e contra, inde praesertim ab Augustino, in unam naturam mentis oculos primum figunt, et in hac natura rationem trinitatis personarum invenire quaerunt. Naturam intuentur *in recto*, personas *in obliquo*. Dicunt: *In Deo uno sunt tres personae*. Periculum tritheismi in conceptu Graecorum latet; in conceptu vero Latinorum, periculum modalismi. Alter altero complendus est ac corrigendus (1).

(1) Ad rem de Régnon, *op. cit.*, t. I, p. 433-434: « La philosophie latine envisage d'abord la nature en elle-même et poursuit jusqu'au suppôt; la philosophie grecque envisage d'abord le suppôt et y pénètre ensuite pour trouver la nature. Le Latin considère la personnalité comme un mode de la nature; le Grec considère la nature comme le contenu de la personne. Ce sont là des visées contraires, qui projettent les concepts de la realité sur des fonds différents. Aussi le Latin dit: « trois personnes en Dieu »; le Grec dit: « un Dieu en trois personnes ». Dans les deux cas, c'est la même foi, le même dogme; mais le mystère se présente sous deux formes différentes. — L'unité de substance divine: voilà qui est clair pour le Latin; mais comment dans un seul Dieu peut-il y avoir trois subsistences différentes? voilà l'obscurité. — Chaque personne est Dieu: voilà pour le Grec ce qui ressort clairement de la révélation; mais comment la même substance est- elle contenue dans ces trois réalités, subsistantes? voilà l'obscurité. La raison a donc à se débattre contre des difficultés contraires, et le même dogme donne lieu à des polémiques dissemblables. Mais de part et d'autre, la raison se soumet également devant le mystère. Les deux écoles se corrigent pour parvenir à une même formule. — Les trois personnes, dit le Latin, ne sont pas seulement en Dieu, les trois personnes sont un seul et même Dieu. La divinité, dit le Grec, n'est pas seulement dans les trois per-

Diagramma trinitarium. — Ut ex ipsa formula: *Spiritus a Patre per Filium procedit*, colligere est, Graeci Patrem habent ut principium primordiale, fontem originalem totius divinitatis (πηγαία θεότης) a quo primus provenit Filius per viam generationis, secundus Spiritus Sanctus *per Filium seu mediante Filio*, secundum modum alterum nobis ignotum et omnino ineffabilem, de quo tantum scimus eum non esse generationem. Ignorant siquidem hi Patres theoriam psychologiam Trinitatis, a sancto Augustino primum adumbratam, a sancto Thoma Aquinate postea expolitam. Quidam tamen ex ipsis characterem proprium utriusque personae procedentis definire tentant ex sacrae Scripturae dictis, Filio perfectiones ordinis physici, Spiritui Sancto perfectiones morales potissimum tribuentes (1).

---

sonnes, mais la divinité est les trois peronnes: « Ἓν γὰρ ἐν τρισὶν ἡ θεότης, καὶ τὰ τρία ἕν, ἐν οἷς ἡ θεότης, ἤ, τό γε ἀκριβέστερον εἰπεῖν, ἃ ἡ θεότης ». S. Gregorius Nazianzenus, *Oratio* XXXIX, 11, *In sanctu lumina*, P. G., t. XXXVI, col. 345 D.

(1) Hoc primum notavit de Régnon: « Si l'on étudie dans les Docteurs grecs quelles sont les perfections divines attribuées au Fils ou personnifiées dans le Fils, on constate qu'en général ce sont les *perfections physiques*, comme si l'operation physique qu'on appelle génération et qui a pour terme un fils de même nature que son père, avait pour résultat propre et formel de produire des perfections *physiques*. *Raison, Sagesse*, perfections de l'intelligence, et par conséquent perfections physiques; *Volonté, Vouloir, puissance*: encore ici perfections de nature, perfections physiques. De là vient que les Grecs attribuent spécialement au Fils la production des créatures comme oeuvre de sagesse, de volonté et de puissance... Les mêmes attribuent plus spécialement au Saint-Esprit l'ordre, le perfectionnement, la paix des choses. C'est surtout lorsqu'il s'agit de la perfection morale et de la sainteté qu'ils se tournent vers l'Esprit, qui personnellement est le saint et le sanctificatur... N'est-ce pas nous enseigner que, tandis que le Fils se rapporte à la perfection *phyique* du Père, le Saint-Esprit se rapporte à la perfection *morale* du Père et du Fils... « Dans le Père, dit S. Jean Damascène (*De fide orth.*, l. I, c. XII, P. G., t. XCIV, col. 849), pas de raison, de sagesse, de puissance, de volonté sinon le Fils »: voilà pour les perfections physiques. « S'il y a, dit S. Gregoire de Nazianze, une autre sainteté

Concipiunt igitur hi Patres motum vitae divinae ad intra tanquam secundum lineam rectam sese expandentem: Ex Patre oriens, sistit primum in Filio, et *per Filium* cursum suum prosequitur usque ad Spiritum Sanctum, in quo ultimo quiescit. Unde Spiritus Sanctus dicitur *finis, complementum*, συμπλήρωμα, Trinitatis.

Diagramma hujusmodi, tres personas divinas nexu originis sibi invicem conjunctas nobis vivide repraesentans, plures Patres expressis verbis adumbrant. Ita praesertim sanctus Gregorius Nazianzenus (1), sanctus Basilius (2),

---

que l'Esprit-Saint, qu'on nous le dise » (*Oratio* XXXI, 4, P. G., t. XXXVI, col. 137 A): voilà pour les perfections morales ». *Op. cit.*, t. IV, p. 350-355. Haec quidem ex scriptis Patrum graecorum ingeniose collegit de Régnon, quae in horum Patrum doctrina revera fundamentum habent. Attamen nullum invenimus doctorem qui ita *systematice* et *explicite* rem explanaverit.

(1) *Oratio* XXIX, 2, P. G., t. XXXVI, col. 76 B: « *Unitas, a principio in binarium mota, in Trinitate constitit.* Et hoc nobis est Pater et Filius et Spiritus Sanctus: Pater quidem genitor et productor..., horum autem alter est illud quod genitum est, alter, quod productum est: Μονὰς ἀπ' ἀρχῆς εἰς δυάδα κινηθεῖσα, μέχρι Τριάδος ἔστη..., ὁ μεν γεννήτωρ καὶ προβολεύς,.. τῶν δὲ τὸ μὲν γέννημα, τὸ δὲ πρόβλημα ».

(2) *Epistola* XXVIII, 4, *ad Gregorium fratrem*, P. G., t. XXXII, col. 332: « Qui Spiritum tantum dixit, comprehendit simul hac confessione et eum cujus Spiritus est. Et quia *Christi est Spiritus* et *ex Deo*, ut dicit Paulus, sicut qui ex catena unum extremum attraxit, ita qui Spiritum attraxit, ut ait Propheta (Ps. CXVIII, 131), et Filium et Patrem per ipsum simul traxit. Quin etiam Filium si quis vere apprehenderit, habebit eum utrimque, hinc quidem Patrem suum, illinc vero Spiritum proprium una secum adducentem. Neque enim qui semper est in Patre abscindi a Patre poterit, neque a proprio Spiritu unquam ille sejungetur qui in ipso efficit omnia. Similiter autem et qui Patrem recepit, simul quoque et Filium et Spiritum potestate recepit. Non enim ullo modo sectio aut divisio excogitari potest, ita ut aut Filius absque Patre intelligatur, aut Spiritus sejungatur a Filio: ὥσπερ ἐξ ἁλύσεως ὁ τοῦ ἑνὸς ἄκρου ἁψάμενος καὶ τὸ ἕτερον ἄκρον συνεπεσπάσατο, οὕτως ὁ τὸ Πνεῦμα ἑλκύσας... δι' αὐτοῦ καὶ τὸν Υἱὸν καὶ τὸν Πατέρα συνεφειλκύσατο. Καὶ εἰ τὸν Υἱὸν ἀληθινῶς τις λάβοι, ἕξει αὐτὸν ἑκατέρωθεν, πὴ μέν τὸν ἑαυτοῦ Πατέρα, πὴ δὲ τὸ ἴδιον Πνεῦμα συνεπαγόμενον... Οὐ γὰρ ἔστιν ἐπινοῆσαι τομὴν ἢ διαίρεσιν κατ' οὐδένα τρόπον, ὡς ἢ Υἱὸν χωρὶς Πατρὸς νοηθῆναι, ἢ τὸ Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ διαζευχθῆναι ».

sanctus Gregorius Nyssenus (1) Didymus Alexandrinus (2).

Comparationes. — Iidem Patres, ad inculcandam Trinitatis notionem, multas comparationes usurpant, ex rebus materialibus nexu physicae alligationis sibi invicem cohaerentibus desumptas, quae cum diagrammate lineae rectae omnino congruunt. Dicunt, v. g., Spiritum Sanctum esse imaginem Filii, quemadmodum Filius ipse est imago Patris (3); Filium esse brachium vel manum Patris, Spiritum vero esse *digitum Dei*, id est Filii et Patris (4); Patrem esse radicem, Filium ramum, Spiritum fructum (5). Aliqui Trinitatis figuram su-

(1) *Contra Eunomium*, l. I, P. G., t. XLV, col. 416: « *A Patre per Filium ad Spiritum Sanctum accedimus*: nam in consideratione ingeniti luminis constituti, lumen ipsum, quod ex ipso continue procedit cognovimus [id est Filium];... et rursus aliud lumen ejusdem generis [novimus], eodem modo nullo temporali intervallo a lumine genito abscissum, *sed per ipsum equidem effulgens, principium vero suae hypostaseos a primaevo lumine accipiens*: καὶ πάλιν ἕτερον τοῦτον φῶς, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον, οὐ χρονικῷ τινι διαστήματι τοῦ γεννητοῦ φωτὸςι ἀποτεμνόμενον, ἀλλὰ δι' αὐτοῦ ἐκλάμπον, τὴν δὲ τῆς ὑποστάσεως αἰτίαν ἔχον ἐκ τοῦ πρωτοτύπου φωτός ».

(2) *De Trinitate* l. II, c. 11, P. G., t. XXXIX, col. 652 C: « *Invenitur Filius a dextris Patris esse, ipse a dextris habens Dei Spiritum*: ὡς εὑρίσκεσθαι τὸν Υἱὸν ὄντα μὲν ἐκ δεξιῶν τοῦ Πατρός. ἔχοντα δὲ ἐκ δεξιῶν τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ ».

(3) Cf. ea quae supra dicta sunt, p. 42, n. 1; De *Régnon*, *op. cit.*, t. IV, p. 17-19, 138.

(4) Ita Didymus, *De Spiritu Sancto*, 20, P. G., t. XXXIX, col. 1051: «Filius et manus et dextera et brachium Patris dicitur... Spiritus etiam digitus Dei secundum conjunctionem naturae Patris et Filii nominatur... Si igitur conjunctus est digitus manui, et manus ei cujus manus est, digitus sine dubio ad ejus subtantiam refertur, cujus digitus est». Ita praesertim Cyrillus Alexandrinus, *Thesaurus*, *Assertio* 34, P. G., t. LXXV, col. 576, 577: « Quemadmodum brachium coaptatum est integro corpori omniaque operatur quae menti placent, et inungere solet, digito utens: ita et Verbum Dei ex ipso et in ipso naturaliter coaptatum, ut ita dicam, et insitum existimemus, et in Filio naturaliter atque essentialiter ex Patre transire Spiritum, per quem [Filius] omnia ungens sanctificat: ἐν δὲ τῷ Υἱῷ φυσικῶς τε καὶ οὐσιωδῶς διῆκον παρὰ Πατρὸς τὸ Πνεῦμα, δι' οὗ τὰ πάντα χρίων ἁγιάζει ».

(5) Ita Joannes Damascenus, *De haeresibus*, in fine, P. G, t. XCIV, col. 780 B: « Ῥίζαν νόησον τόν Πατέρα, κλάδον τὸν Υἱόν, καρπὸν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον· μία γὰρ ἐν τοῖς τρισὶν ἡ οὐσία ».

munt ex ore, verbo et flatu (1) vel ex loquente, verbo et loquela seu dictum (2); alii, ex fonte, fluvio et mari, vel ex fonte, fluvio et aqua (3); alii ex roseto, rosa eorumque odore (4), vel ex sole, radio et illuminatione (5). Haec omnia innuunt tum consubstantialitatem personarum divinarum, quam antiqui Patres potissimum intendunt, tum ordinem immanentem earum super relatione seu nexu originis fundatum; ita ut Pater principium primordiale tum Filii, tum Spiritus Sancti appareat, Spiritus Sanctus vero nexu originis cum Filio videatur proxime conjunctus.

---

(1) Ita Gregorius Nyssenus, *Oratio catechetica*, 2, P. G., t. XLV, col. 17, et Damascenus, *De fide orthodoxa*, l. I, c. 7, P. G., t. XCIV, col. 804-805: « Δεῖ τὸν Λόγον καὶ Πνεῦμα ἔχειν. Καὶ γὰρ καὶ ὁ ἡμέτερος λόγος οὐκ ἄμοιρός ἐστι τοῦ πνεύματος, ἀλλ' ἐφ' ἡμῶν μὲν τὸ πνεῦμα ἀλλότριόν ἐστι τῆς ἡμετέρας οὐσίας... » Cf. Athanasium, supra, p. 58, n. 2.

(2) Ita Didymus, *De Trinitate*, l. II, 5, P. G., t. XXXIX, col. 496: « Ἴδιον τὸ Ῥῆμα τοῦ Λόγου, καὶ ὁ Λόγος τοῦ Νοῦ (cf. Eph. VI, 17: καὶ τὴν μάχαιραν τοῦ πνεύματος, ὅ ἐστι ῥῆμα Θεοῦ). Ita etiam Pseudo-Basilius, *Contra Eunomium*, l. V, P. G., t. XXIX, col. 732: « Θεοῦ μὲν λόγος ὁ Υἱός, ῥῆμα δὲ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα.., κα ἐπειδὴ ῥῆμα Υἱοῦ, διὰ τοῦτο Θεοῦ ».

(3) Ita Damascenus, *De haeresibus, loc. cit.*, col. 780 B: « Πηγὴν ζωῆς νοῆσον τὸν Πατέρα, ὡς ποταμόν γεννῶντα τὸν Υἱόν· θάλασσαν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ». Gregorius Nazianzenus, *Oratio* XXXI, 31, P. G., t. XXXVI, col. 169: « Ὀφθαλμόν τινα καὶ πηγὴν καὶ ποταμὸν ἐνενόησα. — καὶ γὰρ καὶ ἄλλοι, — μὴ τῷ μὲν ὁ Πατήρ τῷ δὲ ὁ Υἱός, τῷ δὲ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀναλόγως ἔχῃ ». Athanasius, *Epist. I ad Serapionem*, 19, P. G., t. XXVI, col. 573 C D: « Τοῦ Πατρὸς ὄντος πηγῆς, τοῦ δὲ Υἱοῦ ποταμοῦ λεγομένου, πίνειν λεγόμεθα τὸ Πνεῦμα ».

(4) Ita Damascenus, *Dialogus contra Manichaeos*, 8, P. G., t. XCIV, col. 1513A: « Διὸ εἰ καὶ τρεῖς ὑποστάσεις, ἀλλ' εἷς Θεός, καὶ οὐ τρεῖς, ὡς τὸ φυτὸν τοῦ ῥόδου καὶ τό ἄνθος καὶ ἡ εὐωδία ἑκάστου αὐτῶν ῥόδον λέγεται καὶ ἔστι, καὶ οὐ τρία ῥόδα λέγονται ἐν τῇ συναριθμήσει, ἀλλὰ ῥόδον, ἡ ῥίζα καὶ ὁ κλάδος καὶ τὸ ἄνθος ».

(5) Ita Damascenus, *De fide orth.*, l. I, 8, P. G., t. XCIV, col. 832-833: « Spiritum Sanctum et ex Patre esse, et Patris Spiritum nominamus. At vero eum ex Filio esse non dicimus, Filii tamen Spiritum nominamus. *Si quis enim Spiritum Christi non habet*, ait divinus Apostolus, *hic non est ejus* (Rom. VIII, 9). Et Spiritum per Filium manifesto apparere et nobis impertiri confitemur. *Insufflavit enim*, inquit, et *dixit discipulis suis*: *Accipite Spiritum Sanctum* (Joa. XX, 22). Sicut ex sole est radius et illuminatio, ipse [id est Pater] est fons radii et illuminationis; per radium vero illuminatio nobis communicatur: ὥσπερ ἐκ

De operationibus ad extra. — Hoc sibi peculiare habent hi Patres quod non solum docent operationes ad extra tribus personis Trinitatis esse communes, sed etiam quod in unaquaque hujusmodi operatione, singulae personae agunt secundum ordinem quem ad intra habent ad invicem operationemque propria nota hypostatica quasi colorant ac sigillant, ita ut operatio ad extra imitetur ac reproducat motum vitae divinae, quem supra diximus sese expandere secundum lineam rectam. Hunc conceptum jam invenimus apud Irenaeum clare adumbratum (1). Docent itaque hi Patres operationes ad extra a Patre tanquam a primo principio proficisci, per Filium progredi et in Spiritu Sancto perfici ac consummari. Inde formula apud eos trita: *Pater operatur omnia per Filium in Spiritu Sancto.*

« In hominibus quidem, ait Gregorius Nyssenus, cum cujusque operatio in iisdem officiis discreta sit, proprie nominantur multi... At in divina natura non ita didicimus quod Pater faciat aliquid per se solus, quod Filius non una cum eo contingat; aut Filius rursus peculiariter quid operetur absque Spiritu. Sed omnis operatio a Deo ad creaturam perveniens et nomen accipiens secundum varias notiones, *a Patre proficiscitur et per Filium progreditur, et in Spiritu Sancto perficitur...* Non divisim pro numero hypostaseon sancta Trinitas omnem actionem operatur, sed unus quidem bonae voluntatis motus, una dispositio est quae a Patre per Filium ad Spiritum usque deducitur atque dirigitur (2).

τοῦ ἡλίου μὲν ἥ τε ἀκτὶς καὶ ἡ ἔλλαμψις, αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ πηγὴ τῆς ἀκτῖνος καὶ τῆς ἐλλάμψεως, διά τε τῆς ἀκτῖνος ἡ ἔλλαμψις ἡμῖν μεταδίδοται ».

(1 Cf. supra, p. 97.

(2) ***Ad Ablatium, Quod non sint tres dii,*** **P. G., t. XLV, col. 125-129:** « Ἀλλὰ πᾶσα ἐνέργεια ἡ θεόθεν ἐπὶ τὴν κτίσιν διήκουσα καὶ κατὰ τὰς πολυτρόπους ἐννοίας ὀνομαζομένη, ἐκ Πατρὸς ἀφορμᾶται, καὶ διὰ τοῦ Υἱοῦ πρόσεισι, καὶ ἐν τῷ Πνεύματι τῷ ἁγίῳ τελειοῦται ».

Item S. Basilius in *Libro de Spiritu Sancto*:

« In naturarum rationalium creatione, cogita mihi primariam causam eorum quae fiunt Patrem; conditricem, Filium; perfectricem, Spiritum Sanctum: ut voluntate quidem Patris administratorii spiritus existant, Filii vero operatione ad existentiam perducantur, Spiritûs vero praesentia perficiantur. Porro angelorum perfectio est sanctificatio et perseverantia in ea. Ac nemo me credat tres ponere hypostases originales (seu principii rationem habentes) aut Filii operationem dicere imperfectam. *Principium enim eorum quae sunt unum est, per Filium condens et perficiens in Spiritu.* Neque Pater, qui operatur omnia in omnibus, imperfectam habet operationem, neque Filius inconsummatam creationem, nisi a Spiritu perficiatur. Ita nec Pater opus habet Filio, sola voluntate creans; attamen vult creare per Filium. Nec Filius eget auxilio, Patris ad instar operans sed et Filius vult per Spiritum perficere (1) ».

Hanc doctrinam Joannes Damascenus sic breviter contrahit:

« Omnia quae causae, patri, fonti, genitori conveniunt, ea Patri soli ascribi debent. Quae autem producto, genito, filio, verbo, primordiali potentiae, voluntati, sapientiae quadrant, ea Filio tribuenda sunt. Quae denique producto, procedenti, manifestanti ac perficienti potentiae, haec Spiritui Sancto danda » (2).

---

(1) *De Spiritu Sancto*, c. XVIII, 38, P. G., t. XXXII, col. 136: « Ἐν δὲ τῇ τούτων κτίσει ἐννόησόν μοι τὴν προκαταρκτικὴν αἰτίαν τῶν γινομένων, τὸν Πατέρα· τὴν δημιουργικήν, τὸν Υἱόν· τὴν τελειωτικήν, τὸ Πνεῦμα... Ἀρχὴ γὰρ τῶν ὄντων μία, δι' Υἱοῦ δημιουργοῦσα καὶ τελειοῦσα ἐν Πνεύματι ». Cf. S. Gregorium Nazianzenum, *Oratio* XXXIV, 8, P. G., t. XXXVI, col. 249 A, qui Patrem appellat causam; Filium opificem; Spiritum Sanctum, perfectorem: αἴτιος, δημιουργὸς καὶ τελεποιός.

(2) *De fide orthodoxa*, l. I, c. 12; P. G., t. XCIV col. 136: « Ὅσα οὖν ἁρμόζει αἰτίῳ, πατρί, πηγῇ, γεννήτορι, τῷ Πατρὶ μόνῳ προσαρμοστέον. « Ὅσα δὲ αἰτιατῷ, γεννητῷ, υἱῷ, λόγῳ, δυνάμει προκαταρκτικῇ, θελήσει, σοφίᾳ, τῷ Υἱῷ. Ὅσα δὲ αἰτιατῷ ἐκπορευτῷ, ἐκφαντορικῇ, τελεσιουργικῇ δυνάμει, τῷ ἁγίῳ Πνεύματι ».

De operationibus sanctificatoriis et de missionibus divinis. — Cum operationes divinae ad sanctificationem creaturarum intellectualium ordinatae species quaedam sint operationum ad extra, Patres graeci tribus personis illas tribuunt secundum eumdem modum, quo alias operationes iisdem adscribunt. Omnia dona spiritualia et supernaturalia *a Patre per Filium in Spiritu Sancto impertiuntur* (1). Unde omnis actio ad extra, sive sit ordinis naturalis, sive ordinis supernaturalis, notam et sigillum praefert totius Trinitatis et uniuscujusque personae divinae singillatim. Adest tamen notanda differentia inter operationes ordinis naturalis et operationes ordinis supernaturalis, quatenus primae producuntur a tribus personis simul *per voluntatem creatricem*, quae quamvis una sit, habet tamen suam proprietatem, suum aspectum specialem in singulis personis, sicut supra dictum est; alterae vero connotant atque secum necessario trahunt *habitationem specialem divinarum personarum in anima rationali* vel angelo, sanctificationis subjecto. Trinitatis enim operatio sanctificans deificat (θεοποιεῖ) creaturam rationalem per praesentiam ipsarum personarum divinarum. Personae divinae, ut ita dicam, conjunguntur et immediate applicantur creaturae sanctificatae et *quasi sua propria effigie illam notant ac sigillant*, producentes in ea aliquem effectum, aliquod donum creatum, quo ipsa deiformis evadit. Haec autem deiformitas praesentiam supernaturalem divinarum personarum

(1) Cf. *Cyrillum Hierosolymitanum, Catechesis* XVI, 24, P. G., t. XXXIII, col. 953 A: « Ὁ Πατὴρ δι' Υἱοῦ σὺν ἁγίῳ Πνεύματι τὰ πάντα χαρίζεται ». Athanasius, *Epist.* III *ad Serapionem*, 5, P. G., t. XXVI, col. 633: « Αὐτὸς ὁ Πατὴρ διὰ τοῦ Λόγου ἐν τῷ Πνεύματι ἐνεργεῖ καὶ δίδωσι τὰ πάντα ».

omnino requirit ac exigit. Si haec praesentia cessat, statim evanescit deiformitas (1).

Porro tres personae divinae in creaturam rationalem adveniunt ut in ea inhabitent, *secundum ordinem immanentem processionum ad intra,* ita tamen ut Spiritus Sanctus, cui tribuitur sanctificatio et omnis perfectio, utpote qui est finis et terminus Trinitatis, *quasi primus creaturam immediate attingat* et secum trahat primum Filium, deinde, per Filium, Patrem ipsum. Pater vero ipse est qui mittit Spiritum Sanctum per Filium, sicut ab aeterno illum emittit (ἐκπέμπει, προβάλλει) per eumdem Filium (2).

---

(1) « L'oeuvre de la création est une oeuvre de « vouloir créateur ». L'ordre de la régenération est une oeuvre « d'habitation substantielle » des personnes divines... Le vouloir créateur pose un terme créé hors de Dieu et à toute la distance du fini à l'infini. Chaque personne divine crée par un vouloir qui lui appartient personnellement. Mais ce vouloir est identiquement le même dans les trois personnes... Tout autre est l'ordre de la régénération ou de la grâce... Il y faut non plus un décret formulé de loin, mais, pour ainsi parler, un contact établi entre notre substance et la substance divine, par l'inhabitation substantielle et personnelle des trois personnes divines. Il faut que le Fils et le Saint-Esprit soient envoyés au monde dans leurs propres personnes, et non pas seulement dans leurs actions ». De Régnon, *op. cit.,* t. I, p. 360, 361. Cf. t. IV, p. 469-470: « Participation de la nature, l'ordre surnaturel est oeuvre *de nature;* il consiste dans une communication de la vie divine... Il ne suffit plus au Père d'un simple vouloir pour nous adopter; il faut, pour un si grand dessein, qu'il opère par voie de nature, et qu'il envoie jusqu'à nous les éléments vitaux qui procèdent de lui ». Cf. etiam t. IV, p. 484: « On le voit, d'après Athanase, c'est la présence substantielle et personnelle du Saint-Esprit qui nous sanctifie en formant en nous son empreinte. Sans doute la grâce habituelle n'est pas le Saint-Esprit, pas plus que l'empreinte de la cire n'est le cachet imprimant. *Mais la présence du cachet est nécessaire et pour former l'empreinte et pour la conserver.* Car l'âme est comme une eau qui ne garde la figure imprimée qu'autant que le cachet demeure en elle comme une sorte de vertu informante ».

(2) Cf. S. Athanasium, *Epist. I ad Serapionem,* 14, P. G., t. XXVI, col. 566 B: « Μία γάρ ἐστιν ἡ τοῦ Πατρὸς χάρις δι' Υἱοῦ ἐν Πνεύματι ἁγίῳ πληρουμένη ». Item, in eadem *Epist.* 30, col. 600 B C: « Quae Spiritus singulis distribuit, *ea a Patre per*

Patet hunc conceptum notioni catholicae missionum divinarum omnino respondere ac congruere. Supponit enim primum personas divinas mittere et mitti vi vinculi originis, quo sibi invicem conjunguntur ac cohaerent, ita ut Pater, qui a nullo procedit, nunquam mittatur ,sed mittat Filium et Spiritum Sanctum, qui ab ipso procedunt; Filius vero a Patre mittatur et Spiritum ipse mittat; Spiritus Sanctus autem nullum mittat sed a Patre et Filio, seu a Patre per Filium mittatur. Sicut Pater nunquam legitur missus, ita Spiritus Sanctus nunquam legitur mittens. Insuper, diserte asseritur personas divinas, et non tantum earum dona et charismata creata, creaturae intellectuali per gratiam regenerationis et deificationis revera donari, quatenus ipsae per suam substantiam creaturam inhabitant illamque suae efficiunt naturae consortem. Unde notio missionis divinae, a Graecis dissidentibus sub *polemicae* antilatinae influxu elaborata, a Patrum graecorum communi doctrina prorsus abhorret (1).

Verbum dantur... Similiter, cum Spiritus in nobis est, Verbum, a quo illam accepimus, in nobis est, et in Verbo est quoque Pater, atque ita fit istud: *Veniemus ego et Pater et mansionem apud eum faciemus* (Joa. XIV, 23). Ubi enim lux est, illic et splendor quoque est; ubi item splendor est, ibi similiter et ejus Operatio est ac splendida gratia: "Α γὰρ τὸ Πνεῦμα ἑκάστῳ διαιρεῖ, ταῦτα παρὰ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Λόγου χορηγεῖται » Et in *Epist. III ad Serapionem*, 6: « Cum Spiritus sit in Verbo, manifestum est illum in Deo esse per Verbum. Et ita, Spiritu ad nos veniente, venient Filius et Pater, et mansionem apud nos facient. Indivisa namque est Trinitas, et una ejus divinitas: Τοῦ δὲ Πνεύματος ὄντος ἐν τῷ Λόγῳ, δῆλον ἂν εἴη ὡς καὶ ἐν τῷ Θεῷ ἦν διὰ τοῦ Λόγου τὸ Πνεῦμα. Οὕτω καὶ τοῦ Πνεύματος γενομένου ἐν ἡμῖν, ἐλεύσεται ὁ Υἱὸς καὶ ὁ Πατήρ ».

(1) « Le Père, pour sanctifier la créature, envoie réellement dans le monde la propre personne de son Fils, en vertu même de sa génération éternelle. A son tour, le Fils souffle dans l'âme du fidèle la propre personne de son Esprit en vertu même de la procession éternelle: voilà le mouvement d'expansion qui « étend, sans la diviser, l'unité dans la Trinité » selon la formule de saint Denys d'Alexandrie. Or, quand le Saint-Esprit habite personnellement dans l'âme, il y attire la personne du Fils, car là où est l'Esprit du Fils, là est

De quibusdam notionibus et comparationibus apud quosdam Patres graecos occurrentibus quae Photianis favere videntur. — Quae de Patrum graecorum doctrina in genere mox exposuimus, de majori quidem illorum parte vera probantur. Ab hoc tamen conceptu quaedam apud quosdam occurrentia discrepare videntur.

Primum quidem, ut jam diximus (1), Scholae Antiochenae doctores circa notionem missionis divinae cum aliis non concordant, quatenus missionem divinam de solo dono creato intelligere videntur, de hac substantiali et *speciali* praesentia personarum divinarum in anima justificata tacentes. Inde etiam de relatione originis Spiritum Sanctum cum Filio conjungente vix aliquid habent, processionem Spiritus a Patre simpliciter affirmare satis habentes; quin immo, eorum unus, Theodoretus Cyrensis scilicet, processionem aeternam Spiritus per Flium aut negare, aut saltem ignorare videtur, ut infra dicemus.

Praeterea, ad comparationes trinitarias quod attinet, quidam Patres, etiam inter illos qui doctrinae communi omnino suffragantur, analogias vel similitudines quasdam ex rebus creatis sumptas quandoque usurparunt, quae a diagrammate lineae rectae discrepant et diagrammati photiano affines sunt. Cum enim praecipuus horum Patrum scopus hinc spectaret, ut consubstantialitatem Spiritus Sancti cum Patre et

le Fils. A son tour, lorsque le Fils habite personnellement dans l'âme, il y attire la personne du Père, car là où est le Fils, là est le Père. Voilà un mouvement de récollection par lequel les personnes envoyantes se retrouvent avec les personnes envoyées, et c'est ainsi que toute la Trinité habite dans l'âme juste ». De Régnon, *op. cit.*, t. IV, p. 573.

(1) Vide supra, p. 68-69.

Filio demonstrarent, aliquot adhibuerunt comparationes ab ordine personarum divinarum ad invicem omnino abstrahentes et solam consubstantialitatem earum manifestantes. Ita Gregorius Nyssenus Filium et Spiritum Sanctum comparat cum duobus radiis ex Patre proficiscentibus ad nos illuminandos. Loquitur item de gemino rivo gratiae spiritualis Filii et Spiritus (1). Pseudo-Dionysius vero Filium et Spiritum vocat *ramos vel flores duos, vel lumina superessentialia ex Deo orientia* (2). Saeculo VI, monachus Job Trinitatem confert cum libra necnon cum alis Seraphim (3).

Circa missionem personarum divinarum item, quosdam ex Graecis invenimus, puta Didymum (4) et Anastasium I, Antiochiae patriarcham († 599) (5) qui Filium a Spiritu Sancto

---

(1) ***Ad Evagrium de divinitate,*** **P. G., t. XLVI, col. 1105-1108:** « Οὕτω δὴ καὶ οἱονεί τινες τοῦ Πατρὸς ἀκτῖνες ἀπεστάλησαν εἰς ἡμᾶς ὅ τε φεγγώδης Ἰησοῦς καὶ τὸ Πνεῦμα τό ἅγιον... Ὁ σωτὴρ ὁ ἡμέτερος καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἡ δίδυμος τοῦ Πατρὸς ἀκτίς, καὶ μέρχι ἡμῶν διϊκνεῖται τῆς ἀληθείας τὸ φῶς, καὶ τῷ Πατρὶ συνήνωνται.

(2) ***De divinis nominibus,*** **II, 7, P. G., t. III, col. 645 B:** « Ὅτι μέν ἐστι πηγαία θεότης ὁ Πατήρ· ὁ δὲ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα τῆς θεογόνου θεότητος, εἰ οὕτως χρὴ φάναι, βλαστοὶ θεόφυτοι καὶ οἷον ἄνθη καὶ ὑπερούσια φῶτα ».

(3) ***De Verbo incarnato,*** **apud Photium, *Bibliotheca,* cod. 222, P. G., t. CIII, col. 765-768. In libra, tria invenire licet, nempe trutinam et utramque lancem. Jobus locum trutinae, seu *locum medium* Filio tribuit, quod diagrammati Graecorum non directe opponitur. In comparatione vero alarum Seraphim, Patrem in medio collocat; quod diagrammati photiano congruit, quamvis Job de errore Photii certo non cogitaverit. Ipse Photius, in *Quaest. Amphil.* 171, P. G., t. CI, col. 896 A, Trinitatem cum libra confert, quin singulis personis locum expresse assignet.**

(4) **Didymus, *De Trinitate,* l. II, 9, l. III, 38, P. G., t. XXXIX, col. 629 C., 977 C; cf. col. 500 A, item, *Liber de Spiritu Sancto,* 26, *ibid.,* col. 1057 B. Ideo Didymus ad hoc docendum adductus est, ut contra Arianos et Macedonianos divinitatem Spiritus Sancti vindicaret. Haeretici enim argumentum pro suo errore ex missione Spiritus Sancti a Patre et Filio desumebant. Eadem ratione motus, Ambrosius idem asseruit, et quidem sub Didymi influxu.**

(2) ***Oratio I de rectis dogmatibus veritatis seu de Trinitate,*** **22, P. G., t. LXXXIX, col. 1325 A: « Neque vero, quia mittitur Spiritus Sanctus, minorem**

mitti docuerint propter locum Isaiae, 48, 16: *Et nunc misit me Dominus et spiritus ejus.* Hoc sane cum communi doctrina graecorum Patrum minime congruit et veram missionis divinae notionem subvertit (1).

II. — Patrum Alexandrinorum doctrina.

Postquam doctrinae Patrum graecorum generalem conspectum breviter delineavimus, ex quo hos Patres edocuisse Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere jam clare elucet, testimonia quaedam selecta uniuscujusque doctoris illis, quae supra allata sunt, addere lubet. Et primum quidem de praecipuis doctoribus Alexandrinis qui saeculis IV et V floruerunt, loquemur, scilicet de Athanasio, Didymo et Cyrillo, ex quorum scriptis Latini nostri argumenta sua validiora contra Photianos haurire consueverunt. Notandum est enim

---

Patre et Filio secundum substantiam putamus: apage! nemo hoc suspicetur; non enim ut minister mittitur, sed ut consubstantialis et aequalis honoris et συμφυές. Siquidem et ipsum Filium missum esse didicimus non solum a Patre, sed ab Spiritu Sancto, sicut ipse dixit per Isaiam: *Et nunc misit me Dominus et Spiritus ejus*: Ἐπεὶ καὶ αὐτὸν τὸν Υἱὸν ἀπεστάλθαι μανθάνομεν οὐ μόνον παρὰ τοῦ Πατρός, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ὡς αὐτὸς ἔφη διὰ Ἠσαΐου (*48*, 16), κτλ. ». Nota in P. G. textum originalem desiderari et occurrere tantum versionem latinam. Verba graeca ex G. Scholarii *Tractatu III de processione Spiritus Sancti* mutuamur, *Oeuvres complètes*, t. III, p. 469 (41). Scholarius hunc locum citat tanquam pro doctrina photiana facientem. Verum, ut infra ostendimus, Anastasius doctrinam catholicam expresse docuit. Ex textu laudato simpliciter sequitur Anastasium non habuisse veram missionis divinae notionem et circa genuinam verborum Isaiae interpretationem errasse, sicut erraverunt quidam ex Latinis, ut Ambrosius, Augustinus, Fulgentius. Cf. supra, p. 63 sq.

(1) Notandum est Anastasium linguae latinae peritum fuisse, quippe qui librum *De cura pastorali* S. Gregorii Magni graece reddidit. Inde possit quis suspicari eum a theologia Latinorum aliquatenus dependere.

Alexandrinos in dogmate trinitario exponendo, non solum formulam Graecorum: *A Patre per Filium procedit,* verum etiam Latinorum loquendi modum haud semel usurpavisse saepeque dixisse Spiritum Sanctum *ex* Filio procedere, esse, prodire.

Sanctus Athanasius. — Ex Athanasii scriptis haud pauca jam delibavimus pro dogmate catholico facientia (1). Ut Spiritus Sancti divinitatem contra haereticos vindicet, saepe saepius docet Spiritum eodem nexu originis cum Verbo Dei conjungi, quo ipsum Verbum cum Deo Patre conjungitur; quod ex variis S. Scripturae locis colligit:

« Cum igitur, inquit, ea sit in Trinitate conjunctio et unitas, quis jam vel Filium a Patre, vel Spiritum a Filio aut ab ipso Patre separare audeat?... Quemadmodum Filius in Spiritu tanquam in propria imagine est, ita et Pater in Filio... Quemadmodum Filius est unigenitus, ita et Spiritus, qui a Filio datur et mittitur, unus item est, non multi, neque ex multis unus, sed solus Spiritus est. Quia enim unus est Filius, qui et vivens est Verbum, unam quoque esse necesse est perfectam et plenam, sanctificantem et illuminantem, viventem *Operationem et Donationem, quae ex Patre procedere dicitur, quia ex Verbo,* quod ex Patre esse ex confesso agnoscitur, *effulget,* mittitur et donatur. Filium quidem a Patre mitti verissimum est, ut ipse his verbis testatur: *Sic Deus dilexit mundum* etc. (Joa. III, 16). Sic etiam Filius Spiritum mittit: *Si enim,* inquit, *abiero,* mittam *Paraclitum* (Joa. XVI, 7). Filius similiter Patrem honorat, ut ipse ait: *Ego te clarificari* (Joa. XVII, 4). Spiritus item Filium honorat, ut idem Filius dixit: *Ille me clarificabit* (Joa. XVI, 14). Filius praeterea dicit: *Quae audivi a Patre, haec loquor in mundo* (Joa. VIII, 26). Spiritus

(1) Cf. p. 51, n. 1: *Filius est fons Spiritus Sancti;* p. 58, n. 2: *Spiritus est halitus Filii;* p. 73, n. 2: *Spiritus ex Patre procedit, quia per Verbum elucet;* p. 82, n. 1: *Omnia quae Spiritus habet, a Verbo habet;* p. 126, n. 3.

autem ex Filio quoque accipit: *De meo*, inquit, *accipiet et annuntiabit vobis* (Joa. XVI, 14). Rursus Filius in nomine Patris venit. Ita etiam Spiritus: *Illum*, Filius ait, *mittet Pater in nomine meo* (Joa. XIV, 26). *Cum igitur eumdem ordinem eamdemque naturalem condicionem habeat Spiritus erga Filium, qualem Filius erga Patrem*, qua, quaeso ratione is qui Spiritum Sanctum rem creatam esse contendit, non idem necessario de Filio sentiet?... Gratia et donum quod in Trinitate datur, ex Patre per Filium in Spiritu Sancto datur. Nam quemadmodum ex Patre per Filium datur gratia, ita in nobis fieri non potest doni communicatio nisi in Spiritu Sancto... Ex his igitur una Trinitatis operatio ostenditur. Nec enim diversa et divisa dari a singulis significat Apostolus, sed ea quae dantur, in Trinitate dari omniaque ex uno Deo esse. Ille igitur qui creatura non est, sed *cum Filio conjungitur, sicut ipse Filius cum Patre;* qui item cum Patre et Filio honoratur et cum Verbo Deus agnoscitur, ea ipsa agens quae Pater per Verbum efficit; quomodo in Filium ipsum non impie agit qui Spiritum inter res creatas deputat? » (1).

Item in *Epistola III ad Serapionem*, 5, 6:

« Non extra Verbum est Spiritus, sed in Verbo existens, per ipsum in Deo est, ita ut dona in Trinitate tribuantur... Cum Spiritus sit in Verbo, constat Spiritum etiam in Deo esse per Verbum » (2).

Didymus. — Sicut plerique alii Patres graeci saec. IV-V, Didymus in relatione Spiritus Sancti ad Patrem

(1) ***Epist. I ad Serapionem***, **20-21, 30, 31, P. G., t. XXVI, col. 580, 600-601:** « Τοιαύτην δὲ τάξιν καὶ φύσιν ἔχοντος τοῦ Πνεύματος πρὸς τὸν Υἱόν, οἵαν ὁ Υἱὸς ἔχει πρὸς τὸν Πατέρα, πῶς ὁ τοῦτο κτίσμα λέγων οὐ τὸ αὐτὸ καὶ περὶ τοῦ Υἱοῦ ἐξ ἀνάγκης φρονήσει ;... Τὸ τοίνυν μὴ ὂν κτίσμα, ἀλλ' ἡνωμένον τῷ Υἱῷ, ὡς ὁ Υἱὸς ἥνωται τῷ Πατρί ... ». **Cf. eamdem *Epist.*, 2, col. 533 A:** « Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ τὴν αὐτὴν ἔχον ἑνότητα πρὸς τὸν Υἱόν, ἣν αὐτὸς ἔχει πρὸς τὸν Πατέρα ».

(2) « Οὐ γάρ ἐκτός ἐστι τοῦ Λόγου τὸ Πνεῦμα, ἀλλά, ἐν τῷ Λόγῳ ὄν, ἐν τῷ Θεῷ δι' αὐτοῦ ἐστιν... Τοῦ δὲ Πνεύματος ὄντος ἐν τῷ Λόγῳ, δῆλον ἂν εἴη, ὡς καὶ ἐν τῷ Θεῷ ἦν διὰ τοῦ Λόγου τὸ Πνεῦμα ».

potissimum insistit, atque de ejusdem relatione ad Filium nonnisi obiter loquitur. Habet tamen quaedam dogma catholicum de processione Spiritus ab utroque haud dubie insinuantia, immo vero diserte exprimentia. Praeter illa, quae jam supra laudavimus (1), sequentia adhuc afferri possunt:

« Spiritus Sanctus, qui est spiritus veritatis et spiritus sapientiae, non potest, Filio loquente, audire quae nescit, *cum hoc ipsum sit quod profertur a Filio,* id est procedens a veritate, consolator manans de consolatore, Deus de Deo, Spiritus veritatis procedens... Filius eadem a Patre accipere dicitur, quibus ipse subsistit. *Neque enim aliud est Filius, exceptis his quae ei dantur a Patre, neque alia substantia est Spiritus Sancti praeter id quod datur ei a Filio.* Propterea autem ista dicuntur, ut eamdem in Trinitate credamus esse naturam Spiritus Sancti, quae est Patris et Filii » (2).

Notandum est insuper sequens fragmentum exegeticum in *Actus Apostolorum*:

---

(1) Vide supra, p. 81 et p. 125, 126. Nota locum in p. 81 laudatum a dissidentibus theologis ut spurium haberi, eo quod in opere Ratramni Corbeiensis, L. *II adversus Graecos,* c. 5, P. L., t. CXXI, col. 262 C, aliter referatur quam in textu recepto. Verba enim: *quia non ex se est, sed ex Patre et me est* apud Ratramnum desunt et quae sequuntur sic sonant: *hoc enim ipsum quod subsistit et loquitur, ego veritas loquor; siquidem Spiritus veritatis est.* Verum hoc non absolute probat verba quae apud Ratramnum desiderantur post saeculum IX a Latinis subdole interpolata fuisse. Occurrunt enim in multis antiquis codicibus. Exinde hoc unum tantum colligere licet, scilicet quod codex a Ratramno adhibitus verba supra indicata non habuerit, vel etiam quod textus Ratramni corruptus fuerit, ut conjicere quis possit ex verbis: *Hoc ipsum quod subsistit et loquitur, ego veritas loquor,* loco textus vulgati: *Hoc ipsum quod subsistit et loquitur, a Patre et me illi est. Ego veritatem loquor.* Caeterum in eodem libro Didymi *De Spiritu Sancto* alia leguntur textui recepto omnino consonantia.

(2) *Liber de Spiritu Sancto,* 36, 37. P. G., t. XXXIX, col. 1064 C, 1065-1066. Notum est textum graecum hujus opellae Didymi periisse nosque habere tantum versionem latinam S. Hieronymi. Nulla porro ratio probabilis exstat cur dubitemus de *substantiali* consonantia hujus versionis cum originali.

« Cum Salvator praecipiat, ut initiati baptizentur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, nonnulli in Scripturam imprudenter grassantes Petrumque audientes adhortari, ut unusquisque in nomine Christi baptizetur, unam appellationem trinae isti aequivalere crediderunt, Sabellii scilicet haeresi affecti. Ecclesia vero, sanctissimam Trinitatem indivisibilem et inseparabilem credens, Patrem Filii, et Filium Patris esse, Spiritum autem Sanctum et Patris et Filii esse affirmat (1) ».

S. Cyrillus. — Inter omnes Ecclesiae Patres qui doctrinam catholicam de processione Spiritus Sancti disertis verbis docuerunt, Cyrillus Alexandrinus primas certò tenet, quatenus et *frequentius* et *explicatius* et *loquendi modis ac formulis magis variatis* in suis scriptis hanc doctrinam passim expressit. Omnia apud illum invenimus, quibus varia Photianorum effugia ac sophismata et palam facere et vana ostendere possumus. Non unum jam ex ejus operibus testimonium explicitum excerpsimus (2). Juvat et quaedam alia subjicere.

Primum quidam, sicut alii Patres graeci, formula *a Patre per Filium* saepius utitur, quam solam adhibet, ubi de missione Spiritus Sancti ad creaturas *speciatim agit* (3). Caeterum significationis differentiam, quam Graeci posteriores

(1) « Ἡ μέντοιγε Ἐκκλησία ἀδιαίρετον καὶ ἄσχιστον νοοῦσα τὴν Τριάδα, τίθεται τὸν Πατέρα Υἱοῦ, καὶ τὸν Υἱὸν Πατρὸς εἶναι, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα Πατρὸς καὶ Υἱοῦ τυγχάνειν ». P. G., *t. cit.*, col. 1660 D. De fragmentis exegeticis Didymi in Actus apostolorum hoc sedans animum profert judicium R. Devreesse, *art. Chaînes exégétiques grecques*, in *Supplément du Dictionnaire de la Bible*, t. I, col. 1206-1207: « Les extraits mis au compte de Didyme (rassemblés par Cramer) sont assez nombreux pour qu'on puisse conclure que nous avons là les derniers restes d'un Commentaire aujourd'hui perdu ».

(2) Vide p. 58-59, 82, 91, 125, n. 4.

(3) Hoc notat Mahé in *articulo*: *Cyrille d'Alexandrie*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. III, col. 2506 Cf. P. G., t. LXXIV, col. 257, 540, 921; t. LXXV, col. 576, 1017; t. LXXVII, col. 316.

excogitarunt inter verbum ἐκπορεύεσθαι et verba synonyma, ut προέρχεσθαι, προϊέναι, προχεῖσθαι, πεφηνέναι etc., prorsus ignorat; immo vero, ut supra notavimus (1), verbum ἐκπορεύεσθαι ad significandam generationem Filii ex Patre semel saltem usurpat.

Occurrit etiam apud ipsum formula latina: *A Patre Filioque procedit*, ut in loco sequenti:

« Cum igitur Spiritus Sanctus nobis immissus Deo conformes nos efficiat, *qui procedit a Patre et Filio*, manifestum est eum ex divina essentia esse, essentialiter in ipsa et *ex ipsa procedentem*, quemadmodum et spiritus qui ex humano ore prodit, tametsi hoc humile atque indignum tanta re exemplum videatur: Ὅτε τοίνυν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν ἡμῖν γενόμενον συμμόρφους ἀποδεικνύει Θεοῦ, πρόεισι δὲ καὶ ἐκ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, πρόδηλον ὅτι τῆς θείας ἐστὶν οὐσίας, οὐσιωδῶς ἐν αὐτῇ καὶ ἐξ αὐτῆς προϊόν » (4).

Hujus loci pondus animadvertas velim: Primum quidem personam ipsam Spiritus, et non tantum ejus gratiam, nobis communicari diserte edocet contra communem recentiorum Graecorum opinationem. Secundo, formulam Latinorum: *A Patre Filioque procedit* ad verbum nobis exhibet. Tertio demum, asserit Spiritum Sanctum *ex essentia divina* prodire et non solum ex *hypostasi Patris*, ut Photius ejusque volunt discipuli.

Habet item *ad verbum* formulam ab utroque seu *per utrumque*, ut in hoc loco:

« Procedit per utrosque vivificus Spiritus: « Πρόεισι δὲ δι' ἀμφοῖν καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ζωοποιοῦν » (3).

---

(1) Supra, p. 5, n. 2.
(2) *Thesaurus*, P. G., t. LXXV, col. 585 A.
(3) *De recta fide ad reginas oratio altera*, 51, P. G., t. LXXVI, col. 1408 B.

Immo vero in uno eodemque loco unam et alteram formulam invenimus juxta positas, ex quo clare patet utramque eumdem fundamentalem sensum praeferre:

« Spiritus nullo modo mutabilis est; aut si mutationis morbo laborat, ad ipsam Dei naturam haec labes pertinebit; siquidem ille Dei et Patris, item et Filii est Spiritus, *qui ex utroque, seu ex Patre per Filium substantialiter profluit*: εἴπερ ἐστὶ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς καὶ μὴν καὶ τοῦ Υἱοῦ τὸ οὐσιωδῶς ἐξ ἀμφοῖν ἤγουν ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ προχεόμενον Πνεῦμα (1).

Nota hic manifesto agi de processione aeterna, non de missione temporali Spiritus Sancti. Cyrillus item expresse docet Spiritum *pariter* et *aequaliter* procedere tum ex Patre, tum ex Filio:

« Quatenus secundus Adam, inquit, Deus est et ex Deo secundum naturam Filius (ex Deo enim et Patre natus est), *Spiritus est proprius ipsius, et in ipso est, et ex ipso, quemadmodum sane et intelligitur esse in ipso Deo et Patre* » (2).

Nec missionem a processione aeterna divellit sanctus doctor, ut faciunt dissidentes, sed ideo, ait, Spiritus Sanctus a Patre et Filio datur vel mittitur, quia ab ipsis existentiam habet:

« Baptizatis immittens Spiritum [Christus], non alienum, ut servus et minister, sed ut Deus secundum naturam cum

(1) *De adoratione in spiritu et veritate*, l. I, P. G., t. LXVIII, col. 148 A.

(2) *In Joelem prophetam commentarius*, P. G., t. LXXI, col. 377 B: « Ἦ μὲν γάρ ἐστι Θεὸς καὶ ἐκ Θεοῦ κατὰ φύσιν ὁ Υἱός (γεγέννηται γὰρ ἐκ Θεοῦ καὶ Πατρός), ἴδιον αὐτοῦ τε καὶ ἐν αὐτῷ καὶ ἐξ αὐτοῦ τὸ Πνεῦμά ἐστι, καθάπερ ἀμέλει καὶ ἐπ' αὐτοῦ νοεῖται τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρός » Cf. *Adversus Nestorium*, l. IV, 1, P. G., t. LXXVI, col. 173: « Dominus noster Jesus Christus, *ex sua plenitudine profundens Spiritum, quemadmodum et Pater ipse*, non tanquam ex mensura illum dat iis qui digni sunt accipere: ἐξ ἰδίου πληρώματος προϊεὶς τὸ Πνεῦμα, καθὰ καὶ αὐτὸς ὁ Πατήρ, οὐχ ὡς ἐκ μέτρου δίδωσιν αὐτὸ τοῖς ἀξίοις ἑλεῖν.

summa potestate et auctoritate *eum dat, qui ex ipso est et ipsius est proprius...* Insufflavit in sanctos apostolos dicens: *Accipite Spiritum Sanctum.* Sed *neque ex mensura dat Spiritum*, juxta Joannis vocem (Joa. III, 3), sed *ipse ex se, non secus ac Pater illum effundit* » (1).

Unde locum Isaiae, 48, 16: *Et nunc misit me Dominus et spiritus ejus*, non de Filio, ut quidam voluerunt, nec a fortiori de Patre, ut imaginatus est Photius, sed de Cyro interpretatur (2).

In multis item locis asserit Spiritum Sanctum *substantialiter procedere seu prodire ex Filio, ex essentia Filii*, οὐσιωδῶς ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Υἱοῦ, ἐκ τοῦ Υἱοῦ πρόεισι (3). Quamvis enim significationis varietatem praepositionum « ἐκ » et « διά » haud ignoret, et illam saepius retineat, attamen, quia modo *ordinem personarum*, modo *principium quo processionum*, nunc principium quod est Filius, nunc principium quod est Pater, nunc vero utrumque simul per modum unius considerat, inde est quod tum modum loquendi Latinorum, tum Graecorum formulam vicissim usurpat.

---

(1) *De recta fide ad Theodosium*, 36, 37, P. G., t. LXXVI, col. 1188: « οὐ τὸ ἀλλότριον τοῖς βαπτιζομένοις ἐνιέντα Πνεῦμα δουλοπρεπῶς καὶ ὑπουργικῶς, ἀλλ' ὡς Θεὸν κατὰ φύσιν μετ' ἐξουσίας τῆς ἀνωτάτω τὸ ἐξ αὐτοῦ τε καὶ ἴδιον Πνεῦμα, δι' οὗ καὶ ὁ θεῖος ἡμῖν ἐνσημαίνεται χαρακτήρ... αὐτὸς ἐνίησιν ἐξ ἑαυτοῦ, καθάπερ ἀμέλει καὶ ὁ Πατήρ ».

(2) *Commentarius in Isaiam*, P. G., t. LXX, col. 1028 C.

(3) Cf. v. g. *Thesaurum, Assertio* 34, P. G., t. LXXV, col. 608 B: « Ἀνάγκη τὸ Πνεῦμα τῆς οὐσίας ὁμολογεῖν τοῦ Υἱοῦ. Ὡς γὰρ ἐξ αὐτοῦ κατὰ φύσιν ὑπάρχον καὶ ἐπὶ τὴν κτίσιν παρ' αὐτοῦ πεμπόμενον τὸν ἀνακαινισμὸν ἐργάζεται ». Vides in hoc loco processionem aeternam a processione temporali seu missione clare distingui. Cf. etiam *Thesaurum, Ass.* 31, *ibid.*, col. 568 C; *In Joannem*, l. X in fine, t. LXXIV, col. 444 B. Multa alia testimonia ejusmodi collegit Joannes Veccus in suis *Epigraphis* seu *Inscriptionibus*, P. G., t. CXLI, col. 617 A, 620, 647-666, 676, 677, 689.

Nec verum est quod Graeco-Russi, post Theodoretum repetere solent, scilicet quod Cyrillus de processione Spiritus Sancti *etiam a Filio* mutaverit sententiam, postquam ob anathematismum IX contra Nestorium a Theodoreto reprehensus est. Eamdem enim doctrinam, eosdem loquendi modos de hac quaestione in ejus operibus post Theodoreti censuram compositis illum retinere deprehendimus. Ita, v. g., in *Explicatione duodecim capitum*, quam post *Apologeticum contra Theodoretum*, Ephesi, dum in carcere detineretur, conscripsit, haec habet:

« Unigenitum Dei Verbum, homo factum, et in hac conditione remansit Deus, omnia habens quae Pater habet praeter solam paternitatem, et proprium habens Spiritum Sanctum, *qui ex ipso est ipsique essentialiter inest*, divinae potentiae signa operabatur : Ἄνθρωπος γεγονὼς ὁ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ Λόγος, ἀπομεμένηκε καὶ οὕτω Θεός, πάντα ὑπάρχων ὅσα καὶ ὁ Πατήρ, δίχα μόνου τοῦ εἶναι Πατήρ· καὶ ἴδιον ἔχων τὸ ἐξ αὐτοῦ καί οὐσιωδῶς ἐμπεφυκὸς αὐτῷ Πνεῦμα ἅγιον, εἰργάζετο τὰς θεοσημείας » (1).

In ipso *Apologetico adversus Theodoretum*, Spiritum Sanctum etiam ex Filio esse satis clare innuebat his verbis:

« Procedit ex Deo et Patre Spiritus Sanctus, secundum Salvatoris vocem, sed non est alienus a Filio; omnia enim habet cum Patre; et hoc ipse edocuit, dicens de Spiritu Sancto: « *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis*: Ἐκπορεύεται μὲν γὰρ ὡς ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγίον κατὰ τὴν τοῦ Σωτῆρος φωνήν, ἀλλ' οὐκ ἀλλότριόν ἐστι τοῦ Υἱοῦ· πάντα γὰρ ἔχει μετὰ τοῦ Πατρὸς » (2).

---

(1) *Explicatio* XII *capitum*, P. G., t. LXXVI, col. 308 D.

(2) P. G., t. LXXVI, col. 433 B C. Verba Cyrilli Theodoretus de sola consubstantialitate Spiritus Sancti cum Filio intellexisse videtur. De mente Theo-

Item, in *Apologetico ad Theodosium*, quem circa annum 432 ineuntem conscripsit, expresse docet Spiritum *ex Filio esse* et ab eo dari secundum naturam (1).

III. — Patres Palaestinenses. Sanctus Epiphanius.

Inter Patres Palaestinenses saeculi IV eminent S. Cyrillus Hierosolymitanus († 386) et S. Epiphanius († 403). Testimonium disertum S. Cyrilli de processione Spiritus Sancti a Filio jam supra laudavimus (2). Quaedam item ex S. Epiphanii scriptis protulimus, ex quibus constat hunc Patrem formulam Latinorum: *A Patre Filioque provenit, procedit, est Spiritus* saepe usurpavisse (3). Si de S. Cyrillo nihil amplius addere habemus, multa alia de S. Epiphanio afferri possent; siquidem tum in *Ancorato*, tum in *Panario* seu *Libro adversus Haereses* etiam atque etiam repetit Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio, ab utroque esse, haud obscure significans Patrem et Filium esse principium indivisum et unicum Spiritus Sancti. Quamvis formulam Latinorum saepius adhibeat, non ignorat tamen Graecorum consuetum loquendi modum, ut constat ex loco sequenti *Panarii*:

---

doreti circa processionem Spiritus Sancti necnon de ejus cum Cyrillo controversia infra agimus. Cf. etiam Cyrilli *Apologeticum pro* XII *capitibus contra Orientales* ad anathematismum IX, P. G., *ibid.*, col. 357 C: « Ἴδιον γὰρ Χριστῷ τὸ Πνεῦμά ἐστι τὸ ἅγιον καθάπερ ἀμέλει καὶ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρός ».

(1) Cf. supra, p. 141 et n. 1. Cf. etiam *Epist.* LV (post 435), P. G., LXXVII, col. 316 D.

(2) Vide supra, p. 81: *Pater dat Filio, Filius communicat Spiritui Sancto.* Cyrillus loquitur ut Athanasius.

(3) Vide p. 80 et 116, ubi agitur de symbolo fidei Epiphanii; p. 82; p. 94, n. 1, ubi explicatur in quonam sensu Epiphanius dicat Spiritum esse *vinculum Trinitatis* et *in medio Patris et Filii.*

« Spiritus Sanctus neque Pater est, neque Filius, sed Spiritus Sanctus, *quem per Filium Pater fidelibus largitur...* Orientales personas in hypostaseon suarum proprietatibus pie discernunt, Patrem videlicet in paterna majestate subsistentem; Filium vero non partem esse Patris intelligunt, sed a perfecto Patre perfectum, genitum ac subsistentem agnoscunt. *Ac denique Spiritum Sanctum, quem Scriptura sacra Paracletum vocat, a Patre per Filium subsistentem agnoscunt...* Igitur Filium in Spiritu Sancto, ut par est, intelligimus; in unigenito vero Filio pie ac digne Patrem glorificamus » (1).

Animadvertas velim Epiphanium hoc loco formulam *a Patre per Filium* adhibere tum ad missionem temporalem Spiritus Sancti, tum ad processionem ejus aeternam indicandam: quod distinctioni Photianorum inter utramque processionem directe contrait.

Ex sequentibus locis colligere possumus Epiphanium non solum expresse edocuisse Spiritum Sanctum procedere *ex Patre* et *ex* Filio, *ab utroque* (1), sed etiam habuisse Patrem et Filium simul ut principium unicum Spiritus Sancti:

« Pater ingenitus est... Filius genitus... Spritus semper est, non genitus, non creatus, non frater, non patruus, non

---

(1) **Haereses lxxiii, 16, P. G., t. xlii, col. 433 A B:** « Πνεῦμα ἅγιον ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ πιστοῖς διδόμενον... Καὶ τὸ Πνεῦμα τό ἅγιον, ὃ ἡ θεία Γραφὴ Παράκλητον ὀνομάζει, ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ ὑφεστῶτα γνωρίζοντες ».

(2) **Epiphanius prorsus ignorat differentiam significationis, quam alii ponunt inter praepositiones graecas** ἐκ vel παρὰ et διὰ, **ubi relationes personarum divinarum ad invicem indicare volunt. Saepe saepius dicit Spiritum Sanctum esse** ἐκ vel παρὰ τοῦ Υἱοῦ, sicut dicit ἐκ vel παρὰ τοῦ Πατρός. **Cf. *Ancoratum*, 67:** « Εἰ δὲ Χριστὸς ἐκ τοῦ Πατρὸς πιστεύεται Θεὸς ἐκ Θεοῦ, καὶ τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Χριστοῦ, ἢ παρ' ἀμφοτέρων ». **P. G., t. xliii, col. 137; Holl, *ed. cit.*, p. 81. Cf. *Ancor.*, 70,71:** « Τὸ ἅγιον Πνεῦμα παρ' ἀμφοτέρων ». **P. G., *ibid.*, col. 148; Holl, p 88; item, *Ancoratus*, 73, col. 153 et p. 91:** « ὃ παρὰ τοῦ Πατρός, ὃ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ».

avus, non nepos, *sed ex eadem Patris Filiique substantia Spiritus Sanctus...* (1).

« Spiritus Patris et Spiritus Filii, non compositione aliqua, quemadmodum in nobis anima corpusque conjungitur, *sed inter Patrem et Filium medius, ex Patre Filioque procedens, et appellatione tertius...* (2).

« Perpetuo Pater existit, *et Spiritus ex Patre Filioque semper spirat* (3).

« Non alio nomine quam Filii Verbique praeditus Filius, fons vivus ex fonte progreditur, qui apud Patrem perpetuo ab eo genitus exstiterit... Postremo [ostendit] *Spiritum Sanctum esse fontem ex fonte, ex Patre et unigenito Filio...* (4).

« Semper cum Patre Filioque Spiritus est... a Patre procedens et a Filio accipiens, a Patre Filioque non alienus, *verum ex eadem substantia eademque divinitate, ex Patre et Filio* » (5).

Vides quomodo in hoc ultimo loco Epiphanius clare indicet tum *principium quo (ex essentia, ex divinitate Patris et*

(1) ***Ancoratus***, 7: « ἀλλ' ἐκ τῆς αὐτῆς οὐσίας Πατρός καὶ Υἱοῦ Πνεῦμα ἅγιον ». **P. G., col. 29; Holl, p. 14.**

(2) ***Ancoratus***, **8, col. 29; Holl, p. 15:** « ἐν μέσῳ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ, τρίτον τῇ ὀνομασίᾳ ».

(3) ***Ancoratus***, **75, col. 157; Holl, p. 94:** « Πατὴρ ἦν ἀεί, καὶ Υἱὸς ἦν ἀεί, καὶ τὸ Πνεῦμα ἐκ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ πνέει ». **Animadverte hanc locutionem: *Spiritus Sanctus ex Patre et Filio spirat.* Habes hic indicatam unicam spirationem ex Patre Filioque procedentem et ad Spiritum Sanctum pervenientem, quatenus spiratio designat essentiam divinam, prout est in Patre et Filio et per utrumque Spiritui communicatur, qua et ipse constituitur simul et *spiratus* et *spirans* amorem Patris et Filii.**

(4) ***Adversus haereses***, **LXIX, 54, P. G., t. XLII, col. 285 D:** « καὶ πηγὴν ἐκ πηγῆς, ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Μονογενοῦς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ». **Vides Epiphanium habere Patrem et Filium ut *unum fontem* Spiritus Sancti.**

(5) ***Adversus haereses***, **LXII, 4, P. G., t. LXI, col. 1053 D:** « ἐκ Πατρὸς δὲ ἐκπορευόμενον καὶ τοῦ Υἱοῦ λαμβάνον, οὐκ ἀλλότριον Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, ἀλλ' ἐκ τῆς αὐτῆς οὐσίας, ἐκ τῆς αὐτῆς θεότητος, ἐκ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ ».

Filii), tum *principium quod* (*ex Patre et Filio*) processionis Spiritus Sancti (1).

IV. — Patres Cappadoces.

Purum conceptum Graecorum de Trinitate, prout illum supra paucis descripsimus, nobis potissimum exhibent opera trium Patrum Cappadocum, Basilii Magni nempe, Gregorii Nysseni, fratris ejus, et Gregorii Nazianzeni. In propugnandam divinitatem Filii et Spiritus Sancti contra Anomaeos potissimum incubuerunt. Unde, ad Spiritum Sanctum quod attinet, in relatione originis, quae illum cum Patre connectit, praesertim insistunt, monarchiam Patris efferunt, Filii partes in productione Spiritus in obscuro relinquentes. Ejus quidem mediationem in hac productione diserte asserunt; illam vero vix explicant, et aliquando solum Patrem Spiritus Sancti principium *activum* ponere videntur. Inde factum est, ut non solum Graeco-Russi dissidentes, sed etiam quidam critici acatholici, protestantismo vel rationalismo addicti et ad traditionis catholicae continuitatem caecutientes, hos Patres doctrinam catholicam revera docuisse negaverint (2). Attamen Graeco-Russi

(1) Haec Epiphanii doctrina adeo explicite proposita non impedivit quominus quidam dissidentes aliquid pro suo errore apud sanctum doctorem venari tentaverint. Hoc accidit, v. g., theologo Russo A. Th. Goussev († 1904), qui sequentem locum *Ancorati*, 2, P. G., t. LXIII, col. 20 D, citabat, ubi legitur: Ἀλλὰ μόνος ἀληθινὸς Θεός, ἐπειδὴ μόνος ἐκ μόνου ὁ μονογενής, καὶ μόνον τὸ ἅγιον Πνεῦμα; in editione vero critica a K. Holl parata, p. 8, « τὸ μόνον » expunctum est. Goussev et alii recentes Russi, post Zernikavium, voluerunt referre verba: « καὶ μόνον τὸ ἅγιον Πνεῦμα » ad « ἐκ μόνου », dum « ἐκ μόνου » respicit tantum τὸν μονογενήν. Revera inter utramque propositionem a Goussev post quosdam antiquos polemistas prolatam — non enim illius est adinventio — haec intercedit differentia: quod generationem Filii a Patre solo multi Patres *ad verbum* docent, dum eorum nullus de Spiritu simpliciter dixit: *A Patre solo procedit.*

(2) Ita, v. g., A. Harnack, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, t. II, ed. 4, p. 303, et Karl Holl, *Amphilochius von Ikonium in seinem Verhältniss zu den*

nullum unquam locum ex horum Patrum scriptis proferre potuerunt, in quo dicatur Spiritum Sanctum *a Patre solo procedere vel suum esse habere.* Nos vero et non pauca jam attulimus, ex quibus clare constat tres Cappadoces dogmati catholico suffragari (1), et alia quaedam nunc subjicimus quae idem plane demonstrant.

Sanctus Basilius. — Ad intelligendam Basilii doctrinam de processione Spiritus Sancti, notandum est primum illum expresse vocare Patrem *principium, causam primordialem seu originalem* omnium quae sunt, tum aliarum personarum divinarum, tum creaturarum omnium: τὴν προκαταρκτικὴν αἰτίαν. Haec ipsa denominatio arguit aliam esse causam seu principium, quae non sit primordialis seu προκαταρκτική, sed a primordiali pendeat et suam virtutem teneat. Haec causa *non primordialis* est ipse Filius, cujus operatio indicari solet per praepositionem διὰ, dum operatio causae primordialis indicatur per praepositionem ἐκ. Pater per Filium omnia operatur, omnia creat. Per ipsum etiam Spiritum Sanctum subsistere facit (2). Unde saepe saepius dicit Spiritum Sanctum

grossern Kappadoziern, Tubingae, 1904, p. 140-142, contendunt S. Basilium doctrinae quae per *Filioque* exprimitur adversari. Nota haud raro accidere quod heterodoxi vel increduli falsam dogmatis catholici notionem sibi efforment, inter id quod ab Ecclesa ut credendum proponitur et theologorum varias opiniones non distinguentes. Inde fit, ut contradictiones vel oppositiones detegant, ubi revera nulla est.

(1) Quaedam Basilii testimonia dedimus: p. 92-93, 124, 128; Gregorii Nysseni, p. 40, n. 3, 126, n. 1, 127; Gregorii Nazianzeni, p. 123, n. 1; 24, n. 1.

(2) De causa primordiali loquitur praesertim Basilius in *Libro de Spiritu Sancto,* VIII, 21 et XVI, 38, P. G., t. XXXII, col. 106 C et 136 CB: « Quod Pater *per Filium creat,* hoc Patris creationem esse imperfectam haud arguit, neque infirmam ostendit Filii operationem, sed voluntatis unitatem declarat. Itaque haec vox *per quem, confessionem habet causae principalis;* non autem sumitur ad deprimendam *causam efficientem* (id est Filium): ὥστε ἡ « δι' οὗ » φωνὴ ὁμολογίαν τῆς προκαταρκτικῆς αἰτίας ἔχει, οὐκ ἐπὶ κατηγορίᾳ τοῦ ποιητικοῦ αἰτίου

cum Patre conjungi per Filium, eum habere *eumdem ordinem*, eamdem *positionem*, eamdem affinitatem et *cognationem naturalem quam habet Filius ad Patrem* (1); ipsum esse imaginem Filii et illum repraesentare, sicut Filius ipse est imago Patris et illum reproducit (2); eum a Filio omnino inseparabilem esse, sicut et Filius a Patre separari nequit (3). Uno verbo, secundum Basilium, Spiritus Sanctus procedit, *suum esse ha-*

παραλαμβάνεται... Cogita mihi *causam primariam* eorum quae fiunt Patrem; *conditricem*, Filium; *perfectricem*, Spiritum Sanctum: ἐννόησόν μοι τὴν προκαταρκτικὴν αἰτίαν τῶν γινομένων, τὸν Πατέρα ». In his locis, agitur directe de Patre ut causa primaria creaturarum. Alibi vero, v. g., in *Homilia contra Sabellianos et Arianos*, P. G., t. XXXI, col. 616 C, ad Patrem ut ad primariam causam refert etiam Filium et Spiritum Sanctum, dicens eum esse causam *propriam* seu principium *proprie* dictum Filii et Spiritus Sancti, quatenus illos producit ut sibi consubstantiales ac perfecte aequales: « Quamvis, inquit, omnia ex Deo proveniant ac fiant, at vero ex Deo proprie est Filius, ex Deo proprie et Spiritus, quandoquidem et Filius ex Deo exivit (Joa. VIII, 42), et Spiritus Sanctus ex Patre procedit (Joa. XV, 26): ἀλλὰ κυρίως ὁ Υἱὸς ἐκ τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Θεοῦ ».

(1) Cf. *De Spiritu Sancto*, c. XVII, 43, P. G. XXXII, col. 148: « Quemadmodum se habet Filius ad Patrem, ita ad Filium se habet Spiritus secundum traditum verborum ordinem in baptismo: Ὡς τοίνυν ἔχει ὁ Υἱὸς πρὸς τὸν Πατέρα οὕτω καὶ πρὸς τὸν Υἱὸν τὸ Πνεῦμα ». *Ibid.*, c. XVIII, 45, col. 145: « *Unus est Spiritus Sanctus, per unum Filium uni Patri copulatus ac per se complens glorificandam ac beatam Trinitatem*: Ἓν τὸ ἅγιον Πνεῦμα δι' ἑνὸς Υἱοῦ τῷ ἑνὶ Πατρὶ συναπτόμενον ». Cf. etiam *Epist.* XXXVIII, 4, *ibid.*, col. 329 B C: Quoniam Spiritus Sanctus... *Filio quidem cohaeret* (seu *ex Filio pendet*), qui cum illo simul sine ullo intervallo concipitur, habet vero *ex Patre, ex quo procedit, suum esse appendens tanquam ex causa*, signum manifestativum suae proprietatis hypostaticae habet quod post Filium et cum Filio cognoscitur *et quod ex Patre subsistit*: τοῦ Υἱοῦ μὲν ἤρτηται..., τῆς δὲ τοῦ Πατρὸς αἰτίας ἐξημμένον ἔχει τὸ εἶναι.., τοῦτο γνωριστικὸν τῆς κατὰ τὴν ὑπόστασιν ἰδιότητος, τὸ μετὰ τὸν Υἱὸν καὶ σὺν αὐτῷ γνωρίζεσθαι, καὶ τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς ὑφεστάναι ». Ut vides, in hoc loco Pater vocatur *principium*, αἰτία, Spiritus sancti, quatenus est *causa prima et originalis*; at vero Spiritus etiam *ex Filio pendet* tanquam ex *causa media*, quatenus ex Patre *per Filium provenit*. Cf. item *De Spiritu Sancto*, c. XVIII, 46, *loc. cit.*, col. 152 B: « Spiritus Christi dicitur, *quatenus secundum naturam est illi cognatus seu conjunctus*: ὡς ᾠκειωμένον κατὰ φύσιν αὐτῷ.

(2) Cf. *De Spiritu Sancto*, c. XXVI, 64, col. 185 B C: « ὡς ἐν ἑαυτῷ δεικνύντι τὴν τοῦ Κυρίον θεότητα ».

(3) Cf. locum supra, p. 124, n. 2.

bet quidem ex Patre, sed per Verbum: Τὸ Πνεῦμα ἐκ Θεοῦ δι' Υἱοῦ (1). Eamdem doctrinam supra invenimus apud sanctum Athanasium.

Porro Basilium non concepisse mediationem Filii in processione Spiritus Sancti tanquam mediationem *mere passivam*, sed docuisse Filium esse cum Patre principium verum et *activum* tertiae personae, probant primo verba, quae sub finem *Libri II contra Eunomium* leguntur. Eunomio dicenti Paraclitum esse creaturam, ποίημα Unigeniti, sic respondet Basilius:

« Num unquam audistis blasphemiam graviorem? Quisnam ex omnibus hoc ignorat, quod nulla operatio Filii a Patre divisa sit nec quidquam in rerum natura sit ad Filium pertinens, quod a Patre alienum sit? *Omnia enim*, inquit, *mea tua sunt, et tua mea* (Joa. XVII, 10). *Quomodo ergo causam* (*seu principium*) *Spiritus* SOLI *Unigenito attribuit*, et ad deprimendam ejus naturam occasionem sumit ex creatione hujus (Spiritus scilicet)? Quod si haec dicat ad inducendum duo principia sibi invicem adversantia, una cum Manichaeo et Marcione conteretur; sin autem statuit ab uno pendere omnia, *quodcumque a Filio factum esse dicitur, ad primam causam relationem habet*: Πῶς οὖν τοῦ Πνεύματος τὴν αἰτίαν τῷ Μονογενεῖ μόνῳ προστίθησι, καὶ κατηγόρημα τῆς φύσεως αὐτοῦ τὴν τούτου λαμβάνει δημιουργίαν... Εἰ δὲ μιᾶς (ἀρχῆς) ἐξάπτει τὰ ὄντα, τὸ παρὰ τοῦ Υἱοῦ γεγενῆσθαι λεγόμενον πρὸς τὴν πρώτην αἰτίαν ἀναφορὰν ἔχει » (2).

Horum verborum momentum vides: Basilius Eunomium non reprehendit quod productionem Spiritus Sancti Filio Dei

---

(1) Cf. *Lib.* v *adversus Eunomium*, P. G., t. XXIX, col. 737 B. Hic liber non est opus Basilii secundum communem criticorum hodiernorum sententiam. Effatum laudatum tamen genuinam Basilii doctrinam concise exprimit.

(2) *Contra Eunomium* l. II, in fine, P. G., t. XXIX, col. 652 A B.

attribuat, sed quod *soli Filio, excluso Patre,* illam adscribat. Omnia enim quae habet Filius, pertinent ad Patrem, a quo ille omnia sua accepit, nec aliquid operatur sine Patris consortio. Ergo, secundum Basilii doctrinam, Filius etiam est *principium,* αἰτία, Spiritus Sancti; sed illum producit una cum Patre, qui est *primum principium,* ἡ πρώτη αἰτία, ad quod referendum est quidquid ex Filio fieri, provenire dicitur. Hunc doctoris graeci locum jure conferre possumus cum verbis Augustini docentis Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio, sed a *Patre principaliter,* quia est primum principium, a quo Filius omnia sua habet.

Post hoc disertum testimonium, nullam amplius difficultatem facessit authenticitas alterius loci ejusdem doctoris, qui post hunc primum, paucis interjectis, legitur, de quo tamen acres controversiae Graecos inter et Latinos olim habitae sunt. Eunomio dicente Spiritum Sanctum ,eo quod tertius sit dignitate et ordine, τρίτον ἀξιώματι καὶ φύσει, consequenter etiam esse *tertium naturâ,* τρίτον εἶναι καὶ τῇ φύσει, id est naturam habere omnino diversam a Filii natura illoque omnino inferiorem esse, Basilius blasphemiam retundit in hunc modum:

« Dicit a Sanctis se quidem didicisse tertium esse ordine et dignitate Spiritum, a seipso autem credere natura quoque tertium esse. Qui vero sint Sancti illi, et in quibus scriptis hanc doctrinam ediderint, [dicere non potest] (1). Fuitne unquam homo sic audax, qui divinorum dogmatum innovationes induceret? Cur enim necesse est, si dignitate ac ordine tertius est Spiritus, natura quoque eum tertium esse? Dignitate quidem esse secundum a Filio, *utpote qui ab eo suum esse habet et ab*

(1) *Dicere non potest,* εἰπεῖν οὐκ ἔχει: Haec verba in quibusdam codicibus desunt.

eo accipit ad nobis annuntiandum, et ab illa causa omnino pendet (1), tradit [fortasse (2)] pietatis sermo; at naturâ tertiâ uti, neque ex sanctis Scripturis edocti sumus, neque ex Scripturae dictis consecutione ulla colligi potest.

« Quemadmodum enim Filius ordine quidem secundus a Patre est, *quoniam ab illo est, et dignitate, quia, qua Pater illius est, origo ejus et causa est,* et quoniam per ipsum accessus aditusque est ad Deum et Patrem; non autem natura secundus, quoniam deitas in utroque una est: ita profecto et Spiritus Sanctus, *etsi tum ordine tum dignitate secundus est a Filio* [ut hoc etiam omnino concedamus] (3), tamen non jure sequi, ut alienae sit naturae, etc. ».

Tum Basilius de angelis quaedam subjicit, inter quos, quamvis sint diversi ordines et varii dignitatis gradus, non est tamen diversa natura. Postea ad hanc de Spiritu Sancto devenit conclusionem:

« Sic profecto *et Spiritus Sanctus, etsi dignitate inferior atque ordine* [ut aiunt] (4); accepimus enim [inquit (5)] tertium a Patre et Filio numeratum, cum Dominus ipse in traditione baptismatis salutaris tradiderit ordinem his verbis: *Euntes baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* at in quamdam naturam tertiam a Patre et Filio ejectum eum fuisse nusquam didicimus (6) ».

Hujus loci textum absque additamentis intra uncinos inclusis et cum verbis processionem aeternam Spiritus Sancti

---

(1) Verba subnotata, quae in textu originali sic sonant: « παρ' αὐτοῦ τὸ εἶναι ἔχον καὶ παρ' αὐτοῦ λαμβάνον καὶ ἀναγγέλλον ἡμῖν, καὶ ὅλως τῆς αἰτίας ἐκείνης ἐξημμένον », ex quibusnam codicibus expuncta sunt post schisma exortum, ut infra dicimus.

(2) *Fortasse,* ἴσως, additio spuria, quam non habent codices antiquiores.

(3) « ἵνα καὶ ὅλως συγχωρήσωμεν »: additamentum spurium.

(4) « ὡς λέγουσι » additio spuria.

(5) « φησί »: additio spuria.

(6) *Contra Eunomium,* l. III, 1, 2. P. G., t. XXIX, col. 653-660.

a Filio directe significantibus: *ab eo suum esse habens et ab eo accipiens*, etc., saeculo XII legebat Hugo Eterianus (a. 1177), antequam ulla de ejus authenticitate quaestio moveretur (1). Saeculo XII, Joannes Veccus eamdem lectionem tanquam genuinam in suis scriptis pluries propugnavit (2). In concilio autem Florentino, inde a sessione XVIII usque ad sessionem XXIII inclusive, de eodem loco acriter inter se disputarunt Marcus Ephesius et Joannes de Monte Nigro, Dominicanorum provincialis, qui falsitatem lectionis Graecorum gravibus rationibus arguit (3.)Teste Bessarione (4), ex codicibus sex, qui ad concilium allati sunt, quorumque quatuor in membrana scripti vetustissimi erant, quinque lectionem catholico dogmati suffragantem habebant, unus tantum lectionem a Marco propugnatam. Post concilium, Graeci uniti, ut narrat idem Bessario, codices omnes, quos in bibliothecis invenire potuerunt, inspexerunt; inquisitionis vero hic fuit exitus, quod manifesto apparuit codices omnes, qui schismate anteriores erant, lectionem praeferre Latinis suffragantem; qui vero recentiores, intercisam habere sententiam. Nec illi istis pauciores erant.

---

(1) *De haeresibus Graecorum*, l. II, c. 12, 18, P. L., t. CCII, col. 328: « Magnus Basilius in tertio de Spiritu sermone affirmat: Dignitate quidem est secundus a Filio, ab ipso esse habens et ab illo accipiens nobis annuntiat, et quod omnino de illa causa exeat, tradit sermo pietatis. Cf. l. III, c. 13, col. 366, ubi locum integrum refert sine additamentis spuriis. Eodem tempore, Nicetas Maronensis, in suis *Dialogis de processione Spiritus Sancti*, habet etiam veram lectionem.

(2) Joannes Veccus de hoc loco agit in *De unione Ecclesiarum*, 27, P. G., t. CXLI, col. 78-79; in *De processione Spiritus Sancti*, c. I, II, *ibid.*, col. 156-185; *Ad Theodorum*, l. II, col. 310-318; *Epigraphae*, col. 613-616. Item Constantinus Meliteniota, *De processione S. Spiritus oratio* II, 20, 21, *ibid.*, col. 1189-1194; Georgius Metochita, *Contra Manuelem Cretensem*, 24, *ibid.*, col. 1383-1389.

(3) Cf. Mansi, *Amplissima collectio concil.*, t. XXXI, col. 767 sq.

(4) *De processione Spiritus Sancti ad Alexium Lascarim Philanthropinum*, P. G., t. CLXI, col. 325-328, 408.

Subjicit autem Bessario se invenisse duos codices antiquos, unum membraneum, bombacenum alterum, in quibus primum inscriptus fuerat integer Basilii locus, temerariam vero manum in membraneo abrasisse ferro verba Photianis displicentia, in bombaceno autem atramento perfuso eadem verba operuisse. Iosephus Methonensis item narrat ministrum praesulis Nicomediensis, durante ipso concilio Florentino, eumdem sancti Basilii textum ferro abradere tentasse (1). Attente legenti Basilii responsionem ad Eunomii, argumentum clare apparet verba dogma catholicum directe exprimentia cum toto contextu omnino congruere ac quadrare, et Basilium in fine iterum ea quasi implicite repetere, dum scribit: *Sic profecto et Spiritus, etsi dignitate inferior atque ordine;* quod bene perspexerunt dissidentes, qui verba « ὥς λέγουσι » addiderunt, quasi propriam Basilii sententiam non exprimerent. Si enim *Filius ordine secundus a Patre est, quoniam ab illo est, et secundus a Patre dignitate, quia Pater principium ejus est,* ita etiam Spiritus Sanctus secundus a Filio est tum ordine tum dignitate, quia ab eo suum esse habet et ab eo tanquam a suo principio pendet. Quamvis enim Basilius saepius doceat Patrem esse αἰτίαν Spiritus Sancti, at vero scimus etiam eum appellare Patrem αἰτίαν πρώτην, αἰτίαν προκαταρκτικήν, atque in uno saltem loco clare innuisse Filium quoque esse αἰτίαν Spiritus Sancti (2).

(2) *Refutatio Marci Ephesini,* P. G., t. CLIX, col. 1048.

(1) Quotquot, inter Catholicos, de hoc loco ex professo tractarunt, scilicet L. Vallée, *Dissertatio qua expenditur celebris locus sancti Basilii de processione Spiritus Sancti,* Parisiis, 1721; A. Kranich, *Der heil. Basilius in seiner Stellung zum « Filioque »,* Braunsbergae, 1882, p. 61-81; Maurini editores operum S. Basilii, qui postquam hunc locum in t. I operum sancti doctoris mendore ediderant (cf. P. G., t. XXIX, col. 653-660), genuinam lectionem restituerunt ac firmis argumentis propugnaverunt in praefatione t. III: *Dissertatio de plu-*

Hujus doctoris de processione Spiritus Sancti doctrinam omnino catholicam confirmat ejus interpretatio verborum Isaiae, 48, 16: *Et nunc misit me Dominus et spiritus ejus*, quae ad Dei Filium quidem refert, at mediate tantum et qua homo est, non qua Deus (1).

S. Gregorius Nyssenus. — S. Gregorius Nyssenus, Basilii frater, de processione Spiritus Sancti non aliter sentit quam ille; quin immo Filium esse principium (sed principium *mediatum* seu principium a principio) Spiritus Sancti disertius adhuc declarat. Apud ipsum enim invenimus jam clare expressum axioma theologicum: *In divinis omnia unum*

---

ribus rebus ad doctrinam S. Basilii pertinentibus, § IV (cf. P. G., XXXII, col. 33-40); M. Le Quien, *Dissertatio Damascenica* I, 54-55, P. G., t. XCIV, col. 250-252; Petavius, *De Trinitate*, l. VII, c. III, 14-18, ed. L. Vivès, t. iii, p. 282-286; novissime Ladislaus Lohn, *Doctrina S. Basilii de processionibus divinarum personarum*, in commentario *Gregorianum*, t. X (1929), p. 461-484, concludunt lectionem a Graecis unionistis et a Latinis vindicatam genuinam esse, et ideo omnino retinendam tum propter auctoritatem codicum, tum propter sermonis Basilii cohaerentiam, quam addimentis spuriis destruere frustra tentaverunt theologi Photiani: « Mihi accuratius de Basilii loco illo cogitanti, ait Petavius, *loc. cit.*, p. 283-284 certissima res videtur veriorem eam esse lectionem, quam Latini proferebant; quam autem Graeci tuebantur, falsam ac dedita opera corruptam fuisse; adeoque in nostris libris priorem restituendam, quam et codicum vetustissimorum auctoritas commendat ». Haec Petavius scribebat, antequam L. Vallée suam eruditissimam dissertationem edidisset, quae authenticitatem loci controversi extra omne dubium ponit. Unde satis mirari non possumus quod Otto Bardenhevver, *Geschichte der altkirchlichen Literatur*, t. III, ed. 2, Friburgi, 1923, p. 161-162, scribat locum hujusmodi habendum esse ut posteriorem interpolationem *tum propter testimoniorum infirmitatem, tum quod verba a Graecis expuncta sermonis S. Basilii conconcinnitatem destruant, tum praesertim quod doctrinam Basilii praetergrediantur.* Suspicamur clarissimum auctorem in hac re influxui K. Holl et A. Harnack plus aequo obnoxium fuisse.

(1) *Adversus Eunomium* l. III, 4, P. G., t. XXIX, col. 661 C: « Ὁ δὲ Ἠσαΐας ἐκ προσώπου Κυρίου διαλεγόμενος, κατὰ τὸ ἀνθρώπινον αὐτοῦ δηλονότι· Κύριος ἀπέσταλκέ με καὶ τὸ Πνεῦμα αὐτοῦ ». Ergo, juxta Basilium, Isaias ipse haec verba profert, personam Filii, ut homo est, gerens.

sunt, ubi non obviat relationis originis oppositio. Ad hoc demonstrandum, loci sequentes duo sufficiunt:

Primus ad calcem occurrit opusculi cui titulus: *Quod non sint tres dii, ad Ablabium.* Graece sic se habet:

« Τὸ ἀπαράλλακτον τῆς θείας φύσεως ὁμολογοῦντες, τὴν κατὰ τὸ αἴτιον καὶ αἰτιατὸν διαφορὰν οὐκ ἀρνούμεθα, ἐν ᾧ μόνῳ διακρίνεσθαι τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου καταλαμβάνομεν τῷ τὸ μὲν αἴτιον πιστεύειν εἶναι, τὸ δὲ ἐκ τοῦ αἰτίου· καὶ τοῦ ἐξ αἰτίας ὄντος πάλιν ἄλλην διαφορὰν ἐννοοῦμεν· τὸ μὲν γὰρ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, τὸ δὲ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου· ὥστε καὶ τὸ μονογενὲς ἀναμφίβολον ἐπὶ τοῦ Υἱοῦ μένειν, καὶ τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς εἶναι τὸ Πνεῦμα μὴ ἀμφιβάλλειν, τῆς τοῦ Υἱοῦ μεσιτείας καὶ ἑαυτῷ τὸ μονογενὲς φυλαττούσης καὶ τὸ Πνεῦμα τῆς φυσικῆς πρὸς τὸν Πατέρα σχέσεως μὴ ἀπειργούσης: Nos qui divinae naturae immutabilitatem confitemur, differentiam quae est secundum causam et causatum non negamus, per quod solum alterum ab altero distingui deprehendimus: quatenus nempe credimus unum quidem esse causam, aliud vero esse ex causa: et illius, quod ex causa est, aliam rursus differentiam intelligimus: scilicet unum est proxime seu immediate ex primo; alterum autem ex eodem primo per illud quod est proxime ex primo; ita ut et Unigeniti proprietas absque ambiguitate in Filio maneat, et originem Spiritus Sancti ex Patre absque ullo dubio appareat, Filii mediatione proprietatem quâ Unigenitus est, ipsi conservante, et non impediente Spiritum, quominus suam ad Patrem naturalem relationem habeat » (1).

---

(1) P. G., t. XLV, col. 133 B C. Ad faciliorem hujus loci intelligentiam, gallice illum reddimus: « En confessant l'unité de nature, nous ne nions pas la différence *entre être cause et être causé.* C'est *en cela seulement qu'on peut distinguer les personnes les unes des autres,* la foi nous apprenant que, d'une part, *il y a ce qui est le principe, et, d'autre part, ce qui procède du principe. En outre, dans ce qui procède du principe, nous concevons une nouvelle distinction,* savoir *procéder immédiatement du principe, ou procéder par celui qui procède immédiatement du principe.* De

Ergo, secundum Gregorium, in Trinitate duo distinguenda sunt, scilicet *illud quod est causa seu principium*, et *illud quod est ex causa, seu habet principium.* Illud quod est causa seu principium est Pater; illud autem quod est ex causa duplex est, nempe Filius Unigenitus et Spiritus Sanctus. Haec autem est differentia inter Filium et Spiritum Sanctum, *quod Filius ex Patre venit proxime et immediate*, id est absque ullo medio; Spiritus Sanctus ex Patre venit *non immediate*, sed *per Filium*, ita ut vere *ex Patre per Filium procedat.* Hoc modo, ait Gregorius, verum est quod personae divinae ab invicem non distinguuntur *nisi ratione causae et causati*, id est *relatione originis.* Filius quidem, qui medius intercedit inter Patrem et Spiritum Sanctum, a Gregorio hic non appellatur *causa*, αἰτία, seu *principium*, quia ex contextu apparet illum hic nomine *causae*, αἰτία, intelligere *causam primam* seu *primordialem*, αἰτίαν πρώτην seu προκαταρκτικήν, ut dicit Basilius. Attamen inter illum et Spiritum Sanctum adest *vera relatio originis*, quatenus Spiritus Sanctus suum esse, suam existentiam ex Patre non ducit nisi per Filium. Ita, ait sanctus doctor, Filius non amittit suam proprietatem, qua est Unigenitus a Patre, *immediate ex eo prodiens;* et Spiritus, per hanc Filii mediationem, non impeditur quominus et ipse *ad Patrem suam habeat naturalem relationem*, id est *ex ipso non proxime, sed mediate suum esse accipiat.*

Remanet quidem in Gregorii dictis aliqua obscuritas, quatenus et Filius *expresse* non vocatur αἰτία seu principium, et quatenus non dicitur *unum esse cum Patre principium Spi-*

---

cette manière le nom *de Fils unique demeure sans ambiguité au Fils, et cependant, sans conteste, l'Esprit procède du Père, la mitoyenneté du Fils lui gardant sa propriété de Fils unique et ne privant pas l'Esprit de sa relation naturelle au Père* ».

ritus Sancti. Et inde est quod Graeco-Russi dissidentes ipsi ad hunc Gregorii locum provocent, ut Filio denegent rationem principii relate ad processionem Spiritus Sancti. Verum, hoc saltem concedere debent, scilicet quod Gregorius non est *Photianus,* cum evidenter doceat Spiritum Sanctum non procedere a *Patre solo,* sed a *Patre per Filium,* ita ut Filius vere interveniat, *suas partes habeat in processione aeterna Spiritus Sancti.* Quaenam autem sint hujusmodi partes Filii, Gregorius expresse non dicit, sed satis clare insinuat, dum dicit: 1° in natura divina nullam differentiam, nullam distinctionem realem existere nisi secundum *rationem causae et causati;* 2° Spiritum Sanctum suum esse, suam existentiam ducere a Patre per Filium. *Ergo inter ipsum et Filium adest aliqua relatio causae et causati;* secùs, inter se non distinguerentur. Omnis obscuritas evanescit, si in memoriam revocantur verba Filii de seipso dicentis: *Spiritus de meo accipit, quia quaecumque habet Pater, mea sunt.* Filius est etiam principium Spiritus Sancti, sed principium non primum, principium ex principio, et revera unum principium cum principio primo.

Caeterum, quod Gregorius in hoc primo loco expressis verbis non dixit, nempe quod Filius est principium, αἰτία, Spiritus Sancti, hoc clare docet in altero loco, qui graece sic sonat:

Ὡς γὰρ συνάπτεται τῷ Πατρὶ ὁ Υἱός, καὶ ἐξ αὐτοῦ τὸ εἶναι ἔχον οὐχ ὑστερίζει κατὰ τὴν ὕπαρξιν, οὕτω πάλιν καὶ τοῦ Μονογενοῦς ἔχεται τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐπινοίᾳ μόνῃ κατά τὸν τῆς αἰτίας λόγον προθεωρουμένου τῆς τοῦ Πνεύματος ὑποστάσεως, ὥστε τοῦ λόγου τῆς αἰτίας ὑπεξῃρημένου, ἐν μεδενὶ τὴν ἁγίαν Τριάδα πρὸς ἑαυτὴν ἀσυμφώνως ἔχειν: Quemadmodum Patri Filius conjungitur, et suum esse ex ipso habens, quantum ad existentiam eo posterior non est: *ita etiam Spiritus Sanctus ab Uni-*

genito pendet, qui cogitatione sola, secundum principii rationem, ante hypostasim Spiritûs concipitur; ita ut, excepta principii ratione, sancta Trinitas in nulla re a seipsa discrepet »(1).

Nihil sane his verbis disertius a Gregorio postulare poteramus ad tollendam ambiguitatem omnem circa veram loci praecedentis significationem: Sanctus doctor inter Filium et Spiritum Sanctum relationem principii ad principiatum, τὸν λόγον τῆς αἰτίας, revera ponit, ita ut omnia Photianorum effugia eo ipso evanescant. Vides etiam doctorem graecum, multo ante S. Thomam, tradidisse solam principii rationem, seu relationem originis, realem distinctionem in Trinitatem inducere, ita ut si Spiritus Sanctus a Filio etiam non procederet, ab ipso revera non distingueretur.

Multa alia testimonia eamdem doctrinam proferentia ex Gregorii scriptis excerpere possemus. Comparationem de tribus solibus nexu originis sibi invicem cohaerentibus supra dedimus (2). Aliam Trinitatis imaginem huic primae similem habet Gregorius in opusculo *De Spiritu Sancto adversus Macedonianos;* siquidem tres personae divinae tribus lampadibus comparat, quarum prima per mediam transmittit lucem tertiae (3).

Restat ut quaedam dicamus de quodam famoso loco ex *Oratione III in orationem dominicam* desumpto, de quo olim saepe inter se litigarunt Byzantini unionistae et polemistae antilatini:

---

(1) *Contra Eunomium,* l. I, in fine, P. G., t. XLV, col. 364 B C.

(2) Vide supra, p. 125, n. 1.

(3) P. G., t. XLV, col. 1308: « Ὥσπερ ἄν εἴ τις ἐν τρισὶ λαμπάσι διῃρημένην βλέπων τὴν φλόγα (αἰτίαν δὲ τοῦ τρίτου φωτὸς ὑποθώμεθα εἶναι τὴν πρώτην φλόγα) ἐκ διαδόσεως διὰ τοῦ μέσου τὸ ἄκρον ἐξάψασαν ».

« Est Patris proprium, ait Gregorius, ut non sit ex aliqua causa. Hoc autem neque in Filio neque in Spiritu cernere licet. Nam et Filius de Patre exivit, ut ait Scriptura, et Spiritus ex Deo et a Patre procedit... Jam vero cum sit commune Filio ac Spiritui ut non sint sine causa, ne forte confusio aliqua in his subjectis accidat, en item in eorum proprietatibus inconfusa quaedam differentia comperitur: ut sic nimirum et quod ipsis commune est maneat, et quod est peculiare non confundatur. Nam Unigenitus Filius ex Patre a sacra Scriptura nominatur et hic ejus proprietatem sistit sermo sacer. Sanctus autem Spiritus *ex Patre dicitur, et ex Filio esse insuper testimonio comprobatur*: *Si quis*, ait, *Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (Rom. VIII, 9). Ergo Spiritus, ex Deo existens, etiam Christi Spiritus est. Attamen Filius, qui ex Deo est, neque est neque dicitur Christus Spiritûs, neque haec relativa consecutio convertitur, ita ut pari modo per analysim convertere liceat sermonem atque sicut *Christi Spiritum* dicimus, ita *Christum Spiritûs* nominemus: Ὁ γὰρ μονογενὴς Υἱὸς ἐκ τοῦ Πατρὸς παρὰ τῆς ἁγίας Γραφῆς ὀνομάζεται, καὶ μέχρι τούτου ὁ λογος ἵστησιν αὐτοῦ τὸ ἰδίωμα· τὸ δὲ ἅγιον Πνεῦμα καὶ ἐκ τοῦ Πατρὸς λέγεται, καὶ Ἐκ τοῦ Υἱοῦ εἶναι προσμαρτυρεῖται.... Οὐκοῦν τὸ μὲν Πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ ὄν, καὶ Χριστοῦ (1) Πνεῦμά ἐστιν, ὁ δὲ Υἱὸς ἐκ τοῦ Θεοῦ ὤν, οὐκέτι καὶ τοῦ Πνεύματος οὔτε λέγεται, οὐδὲ ἀντιστρέφει ἡ σχετικὴ ἀκολουθία αὕτη » (2).

Inter Catholicos et dissidentes tota quaestio est utrum in effato: « καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ εἶναι προσμαρτυρεῖται » praepositio ἐκ ad textum Gregorii revera pertineat, an sit additamentum spu-

(1) Lequien, *Dissertatio Damascenica* I, 47, P. G., t. XLIV, col. 241, loco Χρισνοῦ habet Θεοῦ. Patet ex contextu legendum esse Χριστοῦ, quam lectionem habet editio A. Mai, *Nova Patrum bibliotheca*, t. IV, p. 52 sq.

(2) Mai, *loc. cit.* Cf. P. G., t. XLVI, col. 1109: Mirum est totum hoc excerptum deesse in omnibus editionibus, quae editionem Mai praecesserunt. Scimus tamen ex Hugone Eteriano, *op. cit.*, l. II, c. 3, *loc. cit.*, col. 281 C, hunc locum ad Gregorii *Orationem* III *in orat. dominicam* pertinuisse. Ergo a Graecis dissidentibus de industria omissus fuerit.

rium. Inde a saeculo XIII, Graeci unionistae, et imprimis Joannes Veccus, contenderunt lectionem ἐκ τοῦ Υἱοῦ esse genuinam (1). Dissidentes, e contra, praepositionem ἐκ expungendam esse pronuntiant; quibus assensi sunt critici catholici haud pauci, inter quos Petavius (2). Fatendum est contextum lectioni Joannis Vecci et aliorum *primo adspectu* non favere, cum nullibi in S. Scriptura ad verbum legatur Spiritum Sanctum ἐκ τοῦ Υἱοῦ εἶναι, sed simpliciter τοῦ Υἱοῦ εἶναι. Attamen ad verba Gregorii diligenter attendendum est: *Spiritus*, inquit, *ex Patre* DICITUR, λέγεται, scilicet in sacra Scriptura. Ad Filium autem quod attinet, Gregorius simpliciter asserit: *Spiritus ex Filio esse testimonio* (S. Scripturae scilicet) *declaratur*. Inter *dicitur* et *testimonio declaratur* aliqua differentia deprehenditur: *Dicitur* importat *testimonium ad verbum* (κατὰ λέξιν); *testificatur*, testimonium *ad sensum tantum* (κατ' ἔννοιαν) significare potest. Atqui ex pluribus sacrae Scripturae locis colligitur Spiritum Sanctum *ex Filio esse*. Non ergo *a priori* decernere possumus lectionem ἐκ τοῦ Υἱοῦ esse mendosam. Atqui, post A. Mai in codicibus Vaticanis indagationes, lectio hujusmodi manuscriptos antiquiores pro se habere reperitur, inter quos veniunt *Vaticanus* 2066, circa saeculum VII exaratus (ergo multo ante controversias photianas) et *Vaticanus* 448, saeculi XI, quem Mai suspicatur esse illum codicem in quo Excammatismenus, Ecclesiae Constantinopolitanae referendarius, dum schismati adhuc adhaereret,

---

(1) Cf. *De processione Spiritus Sancti*, c. I, 4, P. G., t. CXLI, col. 161-164; *Epigraphe* I, col. 613; Lämmer, *Scriptorum Graeciae orthodoxiae bibliotheca selecta*, Friburgi, 1864, p. 38-45. Georgius Scholarius, *Oeuvres complètes*, t. II, p. 157-167, de hoc loco fuse disserit.

(2) *De Trinitate*, l. VII, c. 3, 12, *ed. cit.*, t. III, p. 281-282.

gladiolo de industria eraserat praepositionem ἐκ ante τοῦ Υἱοῦ (1); siquidem in isto codice particula κς primum scripta fuerat; quae postea studiose obliterata fuit, superstite adhuc in litura quodam praepositionis vestigio et leni spiritu super litteram ε non deleto (2). Ergo omnino certum est lectionem ἐκ τοῦ Υἱοῦ separatione Ecclesiarum antiquiorem esse; valde vero probabile est illam genuinam esse.

Caeterum bene animadverte locum laudatum, remota quaestione de praepositione ἐκ, dogmati catholico in fine omnino favere, quandoquidem Gregorius effatum Scripturae *Spiritus Christi* de mera consubstantialitate non interpretatur, ut volunt Photius et ejus discipuli, sed ejus verba insinuant adesse relationem originis inter Filium et Spiritum Sanctum. Rejicit enim locutionem *Christus Spiritûs,* eo quod haec significare possit Christum ex Spiritu suam originem ducere, dum cum omnibus recipit formulam *Spiritus Christi,* quia revera Spiritus procedit etiam a Filio (3).

S. Gregorius Nazianzenus. — S. Gregorius Nazianzenus, Basilii ejusque fratris Gregorii coaetaneus et amicus, eamdem omnino ac illi de processione Spiritus Sancti doctrinam habet. In sua *Oratione in laudem Basilii,* theologiam illius de Spiritu Sancto expresse suam facit (4).

(1) Exstat ipsius Joannis Vecci sententia synodalis in falsarium anno 1280 lata. P. G., t. CXLI, col. 281-290.

(2) Mai, *op. cit.*, p. 40 sq.

(3) Aliquam confirmationem lectionis « ἐκ τοῦ Υἱοῦ » in loco Gregorii invenire quis possit in fragmento exegetico Diodoro Tarsensi vel Theodoro Mopsuesteno attributo, quod infra, p. 168, legetur. Hujus enim fragmenti auctor ex locutione *Spiritus Christi* concludit Spiritum Sanctum *esse ex Filio,* ἐκ τοῦ Υἱοῦ.

(4) *In laudem Basilii Magni,* 67, 69, P. G., t. XXXVI, col. 585 A: « Ὅταν τοῖς περὶ Πνεύματος ἐντύχω, εὑρίσκω Θεόν, ὃν ἔχω, καὶ παρρησιάζομαι τὴν ἀλήθειαν, ἐπιβατεύων τῆς ἐκείνου θεολογίας ». — Col. 589: « Ἔμοιγ' οὖν εἴη, καὶ ὅστις ἐμοὶ φίλος, ἡ ἐκείνου θεολογία ».

Quamvis autem relationem originis, quae Spiritum Sanctum cum Filio connectit, non tam diserte exprimat quam Basilius vel Gregorius, ad eam tamen in multis suorum operum locis haud obscure alludit: v. g., dum Trinitatem comparat *tribus solibus ab invicem pendentibus et sibi cohaerentibus* (1); vel *oculo fontis, fonti et fluvio* (2); vel soli, radio et luci (3). Item, in quodam carmine, formulam a *Patre per Filium* usurpat ad processionem aeternam Spiritus Sancti significandam: « Sancta Trinitas *ex uno ad unum perveniens...* Unus Deus *ex Genitore per Filium in magnum Spiritum.* Divinitas perfecta in perfectis subsistens » (4).

Appellationem causae seu principii, *αἰτία*, Patri quidem saepius servat, at vero Filio non denegat esse principium de principio relate ad Spiritum Sanctum. Illum enim quandoque expresse vocat principium, *ἀρχήν* (5); sicut etiam haud semel dicit Patrem esse *causam primam* (6); quod subaudit esse aliam causam praeter primam. Spiritum Sanctum autem in suo

---

(1) *Oratio* xxxi, 14. P. G., t. xxxvi, col. 149 A: « καὶ οἷον ἐν ἡλίοις τρισὶν ἐχομένοις ἀλλήλων μία τοῦ φωτὸς σύγκρασις ».

(2) *Ibid.*, 31, col. 169 B. Cf. supra, p. 126, n. 3.

(3) *Ibid.*, 32, col. 169 B: « Πάλιν ἥλιον ἐνεθυμήθην, καὶ ἀκτῖνα καὶ φῶς ».

(4) *Carminum* l. i, § ii, 2, P. G., t. xxxvii, col. 632 A: « Ἵλαος, ἵλαος ἄμμιν, ἁγνὴ Τριάς, εἰς ἓν ἰοῦσα ἐξ ἑνός... Εἷς Θεὸς ἐκ Γενετάο δι' Υἱέος ἐς μέγα Πνεῦμα, ἱσταμένης θεότητος ἐνὶ τελέοισι τελείης ».

(5) Cf. *Orat.* xlii, 15, P. G., t. xxxvi, col. 476 A B: « Ἄναρχον, ἀρχὴ καὶ τὸ μετὰ τῆς ἀρχῆς.... Ὄνομα δὲ τῷ μὲν ἀνάρχῳ, Πατήρ· τῇ δὲ ἀρχῇ, Υἱός· τῷ δὲ μετὰ τῆς ἀρχῆς, Πνεῦμα ἅγιον ». Cf. item *Carminum* l. i, § ii, 10: « Ἄναρχον, Ἀρχή, Πνεῦμα, Τριὰς τιμία, Ἀναίτιον, γέννητον, ἐκπορεύσιμον· Πατὴρ τὸ μέν, τὸ δ' Υἱὸς αὐτὸς καὶ Λόγος· τὸ δ' οὐ μὲν υἱός, Πνεῦμα δ' οὐσίας μιᾶς ».

(6) Cf. *Orat.* xxxi, 14, P. G., t. xxxvi, col. 149 A: « Ὅταν μὲν οὖν πρὸς τὴν θεότητα βλέψωμεν, καὶ τὴν πρώτην αἰτίαν, καὶ τὴν μοναρχίαν ἐν ἡμῖν τὸ φανταζόμενον· ὅταν δὲ πρὸς τὰ ἐν οἷς ἡ θεότης, καὶ τὰ ἐκ τῆς πρώτης αἰτίας ἀχρόνως ἐκεῖθεν ὄντα καὶ ὁμοδόξως, τρία τὰ προσκυνούμενα ». Vidimus etiam Basilium saepe loqui de causa prima seu primordiali.

esse pendere etiam a Filio in sequentibus locis haud obscure insinuat:

« Si fuit tempus cum non esset Pater, fuit quoque tempus cum non esset Filius. Si fuit tempus cum non esset Filius, fuit quoque cum Spiritus quoque non esset (1).

« Spiritus Sanctus, quatenus a Patre procedit, creatura non est; quatenus non genitus, Filius non est; *quatenus autem inter unigenitum et genitum medius est*, Deus est (2)... Quid est ergo, (inquit haereticus) quod Spiritui deest, ut sit Filius? Nisi enim aliquid deesset, Filius esset. Deesse nihil dicimus; non enim Deo quidquam deest. *Differentia vero manifestationis utriusque*, ut ita dicam, *seu differentia mutuae eorum relationis, diversam quoque ipsis appellationem procreavit. Neque enim Filio aliquid deest ad hoc ut sit Pater* (*neque enim filiatio defectus est*); *nec propterea tamen Pater est*. Nec enim Pater Filius est » (3).

Haec ultima verba animadvertas velim: Ideo, inquit Gregorius, Filius non est Spiritus, et Spiritus non est Filius, quia relatio quam ad invicem habent aliquam differentiam praefert. Quaenam autem est haec mutua relatio quae inter utrum-

(1) *Orat.* XXXI, 4, col. 137 A: « Εἰ ἦν ὅτε οὐκ ἦν ὁ Πατήρ, ἦν ὅτε οὐκ ἦν ὁ Υἱός. Εἰ ἦν ὅτε οὐκ ἦν ὁ Υἱός, ἦν οὐδὲ τὸ Πνεῦμα ».

(2) *Orat. cit.*, 8, col. 141 B: « Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, ὃ καθόσον μὲν ἐκεῖθεν ἐκπορεύεται, οὐ κτίσμα· καθόσον δὲ οὐ γεννητόν, οὐχ Υἱός· καθόσον δὲ ἀγεννήτου καὶ γεννήτου μέσον, Θεός ». Vides Gregorium ponere Spiritum Sanctum *medium inter ingenitum et genitum, inter Patrem et Filium*, et inde concludere eum Deum esse. Nonne hoc clare innuit Spiritum a Patre et Filio simul tanquam ab uno principio procedere? In eumdem sensum Epiphanius supra, p. 94, n. 1, nobis dixit Spiritum Sanctum esse *vinculum Trinitatis, in medio Patris et Filii*. Gregorius loquitur hic sub Latinorum angulo, respiciens directe *principium quo* processionis Spiritus Sancti.

(3) *Ibid.*, 9, col. 141 C: « Τί οὖν ἐστι, φησίν, ὃ λείπει τῷ Πνεύματι πρὸς τὸ εἶναι Υἱός. Εἰ γὰρ μὴ λεῖπόν τι ἦν, Υἱὸς ἂν ἦν. Οὐ λείπειν φαμέν· οὐδὲ γὰρ ἐλλειπὴς Θεός· τὸ δὲ τῆς ἐκφάνσεως, ἵν' οὕτως εἴπω, ἢ τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεως διάφορον, διάφορον αὐτῶν καὶ τὴν κλῆσιν πεποίηκεν ».

que intercedit? Non potest esse nisi relatio originis. Non enim Filius, qua Filius est, refertur ad Spiritum Sanctum. Ergo ad illum refertur quantum ad aliud a filiatione diversum, id est quatenus *spirat*, quatenus est spirator. Conclusio confirmatur ex iis quae Gregorius subjicit de relatione inter Patrem et Filium.

Graeci dissidentes nobis opponunt duos locos sequentes, quasi cum doctrina catholica nullatenus componi possint:

« Unitas, a principio versus binarium mota, in Trinitate constitit, atque hoc nobis est Pater et Filius et Spiritus Sanctus: Pater quidem *genitor et productor* seu προβολεύς, citra tamen ullam passionem ac tempus, atque incorporeo modo; horum autem alter soboles, alter *productio* » (1).

« Omnia quae habet Pater, Filii sunt, *praeter causam esse;* quidquid item Filius habet, id quoque Spiritûs est, *praeter filiationem* eaque omnia quae de eo dicuntur quantum ad corpus propter me hominem et meam salutem » (2).

In primo loco, Pater dicitur esse simul γεννητώρ et προβολεύς; genitor, quatenus est pater Filii; προβολεύς, quatenus est principium Spiritus Sancti. Videtur ergo esse solus προβολεύς, cum Gregorius non dicat Filium etiam esse προβολέα, sed simpliciter γέννημα. Attamen, Gregorius non dicit Patrem esse solum προβολέα. Quatenus vero est Pater, Filio suo communicare debet quaecumque habet praeter esse Patrem; ergo etiam facultatem seu virtutem quâ constituitur προβολεύς. Vel etiam respondere potes Patrem esse προβολέα ἄναρχον, dum Filius est προβολεύς ex Patre.

---

(1) *Oratio* XXIX, 2, P. G., t. XXXVI, col. 76 B: « ὃ μὲν γεννήτωρ καὶ προβολεύς..., τῶν δέ τὸ μὲν γέννημα, τὸ δὲ πρόβλημα ».

(2) *Oratio* XXXIV, 10, *ibid.*, col. 252 A: « Πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατὴρ τοῦ Υἱοῦ ἐστι, πλὴν τῆς αἰτίας· πάντα δὲ ὅσα τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ Πνεύματος, πλὴν τῆς υἱότητος ».

Ad alterum locum quod attinet, notandum: 1° Haud paucos codices habere, loco verborum: πλὴν τῆς αἰτίας, illa: πλὴν τῆς ἀγεννησίας, quae in aliis Gregorii locis occurrunt (1); 2° Patrem vocari αἰτίαν in sensu proprie dicto vocis αἰτία, id est quatenus est *principium sine principio, principium primum,* τὴν πρώτην αἰτίαν, ut alibi dicit Gregorius. Atqui Filius non est principium sine principio. Filiatio autem sufficit ad distinguendum Filium a Spiritu Sancto, quatenus in *filiatione* continetur vis producendi Spiritum Sanctum a Patre accepta. Ut enim Filius sit filius perfectus, a Patre per generationem omnia Patris accipere debet praeter esse Patrem; ergo etiam vim qua προβολεὺς constituitur, non quidem προβολεὺς ἄναρχος, ut est Pater, sed προβολεὺς αἰτιατός.

V. — Apollinaris Laodicenus († *circa* 390).

Apollinaris, Laodiceae in Syria episcopus, qui circa mysterium Incarnationis graviter erravit, de sancta Trinitate doctrinam omnino orthodoxam professus est, et Spiritus Sancti divinitatem contra Anomaeos et Macedonianos praeclare tuitus est. De processione ejusdem Spiritus item orthodoxe loquitur, Athanasii et Patrum Cappadocum doctrinam expresse referens; quod constat ex illa sola fidei professione inscripta: *Fides per partes,* Κατὰ μέρος πίστις, quam sancto Gregorio Thaumaturgo diu tribuerunt; quam tamen ad Apollinarem pertinere nemo nunc infitiatur.

---

(1) Cf. *Orat.* XLI *in Pentecostem,* 9, *ibid.,* col. 441 C: « Πάντα ὅσα ὁ Πατήρ. τοῦ Υἱοῦ πλὴν τῆς ἀγεννησίας ». Ambae locutiones revera sunt synonymae, quia ἀγεννησία significat *principium ingenitum, primordiale,* et αἰτία = πρώτη, προκαταρκτικὴ αἰτία.

Primum quidem formulam *a Patre per Filium* usurpat ad processionem aeternam Spiritus Sancti sine ulla ambiguitate significandam:

« Confitemur, inquit, consubstantialem esse Patri Filium et Spiritum Sanctum, et unam substantiam Trinitatis, id est unam divinitatem naturaliter, Patre manente ingenito, genito autem Filio ex Patre vera generatione, non creatione ex voluntate, *et Spiritu Sancto ex substantia Patris per Filium aeterne emisso,* habente virtutem sanctificandi totam creaturam: τοῦ Πνεύματος ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς δι' Υἱοῦ ἀϊδίως ἐκπεμφθέντος, ἁγιαστικοῦ τῆς ὅλης κτίσεως » (1).

Post alios Patres, Apollinaris asserit eamdem esse relationem Spiritus Sanctus ad Filium, quam habet Filius ad Patrem:

« Filium vocamus Deum proprietate Patris tanquam imaginem et germen; Patrem vero Dominum nomine unius Domini appellamus tanquam hujus principium et genitorem. Eamdem autem unitatem Spiritus habet cum Filio, quam Filius habet cum Patre: τὴν αὐτὴν δὲ τοῦ Πνεύματος ἑνότητα πρὸς τὸν Υἱὸν ἔχοντος, ἣν ὁ Υἱὸς πρὸς τὸν Πατέρα » (2).

« Unam dicimus divinitatem et unam dominationem atque unam sanctitatem, Trinitatem; quia *principium Domini est Pater,* qui ex aeternitate eum genuit; *et Dominus est prototypus Spiritus Sancti*: ὅτι τοῦ Κυρίου ὁ Πατὴρ ἀρχή, ἀϊδίως αὐτὸν γεννήσας, καὶ πρωτότυπος τοῦ Πνεύματος ὁ Κύριος » (3).

Veram item missionis divinae notionem habet; quam ut processionum immanentium repraesentativam exhibet: Tribus

(1) Κατὰ μέρος πίστις, P. G., t. x, col. 1117 C. ed. J. Dräseke, *Apollinarios von Laodicea (Texte und Untersuchungen,* t. VII) Lipsiae, 1892; H. Lietzmann, *Apollinaris von Laodicea,* Tubingae, 1904.

(2) *Ibid.,* col. 1112 B; Dräseke, p. 373.

(3) *Ibid.,* col. 1116 B.

personis manentibus, inquit, trium unio firme confitenda est. Ita sane convenienter creditur mittens et missus, *quatenus Pater misit Filium, et Filius mittit Spiritum Sanctum; una vero persona non mittit seipsam*, nec aliquis dicet Patrem incarnatum fuisse (1). Deus Spiritum Sanctum mittit per Filium (2), Spiritus ex Deo per Filium filiis adoptionis donatur (3).

Teste Theodoreto, Apollinaris Patrem dicebat maximum, Filium majorem, Spiritum Sanctum vero simpliciter magnum (4). Exinde colligere quis possit eum veram relationem originis inter Filium et Spiritum Sanctum posuisse. Pater enim maximus dicitur, quia a se est, nullum habens principium. Nullam aliam vero rationem invenire possumus cur Filius vocetur major, nisi quia est principium Spiritus Sancti. Hoc loquendi modo Novatianus Romanus, ut vidimus (5), jam usus fuerat.

VI. — Patres Scholae Antiochenae. Theodoreti sententia.

Scholae Antiochenae doctores: Diodorus Tarsensis, Theodorus Mopsuestenus, Joannes Chrysostomus, Theodoretus, etc., Spiritum Sanctum a Patre procedere diserte docent. De

---

(1) *Ibid.*, col. 1113 D: « Ὁ Πατὴρ τὸν Υἱὸν ἀπεστέιλεν, καὶ Υἱὸς τὸ Πνεῦμα ἀποστέλλει· ἓν δὲ προσώπων οὐκ ἂν πέμψειεν αὐτὸ ἑαυτό ». Huic principio haud steterunt quidam Latini.

(2) *Ibid.*, col. 1108 A: « Τό Πνεῦμα ἐκπέμπων ὁ Θεὸς δι' Υἱοῦ, τὴν κτίσιν ὁμοιοῖ πρὸς ἑαυτόν ».

(3) *Ibid.*, col. 1120 A: « Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ Θεοῦ δι' Υἱοῦ χορηγούμενον εἰς τούς υἱοθετουμένους ».

(4) *Haereticarum fubularum compendium*, l. IV, 8, P. G., t. LXXXIII, col. 425C: « Αὐτοῦ γάρ ἐστιν εὕρεμα τό, Μέγα, μεῖζον, μέγιστον, ὡς μεγάλου μὲν ὄντος τοῦ Πνεύματος, τοῦ δὲ Υἱοῦ μείζονος, μεγίστου δὲ τοῦ Πατρός ». Ex his quae subdit Theodoretus, apparet eum veram Apollinaris sententiam non intellexisse.

(5 Vide supra, p. 108.

processione vero Spiritus a Filio vel per Filium communiter tacent. Unus tamen locus e catenis exegeticis excerptus, et ideo valde suspectus, sub nomine Diodori vel etiam Theodori venit, in quo Spiritus dicitur esse tum ex Patre, tum etiam *ex Filio*. Agitur de *Commentario in Epistolam ad Romanos*, VIII, 11:

« Quum antea dixisset *Spiritum Christi*, rursus ait: Spiritus ejus qui suscitavit Christum habitat in vobis. Dum a Christo ad Patrem reducit Spiritum, nihil aliud aperte docet nisi Spiritum, *qui est ex Filio*, a paterna deitate non esse alienum et quibus est una operatio, his sane esse et unam essentiam Patri coaeternam: « Πνεῦμα Χριστοῦ », νῦν πάλιν φησὶ τὸ Πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος Χριστὸν οἰκεῖ ἐν ὑμῖν. Ἐπαναγαγὼν ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ἐπὶ τὸν Πατέρα, οὐδέν ἕτερον ἀλλ' ἢ σαφῶς διδάσκει, ὅτι « ἐκ τοῦ Υἱοῦ καὶ τὸ Πνεῦμα » οὐκ ἀλλότριον τῆς πατρικῆς θεότητός ἐστιν, καὶ οἷς μία ἡ ἐνέργεια, τούτοις πάντως καὶ ἡ οὐσία τῷ Πατρὶ συναΐδιος » (1).

Ex sancti Joannis Chrysostomi operibus certo genuinis nullum hactenus prolatum est testimonium *explicitum* de processione Spiritus Sancti *a Filio* vel *per Filium* (2).

De Theodoreto vero quaestio est utrum revera negaverit Spiritum Sanctum esse suum habere *ex Filio* vel etiam *per Filium*. Scripsit enim in *Confutatione* XII *capitum Cyrilli*, ad

---

(1) Hunc locum refert Mai in *Spicilegio romano*, t. IV, p. 525, sub nomine Theodori, subjiciens tamen in quodam codice Vaticano antiquiore et emendatiore eumdem Diodoro Tarsensi tribui. Novissime Carolus Staab, *Paulus Kommentare aus der griechischen Kirche*, Münster, 1933, p. 92, Diodoro illum adscribit.

(2) Laudat quidem Joannes Veccus in suis *Epigraphis*, P. G., t. CXLI, *col.* 617, 681-685, quaedam sat explicita ex duabus homiliis ,quarum una est *De Incarnatione, ibid.*, t. LIX, col. 687 seq. (incipit: Χθὲς, ὦ φιλόχριστοι), altera *De Incarnatione, ibid.*, t. LIX, col. 687 seq. (incipit: Ὄντως ἐπεφάνη). Verum ambae inter spurias a criticis relegantur.

anathematismum nonum (1), ubi Spiritus Sanctus dicitur *proprius Filii*:

« *Proprium Spiritum Filii*, siquidem ut *ejusdem naturae cum eo et ex Patre procedentem* dixit, simul confitebimur, et tanquam piam suscipiemus vocem. *Si vero tanquam ex Filio aut per Filium existentiam habeat*, hoc ut blasphemum et impium rejiciemus. Credimus enim Domino dicenti: *Spiritus qui ex Patre procedit;* sed et sacratissimo Paulo dicenti similiter: *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo Patre est* (2).

Si Theodoretus infitiaretur tantum Spiritum Sanctum *ex Filio*, ἐκ τοῦ Υἱοῦ, existentiam habere, ejus verba in sensum orthodoxum accipere quis posset; videretur enim tunc negare tantum Filium esse principium primum seu originale tertiae personae. At vero negare etiam Spiritum *per Filium* existentiam habere, hoc doctrinae catholicae, prout a Patribus graecis communiter traditur, aperte contradicere videtur.

Caeterum non in hoc loco tantum, sed alibi, in suis epistolis de controversia cum S. Cyrillo tractantibus, eadem repetit; immo vero contendit Cyrillum, postquam legit ejus censuram anathenatismi IX, sententiam de Spiritus Sancti processione mutasse et non amplius docuisse Spiritum etiam *a Filio* seu *per Filium* procedere, sed locutionem « ἴδιον τοῦ Υἱοῦ » de mera Spiritûs cum Filio consubstantialitate intellexisse (3).

---

(1) Hujus anathematismi textum habes supra, p. 113.

(2) P. G., t. LXXVI, col. 432: « Ἴδιον δὲ τὸ Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ, εἰ μὲν ὡς ὁμοφυὲς καὶ ἐκ Πατρὸς ἐκπορευόμενον ἔφη, συνομολογήσομεν καὶ ὡς εὐσεβῆ δεξόμεθα φωνήν· εἰ δὲ ὡς ἐξ Υἱοῦ, ἢ δι' Υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον, ὡς βλάσφημον τοῦτο καὶ ὡς δυσσεβὲς ἀπορρίψομεν ».

(3) Cf. *Epist.* 171 *ad Joannem Antiochenum* (post pacem a. 433), P. G., t. LXXXIV, col. 1484 B C: « Τὰ δὲ νῦν ἀπεσταλμένα τῇ εὐαγγελικῇ εὐγενείᾳ καλλύνεται...., καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἐξ Υἱοῦ ἢ δι' Υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον, ἀλλ' ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, ἴδιον δὲ Υἱοῦ ὡς ὁμοούσιον ὀνομαζόμενον ».

Quaedam tamen habet in his epistolis, quae haud dubie ostendunt illum, dum talia scriberet, ad haeresim Macedonii et Anomaeorum directe animum attendisse (1). Hoc vero non sufficit, ut ab omni errore circa hanc quaestionem illum immunem fuisse pronuntiemus. Nam 1° Videtur in Apollinari jam culpasse ac damnasse hujus sententiam orthodoxam de processione Spiritus Sancti a Patre per Filium (2); 2° Ex attento examine eorum quae de Spiritu Sancto in suis commentariis exegeticis aliisque operibus habet, constat illum prorsus ignoravisse doctrinam quae tenet Filium relationis originis nexu cum Spritu Sancto conjungi et una cum Patre, et ex virtute a Patre accepta, principium esse existentiae ejusdem Spiritus. Ubique enim simpliciter asserit Spiritum Sanctum a Patre procedere, nihil addens quod aliquo pacto inculcare possit Filium suas partes etiam habere in hac processione (3). Hoc tantum concedit, quod Spiritus Sanctus *per Filium*, διὰ τοῦ Υἱοῦ, creaturis detur ac communicetur (4). Inspicienti vero ejus doctrinam de missione et communicatione Spiritûs mani-

---

(1) Cf. *Epist.* 151 *ad monachos Euphratenos et Osroenos,* P. G., *ibid.*, col. 1417 D: « Βλασφημεῖ δὲ καὶ εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα [ὁ Κύριλλος], οὐκ ἐκ τοῦ Πατρὸς αὐτὸ λέγων ἐκπορεύεσθαι, κατὰ τὴν τοῦ Κυρίου φωνήν, ἀλλ' ἐξ Υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχειν. Καὶ οὗτος δὲ τῶν 'Απολίναρίου σπερμάτων ὁ καρπός· γειτνιάζει δὲ καὶ τῇ Μακεδονίου πονηρᾷ γεωργίᾳ ».

(2) Vide verba mox laudata *Epistolae* 151: « Καὶ οὗτος δὲ τῶν 'Απολιναρίου στερμάτων καρπός : *et hic est Apollinaris seminum fructus* ». Vidimus supra p. 167, Theodoretum Apollinarem reprehendisse quod Filium Paraclito majorem vocaret.

(3) Cf., v. g. *Eranisten,* III, P. G., *t. cit.*, col. 264 CD; *De Trinitate*, 19, 23, P. G., t. LXXV, col. 1176 C, 1181 A; *In I Cor.*, II, 12, P. G., t. LXXXII, 244 C; *Haereticarum fabularum compendium,* l. V, 3, P. G., LXXXIII, col. 453 D, 456 A. In omnibus his locis docet Theodoretus Spiritum Sanctum ex Deo et Patre existentiam habere, ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς τὴν ὕπαρξιν ἔχειν. De aliqua relatione Spiritus ad Filium altum servat silentium.

(4) Tota ejus doctrina diserte exprimitur in sequenti loco *Commentarii in Epist. ad Romanos,* VIII, 10-11: « Τὸ γὰρ πανάγιον Πνεῦμα καὶ Θεοῦ προσηγόρευσε καὶ Χριστοῦ, οὐκ ἐπειδὴ κατὰ τοὺς δυσωνύμους αἱρετικοὺς ἐκ τοῦ Θεοῦ διὰ τοῦ

festo apparet illum negare ipsam Spiritus Sancti personam mitti vel creaturae donari eo modo quo rem explicat theologia catholica. Omnes enim Scripturae locos ubi de missione vel inhabitatione Spiritus Sancti sermo est, de donis et charismatibus spiritualibus interpretatur (1).

Unde nostra sententia de ejus doctrina circa hanc quaestionem ad haec duo reducitur: 1° Ubi Theodoretus Cyrillum carpit de ejus doctrina circa processionem Spiritus Sancti ex Filio, aut per Filium, errorem Macedonii *directe* respicit; 2° Theodoretus processionem Spiritus Sancti ex Filio, aut per Filium, prorsus ignorat et eatenus hanc doctrinam implicite et indirecte rejicit, quâ eam ignorat. Non adhuc expresse dicit: *A Patre* SOLO *procedit,* sed asserit: *A Patre procedit,* nihil aliud in mente explicite habens, sed implicite dicens: *A Patre solo* (2). Unde manifestum est hoc praeclarum Scholae Antiochenae lumen errori photiano ex duplici capite favere, tum quia processionem Spiritus Sancti a Filio ignorat, tum quod

---

Υἱοῦ δεδημιούργηται, ἀλλ' ἐπειδὴ ὁμοούσιόν ἐστι Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, καὶ ἐκ Πατρὸς μὲν ἐκπορεύεται, κατὰ τὴν τοῦ εὐαγγελίου διδασκαλίαν· ἡ δὲ τούτου χάρις τοῖς ἀξίοις διὰ τοῦ Χριστοῦ χορηγεῖται » P. G., t. LXXXII, col. 132 C. Cf. opusculum *De Trinitate,* P. G., t. LXXXIII, col. 1168: Spiritus Sanctus subsistens est, *ex Patre procedens et per Filium datus* (latine tantum in P. G.).

(1) Cf., praeter locum supra laudatum (*In Epist. ad Romanos,* VIII, 10-11). *In* I *Cor.* II, 12, P. G., t. LXXXII, col. 244 C; *In* 1 *Cor.*, III, 16; VI, 19, *ibid.*, 252 B, 269 C; *In Gal.* IV, 4, *ibid.*, col. 485 CD; *In Rom.* VIII, 9, 26-27, col. 136 A, 140; *In Ephes.* I, 13, col. 513 C; *In* I *Thessal.*, IV, 8, col. 645 A; *In* II *Timoth.*, I, 14, col. 836 D.

(2) Nostra sententia quasi media incedit inter sententiam eorum qui censent Theodoretum doctrinam catholicam non negasse, sed ad errorem Macedonii tantum allusisse, ut Le Quien, *Dissert. Damasc.* I, 3-6, P. G., t. XCIV, col. 194-200; Franzelin, *op. cit., thesis* 38, p. 563-568; De Régnon, *op. cit.*, t. IV, p. 182-185; et sententiam eorum qui opinantur eumdem positive errasse, ut Hugo Eterianus, *op. cit.*, l. II, c. 2, P. L., t. CCII, col. 236 D; Manuel Calecas, *Adversus Graecos,* l. II, P. G., t. CLIII, col. 89-93; Bessario, *Oratio dogmatica,* P. G., t. CLXI, col. 614; S. Bellarminus *Controversiae, De Christo,* l. II, c. 21; Petavius, *op. cit.*,

missionem et donationem Spiritus Sancti de solis donis gratiae intelligit.

VII. — Leontius Byzantinus et Anastasius Antiochenus.

Exposita doctrina praecipuorum Patrum graecorum qui saeculis IV et V floruerunt (1), restat ut referamus etiam notanda quaedam apud auctores subsequentes occurrentia. Saeculo VI, invenimus Leontium Byzantinum et Anastasium I, Antiochiae patriarcham († 599).

Leontius Byzantinus. — Leontius Byzantinus seu Hierosolymitanus, auctor producti *Tractatus adversus Nestorianos*, in octo libros distributi, quem primus edidit A. Mai (2), ut doctrinae catholicae de processione Spiritus

De Trinitate, l. VII, c. I, ed. cit., p. 265; Allatius, *Vindiciae synodi Ephesinae*, Romae, 1661, p. 31 sq., Garnerius, *Dissertatio de fide Theodoreti*, III, c. I, P. G., t. LXXXIV, col. 394-402; Hergenröther, *Photius*, Regensburg, 1867, t. I, p. 155.

(1) Tum Graeci dissidentes, tum Latini ad ea quae de relatione personarum divinarum ad invicem habet Gelasius Cyzicensis in sua *Historia ecclesiastica* circa annum 475-476 conscripta, quandoque provocaverunt. Agitur de illa supposita disputatione inter concilii Nicaeni I Patres et philosophum quemdam infidelem, Phaedonem nuncupatum, circa generationem Verbi et Trinitatis mysterium. In fine, Phaedon, Patrum argumentis victus, christianae veritati adhaeret. In hac fabulosa narratione, quam invenies tum in collectionibus conciliorum, tum in tomo LXXXV *Patrologiae graecae*, col. 1256-1305, tum in editione critica Gherardi Loeschcke et Margret Heinemann, Lipsiae, 1918, p. 64-101, occurrunt quaedam comparationes de Trinitate apud Patres graecos saec. IV et V tritae, v. g., illa quae est de mente, verbo et spiritu seu flatu; illa de igne, ejus splendore et lumine; illa de fonte, flumine et aqua; quae omnes notionem ingerunt processionis Spiritus Sancti a Patre per Filium. At vero Graeci dissidentes quaedam in illis inveniunt, quae dogmati photiano suffragari immerito putant.

(2) *Scriptorum veterum nova collectio*, t. IX, p. 410 sq., et in P. G., t. LXXXVI, col. 1399-1768. Quaestio est inter criticos utrum hic tractatus contra Nestorianos ad Leontium Byzantinum revera pertineat. In editione A. Mai, quae septem libros tantum habet — octavus desideratur, — tribuitur Leontio Hierosolymitano. Certo ejus auctor est theologus optimae notae, propria via in non paucis incedens. Cf. O. Bardenhewer, *op. cit.*, t. V, p. 12.

Sancti disertus assertor vix unquam hacetenus laudatus est (1). Inter primores tamen hujus dogmatis testes certo computandus est, ut ex locis mox citandis apparebit.

Primum quidem notanda est ejus definitio imaginis:

« Filius, inquit, imago Patris tunc dicitur, quando una cum natura proprietas ejus cogitatur, hoc est *ex principio esse.* Ratio enim imaginis haec est, nempe ut, praeter communem similitudinis rationem, hoc etiam habeat, *quod non sit prototypus sed ex exemplari originem ducat,* et haec est propria ejus ratio: καὶ εἰκὼν εἶναι τοῦ Πατρὸς ὁ Υἱὸς τότε λέγεται. ὅτε σὺν τῇ φύσει καὶ τὸ ἰδίωμα τοῦδε νοεῖται, ἤγουν τὸ ἐξ αἰτίου· οὕτως γὰρ καὶ τῆς εἰκόνος ὁ λόγος μετὰ τοῦ κοινοῦ τῆς ὁμοιώσεως ἔχει καὶ τὸ μὴ πρωτότυπον εἶναι, ἀλλ' ἐκ παραδείγματος, ἴδιον αὐτῆς ὄντα λόγον » (2)·

Hujus definitionis imaginis momentum pro quaestione proposita vides. Cum enim graeci Patres Spiritum Sanctum Filii imaginem appellare soleant, sicut ipse Filius est imago Patris, hujus appellationis vim Leontius nobis diserte aperit, dicens rationem imaginis in eo sitam esse, quod non solum prototypi similitudinem referat, sed etiam quod ex prototypo originem ducat

Adhuc majoris momenti est sequens locus, in libro II, c. 24, occurrens:

Animadvertite, ait Leontius ad haereticos, personam Verbi, etiam ante Incarnationem, compositionem proprietatum habuisse, licet pauciorum. Non solum generatione subsistere (seu esse generatum) est proprietas Filii, sed etiam non generare Verbum consubstantiale, *neque a seipso primum*

(1) Nullum Leontii testimonium de processione Spiritus Sancti apud auctores catholicos vel alios invenimus praeter illud quod tertio damus, quod J. Slypii laudavit in suo opusculo: *De Principio spirationis in sanctissima Trinitate*, Leopoli, 1926.

(2) P. G., t. LXXXVI, col. 1768 C D. In fine: ἀλλ' ἐκ παραδείγματος, ἴδιον αὐ-ντα λόγον, videtur aliquid deesse.

producere Spiritum Sanctum per processionem, neque procedere secundum Spiritus Sancti modum: Σκοπεῖτε δὲ ὅτι τὴν ἐξ ἰδιωμάτων σύνθεσιν καὶ πρὸ σαρκὸς εἶχεν ἡ τοῦ Λόγου ὑπόστασις, εἰ καὶ μὴ ἐκ τοσούτων· οὐ γὰρ μόνον τὸ γεννήσει ὑφεστάναι ἴδιον τοῦ Υἱοῦ, ἀλλὰ καὶ τὸ μὴ γεννᾶν ὁμοούσιον Λόγον, μηδὲ ἀφ' ἑαυτοῦ ἐκπορεύειν Πνεῦμα πρώτως, μηδὲ ἐκπορεύεσθαι κατὰ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, καὶ τὰ λοιπὰ ἰδίως αὐτῷ ἀνήκοντα » (1).

Quod Patres graeci in multis suorum operum locis nonnisi per simplicem formulam: ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται, προέρχεται, πρόεισι, πέφηνε, etc., vel aliis loquendi modis plus minusve explicitis nobis significant, Leontius omnino diserte illud asserit, nempe quod Filius est verum principium processionis Spiritus Sancti, at vero *principium a principio, non a seipso, principum non primum, non originale*: οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ ἐκπορεύει Πνεῦμα πρώτως. *Qui spirat primum et a seipso est Pater.*

Ut differentiam illustret, quae inter Patrem et Filium est quantum ad Spiritus Sancti productionem, Leontius nova vocabula Patri et Filio excogitat. Patrem vocat ἐκπορευτὴν seu *spiratorem* Spiritus Sancti, Filium vero διαπορθμευτὴν seu *transvectorem* ejusdem Spiritûs: « Pater, inquit, est Verbi genitor, ingenitus ipse, et *spirator Spiritus Sancti;* Filius autem est genitus et Verbum et *transvector Spiritus Sancti*: « Ὁ Πατήρ τε γὰρ Λόγου ἐστὶ γεννήτωρ καὶ ἀγέννητος καὶ ἐκπορευτὴς Πνεύματος ἁγίου· καὶ ὁ Υἱὸς γεννητὸς καὶ Λόγος καὶ διαπορθμευτὴς τοῦ ἁγίου Πνεύματος » (2).

Hac terminologia inter Graecos civitatem quidem non est consecuta; ingeniosam tamen exhibet interpretationem formulae: ἐκ τοῦ Πατρὸς δι' Υἱοῦ ἐκπορεύεται τὸ Πνεῦμα. Vox ἐκπορευτὴς Patri congruit, quia ex ipso tanquam *ex originali fonte* Spi-

(1) *Adversus Nestorianos*, I, 24, P. G., t. LXXXVI, col. 1585 C.

(2) *Adversus Nestorianos*, II, 20, *ibid.*, col. 1485 C.

ritus suum esse ducit. Appellatio vero διαπορθμευτής Filii mediationem convenienter declarat, quatenus essentiam divinam, quam ipse per generationem a Patre accepit, *transmittit* seu *transvehit* Spiritui Sancto. Et hoc modo *non spirat primum nec a seipso*, οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ πρώτως ἐκπορεύει. Spirat tamen vere spiratione a Patre accepta. Nota enim vocem διαπορθμευτής designare non merum canalem inertem, sed *agentem veri nominis.* Aliis verbis, Leontius hic exprimit quod dixit Cyrillus Hierosolymitanus: *Pater dat Filio; Filius communicat Spiritui Sancto* (1).

Anastasius Antiochenus. — In suo opere inscripto: *De nostris rectis dogmatibus veritatis,* cujus textus originalis adhuc ineditus est (2). Anastasius Antiochenus integrum habet tractatum de sanctissima Trinitate, qui primus ex quinque est. In hoc clare ac compendiose tradit doctrinam Patrum graecorum saecul. IV et V, nulli speciali formulae prae aliis loquendi modis ab antecessoribus usurpatis inhaerens. Habet etiam quaedam nove dicta de processione Spiritus Sancti. Primum quidem verba Christi apud Joannem, XV, 26: ὃ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, cum aliis verbis ejusdem de seipso (Joa. XVI, 27) confert: Ἐγὼ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐξῆλθον καὶ ἥκω: ex quo concludere potes illum verba: *Qui a Patre procedit* intellexisse tum de missione temporali, tum de processione aeterna Spiritus Sancti:

Ne miremur, inquit, quod Dominus utriusque processionem (Filii scilicet et Spiritus Sancti) vocet *exitum ex Patre*: *Ego enim,* ait, *ex Patre exivi et veni;* et rursus: *Spiritus qui*

(1) Cf. supra, p. 81.

(2) In P. G., t. LXXXIX, col. 1309-1362, habetur tantum versio latina Francisci Turriani. Quaedam excerpta primi tractatus in lingua originali damus ex *codice Vaticano* 592, saec. XV, in quo quasdam lacunas deprehendimus.

a Patre procedit. Etsi enim *exire* et *procedere* idem hic significant, attamen processionem Spiritui Sancto praecipue accommodavit, sicut et sibi ipsi generationem: « Εἰ γὰρ καὶ τὸ ἐξελθεῖν καὶ τὸ ἐκπορευθῆναι ταὐτὸν ἐνταῦθα σημαίνει, τῷ Πνεύματι γοῦν τὴν ἐκπόρευσιν μᾶλλον κατ' ἐξαίρετον ἥρμοσεν, ὥσπερ ἑαυτῷ τὴν γέννησιν » (1).

Relationes personarum divinarum ad invicem ita describit, ut processionem Spiritus Sancti a Patre per Filium clare significet:

Salvator noster Jesus de consubstantiali suo Paracleto dicit quod *ex Patre procedit; accipit etiam de Filio, omnia Patris sibi propria faciente et habente;* una namque substantia est, et unius substantiae communia omnia; communis vero etiam substantia. Relatio enim [unius ad alterum] est naturalis, et quae ad aliquid aliquo modo se habent secum trahunt alia ad quae naturalem habent relationem. Trahit ergo secum Pater Filium, et Filius Patrem, et alter sine altero intelligi non potest; nisi enim Filius sit, penitus Pater non erit. Quis enim erit Pater, si non sit Filius? Et rursum, quomodo Filius, si non sit Pater? Sicut enim hoc, sic illud. *Cum Filius autem sit Verbum, secum simul demonstrat Spiritum; verbum enim non est absque spiritu, neque mens absque verbo. Mentem autem dicimus Patrem Verbi, mentem dico in qua Verbum, cum quo est Spiritus Sanctus, spiritus oris Dei nuncupatus; os namque Patris Filius est.* Quare necessario Trinitatis numerus in divina natura accipitur ad demonstrationem personarum ab invicem notis propriis distinctarum; qui numerus item ostendit earum substantialem relationem ad invicem, substantiae coaeternam: Φυσικὴ γὰρ ἡ σχέσις καὶ τὰ πρός τί πως ἔχοντα συνεισάγει τὰ ἕτερα, πρὸς ἃ τὴν φυσικὴν ἔχει σχέσιν. Συνεισάγει τοίνυν ὁ Πατὴρ τὸν Υἱόν· εἰ μὴ γὰρ Υἱὸς εἴη, πάντως Πατὴρ οὐκ ἔστι· τίς γὰρ εἴη Πατήρ, μὴ παρόντος τοῦ Υἱοῦ; καὶ παλιν, πῶς Υἱὸς ἔσται μὴ ὄντος Πατρός; ὥσπερ γὰρ τοῦτο, οὕτω κἀκεῖνο. Λόγος δὲ ὑπάρχων ὁ Υἱός, συναποδείκνυσιν ἑαυτῷ τὸ Πνεῦμα· λόγος γὰρ χωρὶς πνεύματος οὐκ

(1) P. G., *loc. cit.*, col. 1316 A B; *Cod. Vatic.* 592, fol. 364b.

ἐστιν· ὡς οὐδὲ νοῦς χωρὶς λόγου· Νοῦν δὲ φαμὲν τὸν Πατέρα τοῦ Λόγου, νοῦν ἐν ᾧ Λόγος, μεθ' οὗ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, πνεῦμα στόματος τοῦ Θεοῦ χρηματίζον· στόμα γὰρ Πατρὸς ὁ Υἱός· ὥστε ἀναγκαίως τῆς Τριάδος ὁ ἀριθμὸς ἐπὶ τῆς θείας φύσεως λάμβάνεται εἰς παράστασιν τῶν χαρακτηριστικῶν ὑποστάσεων, τὴν οὐσιώδη σχέσιν αὐτῶν ἐνδεικνύμενος καὶ συναΐδιον τῆς οὐσίας τυγχάνουσαν » (1).

Comparationem mentis, verbi et spiritûs includere processionem Spiritus Sancti a Filio expresse declarat Anastasius his verbis.

Neque Filius sine Patre intelligitur, et Pater secum inducit Filium, et Spiritus Sanctus cum Patre et Filio simul manifestatur tanquam cum mente et verbo. *Etenim Dominus, ostendens ex seipso illum existere,* insufflans discipulis suis dixit: *Accipite Spiritum Sanctum* (Joa. XX, 22); quem quidem ipsi discipuli, adhibita precatione per impositionem manuum credentibus tribuebant... Salvator vero ex seipso tanquam ex quodam thesauro praebebat eum iis qui per vitae puritatem idonei facti fuerant ad ejus operationem excipiendam: καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον Πατρὶ καὶ Υἱῷ συναναφαινόμενον ὡς νῷ καὶ λόγῳ. Καὶ γοῦν ὁ Κυριος ἐξ αὐτοῦ δεικνὺς αὐτὸ ὑπάρχειν, ἐμφυσῶν τοῖς μαθηταῖς ἔλεγε. Λάβετε Πνεῦμα ἅγιον, ὅπερ αὐτοὶ προσευχόμενοι διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν ἰδίων χειρῶν παρέσχον τοῖς πιστεύουσιν... Ὁ δὲ Σωτὴρ ἡμῶν ἐξ ἑ αὐτοῦ ὡς ἀπό τινος θησαυροῦ παρεῖχεν αὐτὸ τοῖς διὰ βίου καθαρότητα γενομένοις ἱκανοῖς τοῦ ὑποδέξασθαι (2).

Spiritus Sanctus ex Filio existit, existentiam habet: Nihil sane disertius dici potest. Hoc tamen non impedit quominus

(1) P. G., col. 1317; *Cod. Vatic.* 592, fol. 365a, qui in quibusdam mendosus est. Nota Anastasium expresse docere personas divinas constitui *relationibus,* ut ex loco citato patet, et clarius adhuc ex sequenti: Αἱ προσηγορίαι [τῶν ὑποστάσεων] οὐ τὸ εἶναι δηλοῦσιν, ἀλλὰ τὸ πῶς εἶναι σημαίνουσιν· οὐ γὰρ ὁ εἰπὼν Πατέρα οὐσίωσιν ἐσήμανεν, ἀλλὰ πάντως σχέσιν· εἰ δὲ τὸ Πατὴρ σχέσις ἐστί, πάντως που καὶ ὁ Υἱός· ἑκάτερον γὰρ θάτερον συνεισάγει τιθέμενον καὶ συναναιρεῖ ἀναιρούμενον ». *Cod. cit.,* fol. 366b.

(2) P. G., *loc. cit.,* col. 1328 A. *Cod. Vatic.* 592, fol. 370b.

Anastasius, post alios, Patrem appellet *causam* seu *principium*, αἴτιος. ex quo procedunt τὰ ἐκ τοῦ αἰτίου, *ea quae ex principio proveniunt*, Filius nempe et Spiritus Sanctus. Inde colligimus locos Patrum ubi Pater vocatur αἴτιος vel αἰτία, de Patre, quatenus est αἰτία προκαταρκτική seu principium originale, intelligendos esse. Porro Filium etiam esse αἴτιον Spiritûs Sancti ex virtute a Patre accepta Anastasius adhuc aperte declarat his verbis:

Spiritus Sanctus ex Patre procedit. *Accipit autem omnia Filii, habentis omnia Patris,* ad demonstrandum et manifestandum unam substantiam esse et accipientis et *ejus a quo accipit et ejus ex quo naturaliter procedit.* Nec enim processit ex aliquo qui sit diversae substantiae, nec aliquid accepit ex non consubstantiali. Si vero ejusdem substantiae sunt cum eo et ex quo processit et ex quo accipit, et illi necessario inter se erunt consubstantiales. Qui enim eidem sunt consubstantiales, et inter se erunt et sunt vere ejusdem substantiae: Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, λαμβάνει δὲ τὰ τοῦ Υἱοῦ πάντα, τὰ τοῦ Πατρὸς ἔχοντος, πρὸς ἀπόδειξιν καὶ φανέρωσιν τοῦ ὅτι μία οὐσία ἐστὶ τοῦ τε λαμβάνοντος καὶ τοῦ παρ' οὗ λαμβάνει καὶ τοῦ ἐξ οὗ φυσικῶς ἐκπορεύεται· οὐδὲ γὰρ προῆλθεν ἐξ ἑτεροουσίου, ἢ ἔλαβέ τι τοῦ μὴ ὁμοουσίου. Εἰ δὲ ὁμοούσιά ἐστιν αὐτῷ τὸ ὅθεν προῆλθε καὶ τὸ ἐξ οὗ λαμβάνει, κἀκεῖνα πάντως ἑαυτοῖς ἐστιν ὁμοούσια » (1).

Ergo juxta Anastasium, Spiritus Sanctus *omnia sua* accipit a Filio, omnia Patris habente. Inde est et Patri et Filio plane consubstantialis. Ut supra dixit Leontius, Filius est vere διαπορθμευτής Spiritui Sancto afferens omnia Patris bona.

(1) P. G., col. 1319 BC; *Cod. cit.*, fol. 366*a* ».

VII. — Ultimi Patres graeci. Maximus Confessor et Joannes Damascenus.

Ut ex testimoniis supra allatis luculente constat, formula quae a Patribus graecis, inde a saeculo IV ad saeculum VI inclusive, *plerumque adhibetur* ad exprimendam processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio est illa: *Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedit, provenit, effulget, emanat, scaturit, profluit,* etc.: Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται, προέρχεται, πρόεισι, πέφηνε, πεφανερῶται, πηγάζει, ἀναβλύζει, προχεῖται. Dico: *plerumque adhibetur,* non semper. Hi Patres enim alios loquendi modos haud semel usurpant. Quidam ex eis, ut Athanasius, Didymus, Epiphanius, Cyrillus, Anastasius Antiochenus, saepe dicunt cum Patribus latinis Spiritum procedere *ab utroque* vel *per utrosque,* ἐξ ἀμφοτέρων, δι' ἀμφοῖν — *a Patre et Filio,* ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ — *ex essentia divina,* ἐκ τῆς θείας οὐσίας — *ex essentia Patris et Filii,* ἐκ τῆς οὐσίας Πατρὸς καὶ Υἱοῦ — *ex essentia Filii,* ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Υἱοῦ — eumdem Spiritum *procedere, provenire, esse, existere ex Filio,* ἐκ τοῦ Υἱοῦ προέρχεσθαι, προϊέναι, εἶναι, ὑπάρχειν.

Inde vero a saeculo VII, theologia graeca de Trinitate cum certis terminis et formulis definitive stabilitur. Ad processionem Spiritus Sancti quod attinet, ex antiquorum Patrum loquendi modis ille *solus* retinetur, qui apud illos communior fuit, et a tribus Patribus Cappadocibus *unice fere* usurpatus est, scilicet: Τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται. Et in hac quidem formula, unusquisque terminus suam specialem significationem induit, quam in primi capitis initio declaravimus. Primo quidem, verbum ἐκπορεύεσθαι ad significandam *spirationem passivam* restringitur et verbo latino *spi-*

rari aequivalet (1). Secundo, praepositio ἐκ indicat originem Spiritus ex principio originali seu primordiali, id est ex Patre, nec nomini Filii praemittitur ad exprimendam relationem originis Spiritum Sanctum cum Filio conjungentem. Ad hanc notandam, adhibetur sola praepositio διά, quae, ut diximus, innuit Filium non esse principium ex se existens, sed principium a principio, virtutem producendi Spiritum a Patre accipiens.

Praeterea, vox αἰτία, vel αἴτιος vel ἀρχή, in suo stricto sensu sumitur, id est, designat *principium sine principio,* αἰτίαν προκαταρκτικὴν, seu πρώτην, ut quidam Patres dixerunt. Unde haec vox Patri reservatur; qui dicitur simpliciter αἰτία, immo vero μόνος αἴτιος, *solus causans, solus existens principium proprie dictum.* Ita jam Patres Cappadoces locuti fuerant, adhibita quandoque explicatione per appositum πρώτη vel προκαταρκτική (2).

Quamvis Pater dicatur αἰτία, ἀρχή, vel etiam μόνος αἴτιος, attamen non est *solus* αἰτία, *principium Spiritus Sancti,* sed est principium Spiritus Sancti *per Verbum, per Filium,* διὰ Λόγου, διὰ τοῦ Υἱοῦ. Et haec est differentia inter generationem Filii et processionem Spiritus Sancti, quod Fi-

---

(1) Quandoque adhibetur etiam forma activa hujus verbi: ἐκπορεύειν = *producere* κατ' ἐκπόρευσιν = *spirare;* quae non solum antiquis scriptoribus Graecis, verum etiam et Ecclesiae Patribus saec. IV et V prorsus ignota fuit. Illam supra, p. 174, invenimus apud Leontium Byzantinum.

(2) Secundum philosophos, principium, ἀρχή, proprie dictum est principium primum, ἀρχὴ ἄναρχος, secundum adagium: Ἀρχὴ ἀρχὴν ἔχουσα οὐκ ἔστιν ἀρχή. Hoc expresse dicit Joannes Damascenus, *Dialogus contra Manichaeos,* P. G., t. xciv, col. 1509 A B. Postquam enim varias vocis ἀρχή significationes, inter quas occurrit ἀρχὴ κατὰ τὸ αἴτιον, concludit: « Cum igitur tot modis principii nomen sumatur, principium est illud quod vere sine principio dicitur κατὰ τοσούτους οὖν τρόπους τῆς ἀρχῆς λεγομένης, ἐκεῖνό ἐστι τὸ ὄντως ἄναρχον λεγόμενον.

lius generatur *a Patre solo;* Spiritus Sanctus autem procedit *a Patre per Filium.*

Haec theologia, his specialibus terminis, ut ita dicam, technicis vestita, apud sanctum Maximum Confessorem († 662) necnon apud sanctum Joannem Damascenum jam occurrit; quae deinceps omnino classica evasit. Vides illam non respondere *nisi ex parte* conceptibus et loquendi modis Patrum antiquorum. Terminologia Patrum Cappadocum prae aliis selecta est et pro *canone dogmatis* recepta. Haec sane, ut jam explicavimus, cum doctrina catholica definita congruit, nec illi ullo modo opponitur. Facile tamen ad sensum heterodoxum detorqueri potest, quatenus rationem causae seu principii Patri, Filio tacito, simpliciter vel etiam *exclusive* attribuit. Unde mirum non est Latinos quidem per longum tempus eam non plene intellexisse, Graecos vero haeresi photianae addictos ad auctoritatem eorum Patrum, qui illa exclusive usi sunt, praesertim provocasse, quasi processioni Spiritus Sancti ex Patre solo suffragati fuerint. Atqui hos Patres, ac praesertim Maximum Confessorem et Joannem Damascenum, de quorum sententia potissimum disputatum est, ab errore photiano omnino immunes fuisse exinde constat: quod Spiritum Sanctum a *Patre solo procedere,* seu ἐκπορεύεσθαι, seu existentiam habere nunquam docuerint, sed aut simpliciter dixerint: *ex Patre procedit,* aut *ex Patre per Filium.* Quod pronuntiavit Theodoretus: *Spiritus ex Filio vel per Filium existentiam non habet*: ἐξ Υἱοῦ ἢ δι' Υἱοῦ ὕπαρξιν οὐκ ἔχει, illi nunquam dixerunt. Damascenus quidem semel dixit: « οὐκ ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχει » (1); nunquam autem negavit Spiritum διὰ τοῦ Υἱοῦ

(1) *Homilia in Sabbatum sanctum*, 4, P. G., t. XCVI, col. 605. De hoc loco infra sermonem iterum facimus.

τὴν ὕπαρξιν ἔχειν, sed saepe saepius docet Spiritum *ex Patre per Filium esse, procedere*, ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ ἐκπορεύεται. Quod ut lectori plane innotescat, horum duorum Patrum testimoniis jam laudatis (1) alia quaedam addere haud abs re erit.

Sanctus Maximus. — Graeci dissidentes contendunt S. Maximum expresse negavisse Filium esse principium Spiritus Sancti propter illa quae leguntur in hujus doctoris *Epistola ad Marinum, Cypri presbyterum*. Narrat siquidem Maximus Martinum papam I, postquam ad Romanam Sedem fuit evectus (a. 649), suas *Litteras synodicas* ad patriarchas orientales de more misisse. Cum autem eo tempore inter Romanam Sedem et patriarchatum byzantinum schisma vigeret propter haeresim Monothelitarum, Litterae papae non benevolo, sed infenso animo a Constantinopolitanis lectae sunt; qui duplicis erroris Romanum Pontificem accusarunt, nempe quod doceret Spiritum Sanctum etiam *ex Filio procedere*, et quod scripsisset Dominum nostrum Jesum Christum, quatenus est homo, fuisse absque peccato originali. Romani hoc ultimo crimine haud aegre purgarunt suum pontificem, quippe qui nulla egebat defensione, cum ex fide certum sit Dominum nostrum peccato originali nullatenus obnoxium fuisse. Ad processionem autem Spiritus Sancti quod attinet, iidem Romani, ait Maximus, « *consonantia Latinorum Patrum testimonia protulerunt; praeterea etiam Cyrilli Alexandrini ex ejus sacra lucubratione in sanctum Joannem Evangelistam; ex quibus non principium (seu causam) Spiritus se Filium facere ostenderunt. Uunum quippe Filii ac Spiritus principium Patrem noverunt, alterius quidem per generationem, alterius vero per*

(2) Joannis Damasceni quaedam citavimus, pp. 42, n. 2; 125, n. 5; 126, n. 3, 4, 5; Maximi vero disertum testimonium, p. 91, n. 3.

processionem; sed ut per eum (scilicet Filium) *prodire significarent*, eaque ratione conjunctionem substantiae et perfectam sine ulla variatione aequalitatem demonstrarent: ἐξ ὧν οὐκ αἰτίαν τὸν Υἱὸν ποιοῦντας τοῦ Πνεύματος σφᾶς αὐτοὺς ἀπέδειξαν· μίαν γὰρ ἴσασιν Υἱοῦ καὶ Πνεύματος τὸν Πατέρα αἰτίαν, τοῦ μὲν κατὰ τὴν γέννησιν, τοῦ δὲ κατὰ τὴν ἐκπόρευσιν· ἀλλ' ἵνα τὸ δι' αὐτοῦ προϊέναι δηλώσωσι, καὶ ταύτῃ τὸ συναφὲς τῆς οὐσίας καὶ ἀπαράλλακτον παραστήσωσι » (1).

Si dissidentes audias, Maximus his verbis diserte negaverit Filium esse principium Spiritus Sancti; ergo docuerit Spiritum a *Patre solo* procedere. Verum ipsa Maximi verba attente pensanda sunt. Primum quidem ex ipsis didicimus quare Constantinopolitani Martinum papam erroris circa processionem Spiritus Sancti arguerint: Ejus litterae synodicae scilicet de latino in graecum ab ipsis Graecis translatae fuerant; qui verba latina: *Spiritus Sanctus ex Patre Filioque procedit*, ita graece reddiderant: Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς κἀκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται. Atqui recole ea quae mox diximus de terminologia trinitaria Graecorum: Verba: Τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται auribus Graecorum non male sonare non poterant, cum praepositio ἐκ, secundum hanc terminologiam, ad principium originale, scilicet ad Patrem, remittat, et Filius non sit principium originale processionis Spiritus Sancti, sed principium ex principio. Hoc probe perspicit Maximus, qui formulam latinam secundum conceptum Graecorum explicat dicens Latinos non docere Filium esse αἰτίαν (id est, αἰτίαν προκαταρτικὴν) Spiritus Sancti — bene etenim norunt unum esse *principium originale* seu principium *proprie dictum* Filii et Spiritûs Sancti, nempe Patrem, — sed suo loquendi modo significare velle Spiritum Sanctum *per Filium procedere*

(1) P. G., t. XCI, col. 136 A B.

seu prodire et hoc modo etiam indicare *conjunctionem* quâ sibi invicem conjunguntur personae divinae — *nempe nexu originis*, — et earum perfectam immutabilemque aequalitatem: ἀλλ' ἵνα τὸ δι' αὐτοῦ προϊέναι δηλώσωσι καὶ ταύτῃ τὸ συναφὲς τῆς οὐσίας καὶ ἀπαράλλακτον παραστήσωσι.

Ergo Maximus solummodo negat Filium esse principium primordiale Spiritus Sancti; docet vero cum omnibus Ecclesiae Patribus tum graecis tum latinis Filium suas partes habere in processione Spiritus Sancti et nexu originis cum ipso conjungi, quatenus ex virtute a Patre per generationem accepta et una cum ipso producit tertiam personam. Hanc esse sancti doctoris veram mentem probant non solum verba ipsa *Epistolae ad Marinum*, sed alii loci ex ejus scriptis, praesertim vero ille qui in *Quaestione* LXIII *ad Thalassium* legitur, quem supra laudavimus: « Spiritus Sanctus ut naturâ essentialiter Dei ac Patris est, *sic naturâ essentialiter est et Filii, ut qui ex Patre essentialiter per Filium genitum ineffabiliter procedit*, ὡς ἐκ τοῦ Πατρὸς οὐσιωδῶς δι' Υἱοῦ γεννηθέντος ἀφράστως ἐκπορευόμενον » (1); item etiam hic ex *Quaestionibus et dubiis* excerptus: Interrogationi: *Quid causae est cur non possit dici Pater, aut Christus Spiritûs* (Πατὴρ Πνεύματος, ἢ Χριστὸς Πνεύματος), quemadmodum de Patre et Filio promiscue dicitur: *Spiritus Dei* et *Spiritus Christi*, ita respondet:

« Quemadmodum Mens est auctor Verbi, *ita etiam Spiritus Sancti, per medium Verbum*. Et sicut dicere non possumus verbum esse vocis, sic *nec Filium esse Spiritûs dicere possumus*: Ὥσπερ ἐστὶν αἴτιος τοῦ Λόγου ὁ Νοῦς, οὕτως καὶ τοῦ Πνεύματος, διὰ μέσου, δὲ τοῦ Λόγου. Καὶ ὥσπερ οὐ δυνάμεθα εἰπεῖν τὸν λόγον εἶναι τῆς φωνῆς, οὕτως οὐδὲ τὸν Υἱὸν λέγειν τοῦ Πνεύματος » (2).

(1) P. G., t. xc, col. 672 C.

(1) *Quaestiones et dubia. Interrogatio* xxxiv, P. G., t. xc, col. 813 B.

Nihil sane explicitius pro nostra interpretatione *Epistolae ad Marinum* desiderari potest. Revera Maximus a communi Patrum graecorum doctrina non recedit et processioni Spiritus Sancti a Patre per Filium est disertissimus assertor (1). Hoc etiam notandum est quod hic doctor ambiguitatem et periculum erroris in diversitate formularum latens clare perspexit. Unde, postquam rem de Martini papae litteris retulit, haec addit:

« Secundum jussionem vestram, Romanos rogavi, ut ipsi propria documenta interpretarentur (graece ex latino) ad cavendas adversariorum subreptiones. Verumtamen, more apud

(1) Alia via Graeco-Russi sanctum Maximum ad se trahere tentarunt. Ad nos enim pervenit explicatio verborum Maximi in *Epistola ad Marinum* ab Anastasio Bibliothecario data, quae in vulgatis editionibus sic sonat: « Praeterea interpretati sumus ex epistola ejusdem sancti Maximi ad Marinum scripta presbyterum circumstantiam de Spiritus Sancti processione, ubi frustra causari contra nos innuit Graecos, cum nos non causam vel principium Filium dicamus Spiritus Sancti, ut autumant; sed unitatem substantiae Patris ac Filii non nescientes, sicut procedit ex Patre, ita eum procedere fateamur ex Filio, *missionem* nimirum processionem intelligentes; pie interpretans, utriusque linguae ignaros ad pacem erudiens, dum scilicet et nos et Graecos edocet secundum quiddam procedere et secundum quiddam non procedere Spiritum Sanctum ex Filio, difficultatem exprimendi de alterius in alterius linguae proprietatem significans ». *Collectanea ad Joannem Diaconum,* P. L., t. CXXIX, col. 560-561, et P. G., t. XCI, col. 133. Ex verbis Anastasii: MISSIONEM nimirum *processiosionem intelligentes,* quidam theologi graeco-russi deduxerunt: 1° Latinos illius temporis, saec. VII-IX scilicet, formulam *a Patre Filioque procedit* non de processione aeterna, sed de missione temporali Spiritus Sancti intellexisse; 2° ipsum Maximum formulam *a Patre per Filium* in eumdem sensum accepisse. Verum, ad Maximum quod attinet, illius verba huic interpretationi ex se sufficienter reclamant. Ex Latinis vero solus Anastasius per sua dicta in periculum adducitur, si revera processionem cum missione confudit; quod ex loco laudato nequaquam certum est; nam ex iis, quae immediate subjicit, nempe: *secundum quiddam Spiritus a Filio procedit, secundum quiddam non procedit,* constat illum explicationem sancti Maximi probe intellexisse. Unde Conbefisius, operum Maximi editor, valde probabiliter conjicit loco *missionem* legendum esse *emissionem,* qua voce Anastasius reddere voluerit verbum graecum προϊέναι, ex quo venit vox πρόοδος, latinae voci *processio* respondens.

illos obtinente ita faciendi atque mittendi (id est mittendi latine sua scripta ad Orientales absque graeca versione), nescio utrum obtemperaturi sint. Caeterum animadvertendum est illos in aliena dialecto sententiam suam, sicut in propria et alumna lingua, exprimere non posse, uti et jam nos in nostra. *Postquam autem experientia didicerint damnum sibi exinde obveniens, tunc rem ipsi curabunt* » (1).

S. Joannes Damascenus. — Joannis Damasceni tres potissimum locos proferunt Graeco-Russi tanquam pro doctrina photiana facientes; quos in suis tractatibus polemicis ad satietatem usque repetunt. Primus sic sonat:

Scire oportet nos Patrem ex aliquo esse non dicere, sed ipsum Filii Patrem appellamus. *Filium item nec causam* (αἴτιον) *nec Patrem dicimus;* illum autem dicimus esse et ex Patre et Filium Patris. Denique Spiritum Sanctum et ex Patre esse et Patris Spiritum nominamus. *At vero eum esse ex Filio non dicimus, Filii tamen Spiritum nominamus..., et per Filium manifestum apparere et nobis communicari confitemur*: Ἐκ τοῦ Υἱοῦ δὲ τὸ Πνεῦμα οὐ λέγομεν, Πνεῦμα δὲ Υἱοῦ ὀνομάζομεν...., καὶ δι' Υἱοῦ πεφανερῶσθαι καὶ μεταδίδοσθαι ἡμῖν ὁμολογοῦμεν » (2).

Ex his verbis nullo modo sequitur quod volunt theologi dissidentes. Non enim Damascenus dicit Spiritum Sanctum *ex Patre solo esse vel procedere*, nec Filium *ullo modo* esse principium seu causam Spiritus; sed simpliciter asserit suo tempore theologos graecos non amplius *dicere* quod multi antiqui Patres, ut Athanasius, Didymus, Cyrillus, Epiphanius, immo

(1) *Loc. cit.*, col. 136 B C: « Μεθερμηνεύειν δὲ τὰ οἰκεῖα, τοῦ τὰς ὑποπλοκὰς χάριν διαφυγεῖν τῶν ὑποπιπτόντων, κατὰ τὴν ὑμετέραν κέλευσιν, παρεκάλεσα τοὺς Ῥωμαίους... Γενήσεται δὲ πάντος αὐτοῖς, πείρᾳ τὴν ἐπήρειαν παθοῦσι, καὶ ἡ περὶ τούτου φροντίς ». Nota quosdam auctores, tum ex Latinis tum ex Graecis, authenticitatem *Epistolae ad Marinum* sine ulla probabili ratione in dubium vocasse.

(2) *De fide orthodoxa*, l. I, c. 8, P. G., t. XCIV, col. 832 A B.

et Basilius haud semel dixerant, scilicet Spiritum Sanctum « ἐκ τοῦ Υἱοῦ εἶναι »; item quod appellationem αἰτία, αἴτιος, Filio non tribuebant iidem theologi: « τὸν Υἱὸν οὐ λέγομεν αἴτιον », quia voce αἴτιος, αἰτία, significabant solam causam primordialem, solum principium ἄναρχόν, αἰτίαν, προκαταρκτικήν, hoc est Patrem, totius divinitatis fontem. Loquitur ergo Damascenus directe de modo loquendi, de terminologia trinitaria suo tempore inter theologos communiter recepta. Haud ignorabat sane multos Patres olim saepius dixisse Spiritum esse *ex Filio*, ἐκ τοῦ Υἱοῦ, Filium esse *fontem* vel *causam*, πηγὴν, αἰτίαν, Spiritus Sancti; sed asserit saeculo VIII locutiones hujusmodi jam antiquatas esse et a theologis non amplius usurpari (1). Caeterum in hoc ipso loco sanctus doctor ad processionem Spiritus Sancti *a Patre per Filium* alludit, dum scribit Spiritum « δι' Υἱοῦ πεφανερῶσθαι », id est per Filium *ab aeterno* — nota perfectum tempus: πεφανερῶσθαι — *apparere, manifestum fieri.*

Secundus locus, ad quem provocant dissidentes, eamdem doctrinam, quam primus, exprimit et eadem interpretatione clarescit, quin immo interpretatione non indiget:

« Spiritus Sanctus est Spiritus Patris, quatenus ex Patre procedit... Est etiam Spiritus Filii *non sicut ex ipso, sed sicut*

(1) Ipse Damascenus, in *Expositione et declaratione fidei*, quam M. Lequien ex arabica versione latine reddidit et ut opus genuinum jure habet, haec dicit: « Spiritus Sanctus *ex Patre per Filium...* Spiritus est Filii, sed non *ex Filio*. Est tamen *ad Filium*, quia *emanat per illum et ex illo. At non est ex Filio, quia Pater una est causa* tum Filii tum Spiritus Sancti, utriusque ex aequo, ut Pater simul sit et Filii Pater et productor Spiritus ». P. G., t. xcv, col. 420 sq. Vides Damascenum de Patre loqui tanquam de causa originali, principium non habente, illum vocare προβολέα Spiritûs, quatenus producit Spiritum *primum seu principaliter*, ut dixit Augustinus. His locutionibus tamen Filium non excludit a productione Spiritus Sancti, sed expresse dicit Spiritum esse *ex Patre per Filium, emanare per illum et ex illo.*

per ipsum ex Patre procedens. *Solus enim Pater auctor est*: Πνεῦμα δὲ τοῦ Πατρὸς, ὡς ἐκ Πατρὸς ἐκπορευόμενον.... · καὶ Υἱοῦ δὲ Πνεῦμα, οὐχ ὡς ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς δι' αὐτοῦ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον· μόνος γὰρ αἴτιος ὁ Πατήρ » (1).

Dixi haec Damasceni verba interpretatione non indigere. Expresse enim asserunt Spiritum Sanctum *a Patre per Filium*, et non a Patre solo, procedere. Quod si Pater dicitur *solus auctor, solus causa seu principium*, ratio est quia Pater est solus principium ἄναρχον seu principium sine principio. In iis autem quae locum praefatum immediate praecedunt, Damascenus processionem aeternam Spiritus Sancti per Filium bis diserte edocet his verbis:

« Pater est fons generatrix ac productrix totius boni in se occulti. Ipse enim est mens, rationis abyssus, Verbi genitor, *ac per Verbum productor* (*seu spirator*) *Spiritus manifestantis*, καὶ διὰ Λόγου προβολεὺς ἐκφαντορικοῦ Πνεύματος (2)... *Spiritus Sanctus Patris potentia est, divinitatis recondita manifestans, ex Patre per Filium procedens*, sicut ipse novit, non per generationem: Τὸ δὲ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐκφαντορικὴ τοῦ κρυφίου τῆς θεότητος δύναμις τοῦ Πατρὸς, ἐκ Πατρὸς μὲν δι' Υἱοῦ ἐκπορευόμενον (3).

Non est ergo Pater solus προβολεὺς Spiritûs Sancti, sed est *ejus* προβολεὺς *per Verbum*. Ergo Verbum a productione Spi-

(1) *De fide orthodoxa*, I, 12, P. G., t. XCIV, col. 849 B.

(2) Hoc loco Joannes Veccus potissimum usus est ad confutandos theologos Photianos in synodo constantinopolitana anni 1285, in Blakhernarum palatio habita. Damasceni verba in tricas conjecerunt adversarios unionis. Georgius Moschabarus integrum composuit tractatum, nondum editum, ad ostendendum hunc locum esse spurium. De eodem fuse disseruit Gregorius Cyprius in suo *Tomo* contra Joannem Veccum, *P. G., t.* CXLII, col. 233-246, ubi novam suam theoriam de manifestatione aeterna Spiritus Sancti per Filium exposuit. Cf. M. Jugie, *Theologia dogmatica christianorum orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium*, t. II, p. 351-352, 359-365.

(3) P. G., *loc. cit.*, col. 848-849.

ritus Sancti non est alienus; suas in hac partes habet. Eamdem doctrinam saepe repetit sanctus doctor (1); quam inculcant etiam comparationes quibus utitur ad Trinitatis mysterium sensibiliter repraesentandum (2) necnon quaedam dicta Patrum, quae suae *Expositioni fidei orthodoxae* inseruit (3).

Post tot testimonia adeo diserta orthodoxiae Joannis, nullam veram difficultatem facessere potest tertius locus a dissidentibus ventilatus tanquam doctrinae catholicae omnino repugnans. Legitur in *Homilia in Sabbatum Sanctum*:

« Spiritus Sanctus, ait Damascenus, est Dei et Patris tanquam ex ipso procedens; qui et Filii dicitur, quatenus *per ipsum manifestatur* et creaturae impertitur, non vero tanquam ex ipso existentiam habens: « Πνεῦμα ἅγιον τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς ὡς ἐξ αὐτοῦ ἐκπορευόμενον, ὅπερ καὶ τοῦ Υἱοῦ λέγεται ὡς δι' αὐτοῦ φανερούμενον καὶ τῇ κτίσει μεταδιδόμενον, ἀλλ' οὐκ ἐξ αὐτοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον » (4).

---

(1) Cf. *De fide orthodoxa*, l. I, 7, col. 805: « Τὸ Πνεῦμα... δύναμις οὐσιώδης... τοῦ Πατρὸς προερχομένη καὶ ἐν τῷ Λογῳ ἀναπαυομένη ». *Spiritus Sanctus a Patre procedit et in Verbo requiescit*: id est: a Patre sicut a principio originali seu a termino a quo exiens ac proficiscens, per Verbum transit et ultra non progreditur, sed in ejus sinu quiescit, sicut et ipsum Verbum in sinu Patris. In *Dialogo contra Manichaeos*, 5, P. G., t. XCIV, col. 1412 B: 'Ἀεὶ ἦν ὁ Πατήρ, ἔχων ἐξ ἑαυτοῦ τὸν αὐτοῦ Λόγον, καὶ διὰ τοῦ Λόγου αὐτοῦ ἐξ αὐτοῦ τὸ Πνεῦμα αὐτοῦ ἐκπορευόμενον ». — *De hymno trisagio*, 28, P. G., t. XCV, col. 60: « Τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ Λόγου προϊόν, οὐχ ὑϊκῶς δὲ ».

(2) Quasdam ex comparationibus hujusmodi supra notavimus, p. 125-126. In *Homilia* in *Transfigurationem Domini*, 18, P. G., t. XCVI, 573 A, Spiritum vocat *spiritum oris Filii.*

(3) V. g., post Athanasium, Cyrillum et alios, dicit Spiritum Sanctum esse imaginem Filii, sicut Filius est imago Patris, *De fide orth.*, I, 13, col. 856 B. Verba Gregorii Nazianzeni et Basilii repetit: « Θεὸς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, μέσον τοῦ ἀγεννήτου καὶ τοῦ γεννητοῦ, καὶ δι' Υἱοῦ τῷ Πατρὶ συναπτόμενον » *Ibid.* Ad notionem imaginis quod attinet, nota Damascenum expresse ponere relationem originis inter imaginem et ejus prototypum: « ἡ εἰκὼν τοῦ ἀνθρώπου ἐξ ἀληθινοῦ αἰτίου, τοῦ ἀνθρώπου, λέγεται ». *Dialectica*, 6, P. G., t. XCIV, col. 548 C.

(4) *Homilia in Sabbatum Sanctum*, 4, P. G., t. XCVI, col. 605 B.

Haec verba sane primo adspectu haeresi vicina apparent. Evanescit vero difficultas, si cum Joannis dictis supra allatis conferantur. Non enim negat sanctus doctor Spiritum Sanctum existentiam habere *ex Patre per Filium*, sed tantum existentiam habere *ex Filio*, ἐκ τοῦ Υἱοῦ, quia ex usu recepto praepositio ἐκ non dicitur nisi de principio primordiali, quod solus est Pater. In hoc ipso loco alludit Joannes ad Filii mediationem in productione Spiritus Sancti; siquidem verba: ὡς δι' αὐτοῦ φανερούμενον referenda videntur ad *ortum* aeternum Spiritus Sancti per Filium. Tota ergo quaestio est de terminis, non de vera oppositione in doctrina ipsa. Caeterum de vera Damasceni mente ex hoc solo loco sat obscuro, in quadam homilia occurrente, judicare non debemus, sed ex aliis ejus operibus, in quibus de dogmate ex professo tractat (1).

VIII. — Patres graeci et theologi photiani.

Patrum graecorum doctrina de processione Spiritus Sancti a Patre per Filium, vel etiam a Patre et Filio, quam adeo disertam, communem ac constantem esse demonstravimus, vera

(1) Hugo Eterianus, *op. cit.*, l. III, 21, P. L., t. CCII, col. 394, insinuat verba: ἀλλ' οὐκ ἐξ αὐτοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον » esse spuria. « An Eteriani aequa sanaque critica sit, ait M. Lequien, P. G., t. XCIV, col. 833 in nota, judicent eruditi. Damascenum quidem religioni duxisse aliquid effutire quod a probatis doctoribus pronuntiatum non esset, contestata res est. Atqui Epiphanius et processionem Spiritus Sancti ex Patre et Filio, Cyrillusque Alexandrinus plus una vice scripserant. Hic igitur tantum monuero nihil eo loci codices manuscriptos quos legi ab editis discrepare, cum tamen Colbertinus aetatem Hugonis superet ». Verbis Lequien hoc tantum addimus, nempe quod editio vere critica homiliarum Damasceni adhuc desideratur. Caeterum in aliquo loco spurio pronuntiando valde caute procedendum est, nec polemistas antilatinos imitari debemus, qui ex Patrum testimoniis quotquot suae doctrinae aperte contradicunt, spurios declarare consueverunt,

semper exstitit scandali petra, ad quam theologi Photii discipuli offenderunt, quin unquam ab ea honeste ac victrici modo sese expedire potuerint. De hac doctrina Photius altum servavit silentium satisque habuit exclamare: « Quis unquam nostrorum gloriosorum Patrum *ad verbum*, dixit Spiritum a Filio procedere (τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι ? » (1); vel etiam sui silenti excusationem praetendere librorum penuriam, dum exularet (2). Proprio ingenio in hac re relicti, discipuli ejus variis

(1) Cf. supra, p. 14. In *Epistola encyclica ad Orientales*, 16, P. G., t. CII, col. 728-729, quosdam Patres graecos enumerat, quos processioni Spiritus Sancti a Filio adversari pronuntiat; verum horum Patrum nullum profert testimonium: « Novella impietas, inquit, dicit Spiritum a Filio procedere. Quis ad hanc enormen blasphemiam non occludet aures? Quae quasi stat ex adversa acie Evangelio, exarmatur contra sanctas synodos, beatos et sanctos Patres falsificat, nempe magnum illum *Athanasium*, in theologia decantatum, *Gregorium, Basilium* illum, Ecclesiae vere regiam stolam, aureum orbis os, *Chrysostomum*, illud sapientiae pelagus. Quid autem hunc aut illum compellem? Contra omnes omnino sanctos prophetas, apostolos, sacerdotes, martyres et ipsius Domini vocem blasphema haec et Deo bellum indicens os exarmatur ».

(2) In fine *Mystagogiae Spiritus Sancti*, 96, P. G., t. CII, col. 389, haec habet: « Quod si quando Dominus nobis direptos libros atque amanuenses restituat, fortasse habebis, sanctissimo Spiritu nobis afflante atque annuente, etiam testimonia quae proferunt novi isti Spiritus inimici, imo totius summe bonae ac trinae in personis Deitatis hostes furiosi (nihil enim in ea omiserunt, quod suis vesanis injuriis non afficerent); necnon habebis confutationem ipsorum ex testimoniis, quae ipsimet producunt, deductam, imo et ipsorum in his rebus dolos ac fraudes; itemque beatissimorum sapientissimorumque nostrorum Patrum testimonia constantissima atque irrefragabilia, quibus confunditur et impietatis arguitur istius apostasiae sententia ». Num morte praeventus, Photius promisso stare non potuerit? Difficilius credam, saltem quod ad doctrinam Patrum Graecorum attinet. Hanc enim optime noverat. Unde cum Hergenröther, *Animadversiones in Photii Mystagogiam*, II, 6, P. G., t. CII, col. 424-425, sine temeritate affirmare licet hominem, « qui Graecorum Patrum opera, quaecumque sibi comparare poterat, nocturna diuturnaque versarat manu, ea omnia astute dissimulasse, quae adversariorum causae in iis favebant, nonnulla fortasse minus diserta testimonia suum in sensum trahi posse exitimantem, alia clariora veluti theologica ἀκριβείᾳ destituta parvipendentem, magnopere vero in Latinorum confidentem ignorantia ac penuria virorum graecis litteris imbuto-

artibus ac effugiis veritatem catholicam ab illis Patribus edoctam offuscare tentaverunt.

Primum quidem animadvertendum est illos in tota traditione graeca octo priorum saeculorum ne unum quidem testimonium genuinum invenire potuisse, quod expresse et ad verbum asserat Spiritum Sanctum a Patre SOLO procedere. Per Medium Aevum, inde a saeculo XIII, polemistae antilatini unum locum spurium Cyrilli Alexandrini (1) et alterum adulteratum Gregorii Nysseni (2) jactitabant. Recenter vero quidam theologi russi tres alios textus protulerunt, unum Epiphanii, quem supra (3) memoravimus; alium Gregorii Nysseni, qui revera non habet locutionem *a Patre solo* (4); ter-

---

rum, minime vero ea plane ignorantem. Illius in hac controversia fidem non bonam vidit et castigavit sedulus operum ejusdem scrutator Joannes Veccus. Qui circa veritatem maligne non caecutit, inquit ille, discernet non id ex rerum earum ignoratione Photio contigisse; sed cum adversus sanctorum Patrum sententias, ipso sole clarius veritatem ostendentes, sese opponere non auderet, suam ex vindictae desiderio ortam improbitatem, pravis interpretationibus, quibus propriam amaritudinem emollire existimabat, complevit; quae autem sciebat adversariis robur addere, quasi ea nesciret, praeteriit ». *Ad Theodorum Sugduae episcopum*, l. III, 12, P. G., t. CXLI, col. 338.

(1) Cyrilli locus sic se habet: « Ἐκπορεύεται τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ὡς ἀπὸ στόματος ». De hoc jam disseruerant J. Veccus, *De processione Spiritus Sancti*, c. XII, P. G., t. CXLI, col. 249-263, et C. Meliteniota, *De processione Spiritus Sancti oratio II*, 31, P. G., t. CXLI col. 1225.

(2) Locus ille, de quo etiam vide C. Meliteniotam, *loc. cit.*, sic se habet: « Πνεῦμα τὸ τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως ἐκπορευόμενον· τοῦ δ' ἕνεκα γὰρ τὸ Πνεῦμα στόματος, ἀλλ' οὐχὶ Λόγον στόματος εἴρηκεν, ἵνα τὴν ἐκπορευτικὴν ἰδιότητα τῷ Πατρὶ μόνῳ προσοῦσαν πιστώσηται ». In textu genuino sic legitur: « ἵνα τὴν ἐκπορευτικὴν ἰδιότητα τῷ Πνεύματι μόνῳ προσοῦσαν πιστώσηται ». Utrumque testimonium laudat Barlaamus Calaber in suis *Opusculis* IV *et* V *contra Latinos*, nondum editis. Legimus illos in *codice Parisino* 1291, a Sylvestro Syropulo anno 1447 exarato, fol. 508 b et fol. 521 a.

(3) P. 146, n. 1.

(4) Agitur de loco sequenti, desumpto ex opere inscripto: Πρὸς Ἕλληνας, ἐκ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν: « Ἓν γὰρ καὶ τὸ αὐτὸ πρόσωπον τοῦ Πατρός, ἐξ οὗ ὁ Υἱὸς γεννᾶται καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται ». P. G., t. XLV, col. 180. Vides Grego-

tium Michaelis Syncelli Hierosolymitani, qui fert quidem: *ex Patre solo procedit,* ἐξ αὐτοῦ μόνου τοῦ Πατρὸς εκπορευόμενον, at vero: 1° Michael Syncellus pertinet jam ad saeculum IX et suas partes habuit in controversia, quae anno 808-809 inter Graecos et Benedictinos Montis Oliveti circa additionem vocis *Filioque* ad symbolum exorta est, de qua infra dicturi sumus; unde ejus testimonium iure recusari potest (1); 2° Etsi Michael dicat: *A Patre solo Spiritus* ἐκπορεύεται, attamen eo ipso non negat Spiritum Sanctum *a Patre per Filium procedere,* sed in ipso loco a dissidentibus laudato expresse docet Spiritum Sanctum, *qui ex Patre solo procedit, per Filium exire seu prodire et hominibus manifestatum fuisse*: ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐξιόντος καὶ τοῖς ἀνθρώποις φανερωθέντος (2) In his verbis nihil habes quod in bonum sensum accipi non possit. Nihil enim hic exprimitur praeter id quod Damascenus docet, scilicet Spiritum Sanctum *ex Filio* μὴ ἐκπορεύεσθαι, attamen *per Filium procedere* seu *exire* et hominibus apparere. Unde aequivalenter repetit Syncellus formulam Damasceni: παρὰ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται. — Τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Υἱοῦ οὐ λέγομεν.

---

rium simpliciter affirmare Filium et Spiritum Sanctum ex Patre procedere seu oriri, nec inde aliquid certo colligi posse pro processione Spiritus Sancti a Patre solo.

(1) Illud de facto recusat, propter rationem indicatam, theologus russus P. Svietlov in sua dissertatione: *Starokatoliceskii vopros v dukovnoi peçati za* 1904 *god* (*Quaestio vetero-catholica in litteratura ecclesiastica anni* 1904), in commentario *Bogoslovskii Viestnik*, 1905, t. I, p. 326-330. Michael Syncellus unus ex legatis fuit a patriarcha Hierosolymitano, Thoma, ad papam Leonem III missis, occasione controversiae memoratae. Omnino probabile est illum ex hac controversia adductum fuisse ad scribendum Spiritum Sanctum *ex Patre solo procedere,* ut expresse notaret Patrem esse *solum principium originale* Spiritus Sancti. Formula enim latina: *Ex Patre Filioque procedit,* quae inter Graecos Hierosolymitanos scandalum moverat, facile intelligi poterat de duobus principiis Spiritus Sancti ab invicem quasi independentibus.

(2) Locus Michaelis legitur in *Vita Dionysii Areopagitae,* P. G., t. IV,

Quae pro thesi photiana apud Patres graecos validiora invenire potuerunt ad haec reducuntur:

1° Pseudo-Dionysii et Gregorii Nysseni comparationes supra memoratae (1), quae diagrammati photiano Trinitatis respondere videntur;

2° Illa Patrum effata, praesertim Patrum Cappadocum, in quibus Pater dicitur *αἰτία* Filii et Spiritus Sancti et solus videtur vocari *αἰτία* (2), quatenus est principium *ἄναρχον*, *αἰτία πρώτη* seu *προκαταρκτική*.

3° Theodoreti verba adversus anathematismum IX S. Cyrilli Alexandrini, quibus ille negat Spiritum Sanctum sive *ex Filio*, sive *per Filium existentiam habere* (3).

4° Locus Maximi Confessoris in *Epistola ad Marinum* (4).

---

col. 640 B sicque se habet in lectione emendata: τοῦ δ' αὖ Πνεύματος ἐξ αὐτοῦ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπορευομένου καὶ διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐξιόντος καὶ τοῖς ἀνθρώποις πεφηνότος ». Zernikavius, *De processione Spiritus Sancti a Patre solo*, tract. I, ed. E. Bulgaris, t. I, p. 144, Petropoli, 1797, sic legit: « τοῦ δὲ ἁγίου Πνεύματος ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπορευομένου καὶ διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐξιόντος, καὶ τοῖς ἀνθρώποις φανερωθέντος ».

(1) Cf. supra, p. 133.

(2) Cf. supra, p. 147-165. Locis ibi allatis addendus hic Gregorii Nazianzeni, *Oratio* XX, 7, P. G., t. XXXV, col. 1073 A: « Εἷς Θεός, εἰς ἓν αἴτιον Υἱοῦ καὶ Πνεύματος ἀναφερόμενον ». Citant etiam saepe sub nomine Gregorii Nysseni haec verba, quae in scriptis illius doctoris editis non occurrunt: « Πνεῦμα τὸ τῆς πατρικῆς ἐκπορευόμενον ὑποστάσεως ». Huic loco momentum speciale tribuunt theologi photiani. Ignorantes enim distinctionem inter *principium quo* et *principium quod* processionis putant ad suam thesim probandam haec verba sufficere nempe quod Spiritum Sanctus *a persona Patris* procedat. Cum enim persona Patris sit incommunicabilis, ergo, dicunt, Spiritus a solo Patre procedit. Oblivioni mandant diserta Patrum graecorum testimonia dicentium Spiritum procedere ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρός, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Υἱοῦ, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ».

(3) Cf. supra 168-171.

(4) Supra, p. 182-184.

5° Praesertim tres loci Joannis Damasceni supra laudati (1).

In iis autem locis potissimum insistunt, in quibus Patres simpliciter asserunt Spiritum Sanctum *a Patre procedere, et a Filio* vel *per Filium dari, impertiri, communicari creaturis,* sive admittant ipsam Spiritus Sancti personam dari, sive haec verba intelligant de solis gratiae donis. In hujusmodi formula, plures normam orthodoxiae inveniunt, ut infra dicemus. Districte enim separant missionem temporalem Spiritus Sancti ab ejus processione aeterna, quasi illa, juxta Patrum graecorum doctrinam, hanc non supponat nec in ea fundetur.

Quod autem attinet ad diserta testimonia, quae theologi catholici ex Patrum graecorum scriptis pro doctrina catholica afferre solent, polemistae antilatini locorum patristicorum duplicem seriem, tanquam extra quaestionem positam, arbitrario prorsus eliminant.

Prima series illa est ubi Patres docent Spiritum Sanctum vel *a Filio existere*, quasi differentia intersit inter *a Filio existere* et *a Filio existentiam habere* (2); vel *ex Filii essentia esse,* quasi haec dictio nihil aliud significet quam Spiritum esse Filio consubstantialem (3) ; item, ubi Filius dicitur *fons Spiritus Sancti,* quod ad donorum spiritualium largitionem referunt (4).

Altera series eorum locorum est, ubi illud « διὰ τοῦ Υἱοῦ » occurrit non cum verbo « ἐκπορεύεσθαι » sed cum aliis ejusdem omnino significationis, ut ex contextu plerumque patet, scilicet

(1) Supra, p. 186-189. Amplam segetem locorum sanctorum Patrum, ad quos provocare solent Graeci dissidentes, invenies in tribus tractatibus Georgii Scholarii de processione Spiritus Sancti, t. II *Operum omnium.* Cf. praesertim p. 460-481.

(2) Ita Georgius Cyprius et alii post eum. Cf. M. Jugie, *op. cit.*, t. II, p. 359.

(3) Ibid., p. 359-360.

(4) Ita, inter alios, Nilus Cabasilas. M. Jugie, *ibid.*, p. 388.

cum verbis προέρχεσθαι, προϊέναι, ἐκλάμπειν, πεφηνέναι, προχεῖσθαι, ἀναβλύζειν, πηγάζειν, aliquando etiam ἐκπέμπεσθαι, etc. Plerique polemistae quamvis in regulis interpretationis statuendis non semper inter se plene consentiant. locos in quibus formula « διὰ τοῦ Υἱοῦ » cum huiusmodi verbis contexitur, ad missionem temporalem, seclusa quacumque relatione ad processionem aeternam, referre solemne habent (1).

Ubi vero ad verbum occurrit dictio: « ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται » tunc in varias ac prorsus miras abeunt interpretationes, quas non minus quam quindecim numero esse deprehendimus; inter quas occurrit etiam interpretatio vera et catholica (2).

Art. IV. — De Patrum latinorum doctrina.

Inde a saeculo IV usque ad saeculum VIII inclusive, fides Ecclesiae occidentalis in processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio omnino constans et unamimis deprehenditur. Hoc jam patet ex pluribus fidei professionibus in articulo secundo hujus capitis supra memoratis. Si unum Hilarium Pictaviensem excipias, Latini omnes unam tantum norunt dogmatis formulam: *Spiritus Sanctus a Patre Filioque* (vel *ab utroque*) *procedit*. Item, si unum excipias Augustinum, nullam speculationem habent circa modum quo procedit Spiritus tum a Patre, tum a Filio. Quod Augustinus expresse docet, nempe Spiritum Sanctum a Patri et Filio procedere *tanquam ab uno*

(1) Hoc effugium omnino vanum esse haud aegre ostendit Joannes Veccus, *Epigraphe* XIII, P. G., t. CXLI, col. 709-724, haud paucos locos Patrum citando, in quibus verba hujusmodi vel generationem Filii a Patre, vel processionem aeternam Spiritus Sancti ex Patre sine ambagibus ullis significant.

(2) De variis interpretationibus locutionis « διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται » a dissidentibus excogitatis sermo erit in capite sequenti.

principio et a Patre, *procedere principaliter*, rarissime notant, satisque habent simpliciter repetere formulam: *A Patre Filioque procedit.* Ex innumeris locis scriptorum latinorum, ubi haec formula occurrit, quosdam tantum ad celebriores auctores pertinentes proferemus. Loquemur: 1° de Patribus qui usque ad mortem Augustini floruerunt (431); 2° de doctrina S. Augustini; 3° De Patribus qui post Augustini mortem vixerunt.

I. — De Patribus saeculi IV et saeculi V ineuntis usque ad Augustini mortem (431).

Post Tertullianum et Novatianum, quos doctrinae catholicae testes in periodo antenicaena invenimus, nobis occurrit primus clarissimus doctor S. HILARIUS († 366), qui Graecorum litteraturam theologicam bene noverat. Unde mirum non est illum relationes personarum divinarum ad invicem secundum Graecorum modum potius concipere ac considerare. In suo opere *De Trinitate*, formulam *A Patre per Filium procedit* semel saltem usurpat: « Patrem te nostrum, Filium tuum una tecum adorem; *Sanctum Spiritum tuum, qui ex te per Unigenitum tuum est, promerear* » (1).

In eodem tractatu Arianos interrogat *utrum ex Patre, an ex Filio Spiritum Paracletum putent esse.* Tunc illico subjicit:

« Non enim in incerto Dominus reliquit [quaestionem]; nam sub iisdem dictis ita locutus est: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare illa modo. Cum venerit ille Spiritus veritatis, diriget vos in omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audierit loquetur... Ille me clarificabit quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia quaecumque habet Pater mea sunt. Propterea*

(1) *De Trinitate,* XII, 57, P. L., t. X col. 472 A, ad calcem totius tractatus.

dixi: *De meo accipiet* (Joa. XVI, 12-14). A Filio igitur accipit, qui et ab eo mittitur et a Patre procedit. *Et interrogo utrum idipsum sit a Filio accipere, quod a Patre procedere.* Quod si differre credetur inter a Filio accipere et a Patre procedere, certe idipsum atque unum esse existimabitur a Filio accipere quod sit accipere a Patre. Ipse enim Dominus ait: *Quoniam de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia quaecumque habet Pater mea sunt*: *propterea dixi*: *De meo accipiet et annuntiabit vobis.* Hoc quod accipiet (sive potestas est, sive virtus, sive doctrina est), Filius a se accipiendum esse dixit, et rursum hoc ipsum significat accipiendum esse a Patre » (1).

Vides Hilarii argumentationem adversus Arianos: Ab illis quaerit utrum existiment Spiritum ex Patre, an ex Filio. Ipse respondet Dominum rem non in incerto reliquisse. Dominus enim in Evangelio tria asserit: 1° Paracletum a Patre procedere; 2° Ipsum a Filio mitti; 3° Eumdem a Filio accipere. Ad mentem Hilarii, haec sufficiunt ad ostendendum Spiritum Sanctum tum ex Patre, tum ex Filio esse. Quod si haeretici contendant non idem esse *procedere a Patre* et *accipere a Filio*, hoc saltem ex ipsius Salvatoris verbis confiteri debebunt Spiritum Sanctum *eadem a Patre accipere quae accipit a Filio*, quia omne quaecumque habet Pater ad Filium pertinent. Ex contextu evangelico, Spiritus a Filio accipit sive aliquam potestatem vel virtutem, sive potius doctrinam. Ergo tum a Patre, tum a Filio accipit doctrinam. Atqui (ultimam conclusionem subaudit Hilarius) doctrina divina a Patre et Filio accepta idem est ac essentia divina. Ergo Spiritus Sanctus est simul ex Patre et Filio.

Hanc esse veram Hilarii mentem probant adhuc ea quae il libro II, 29, ejusdem *Tractatus de Trinitate* expresse dixerat:

(1) De Trinitate, l. VIII, 20, P. L., t. XI, col. 250-251.

« De Spiritu Sancto nec tacere oportet nec loqui necesse est, sed sileri a nobis, eorum causa qui nesciunt, non potest. Loqui autem de eo necesse est, *qui Patre et Filio auctoribus* confitendus est » (1).

Patrem et Filium Hilarius vocat *auctores* Spiritus Sancti. Ex contextu agitur de persona Spiritus Sancti, non de ejus donis, ut intelligere volunt quidam Graeco-Russi. *Auctor* dicitur ille qui producit ad existentiam, qui dat originem (2).

Marius Victorinus († 370), Hilario coaevus, in suo opere *Adversus Arium*, l. I, 12-16, sacrae Scripturae testimoniis demonstrat Spiritum Sanctum esse tum ex Patre, tum ex Filio. Ejus tamen conceptus diagrammati Graecorum potius respondet, quatenus docet Spiritum omnia *immediate a Filio* accipere, et per Filium a Patre:

« A Deo (ait Christus) alius dabitur vobis Paraclitus, qui quaecumque habet, a me habet, et quaecumque habet Pater, tradidit mihi omnia... Major Pater. Quod Paracletus a Deo et a Christo: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre* ADVENIET (3) (Joa. XV, 26)... *Si non discedo, Paracletus non veniet ad vos* (Joa. XVI, 7): Duo ergo et isti, *ex alio alius, ex Filio Spiritus Sanctus, sicuti ex Deo Filius conrationaliter, et Spiritus Sanctus ex*

(1) *Ibid.*, col. 69. Nota hujus loci varias lectiones in codicibus occurrere. Alii legunt: *quia de Patre;* alii: *qui a Patre;* alii simpliciter: qui Patre.

(2) Aliqua difficultas ex usu numeri pluralis (*auctores*) enasci potest, quia stricte loquendo Pater et Filius non sunt *duo auctores*, sed *unus auctor* Spiritus Sancti. Verum nota Patres non semper loqui secundum canonem theologici sermonis, prout a Schola statuitur. Nec inde concludendum est Hilarium Patrem et Filium duo principia ponere Spiritus Sancti.

(3) Nota Victorinum reddere verbum graecum ἐκπορεύεται per *adveniet.* Ergo ille, et item auctor versionis latinae Novi Testamenti quâ utebatur Victorinus, locum *qui a Patre procedit* de missione temporali Spiritus Sancti directe intellexerunt.

Patre. Quod omnia tria unum: Pater non silens silentium, sed vox in silentio, *Filius jam vox, Paracletus vox vocis... Ex meo accipiet. Omnia quae habet Pater mea sunt* (Joa. XVI, 13-15). Dicit ergo: *Ex meo accipiet,* quod una motio, hoc est actio agens Christus est, et Spiritus Sanctus: et primum est vivere, et ab ipso quod est vivere, intelligere: *vivere quidem Christus, intelligere Spiritus. Ergo Spiritus a Christo accipit; ipse Christus a Patre, et idcirco Spiritus a Patre* (1). Omnia igitur unum, sed a Patre... Quod a Christo Spiritus Sanctus: *Insufflavit* Christus *et dixit*: *Accipite Spiritum Sanctum* (Joa. XX, 22)... Si Sanctus Spiritus Dei Spiritus est, et Sanctus Spiritus a Dei Filio omnia habet, una substantia tribus a substantia Patris » (2).

De processione Spiritus Sancti a Filio pauca habet sanctus AMBROSIUS († 397); quae tamen sufficiunt ad illum annumerandum inter doctrinae catholicae testes. In suo opere *De Spiritu Sancto,* a Graecis, Didymo scilicet, Athanasio et Basilio, pleraque mutuatur. Unde apud illum invenimus diagramma trinitarium Graecorum, ut patet ex loco sequenti, ubi occurrunt quaedam Basilii ad verbum fere translata:

« *Ex uno Spiritu per unum Filium in unum Patrem cognitio nostra procedit; et ex uno Patre per unum Filium in unum Spiritum Sanctum bonitas et sanctificatio et imperiale jus aeternae traditur potestatis* ». (3). Et ideo quod loquitur Filius, loquitur et Pater et quod Pater loquitur, loquitur et Filius; et quod loquitur Pater et Filius, loquitur et Spir. Sanctus... Quid est ergo? *Non a se loquetur* (Joa. XVI, 13)? Hoc est: non

(1) Vides Victorinum in mente habere diagramma Graecorum.

(2) P. L., t. VIII, col. 1046-1050.

(3) Cf. Basilium, *De Spiritu Sancto,* XVIII, 47, P. G., t. XXXII, col. 153: « Ἡ τοίνυν ὁδός τῆς θεογνωσίας ἐστίν ἀπὸ ἑνὸς Πνεύματος διὰ τοῦ ἑνὸς Υἱοῦ ἐπὶ τὸν ἕνα Πατέρα· καὶ ἀνάπαλιν ἡ φυσικὴ ἀγαθότης καὶ ὁ κατὰ φύσιν ἁγιασμὸς καὶ τὸ βασιλικὸν ἀξίωμα ἐκ Πατρὸς διὰ τοῦ Μονογενοῦς ἐπὶ τὸ Πνεῦμα διήκει ».

sine me loquitur, quia loquetur veritatem, sapientiam aspirat. Non sine Patre loquitur, quia Dei Spir. est: non a se audit, quoniam ex Deo omnia. Omnia accepit a Patre Filius, quia ipse dixit: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (Matth. XI, 27). Omnia Patris habet Filius, quia iterum ait: *Omnia quae habet Pater mea sunt* (Joa. XVI, 15). *Et quae accepit ipse per unitatem naturae, ex ipso per eamdem unitatem accepit et Spiritus,* sicut ipse Dominus Jesus declarat de Spiritu suo dicens: *Propterea dixi: De meo accipiet et annuntiabit vobis* (Joa. *ibid.*). *Quod ergo loquitur Spiritus, Filii est: quod dedit Filius, Patris est* (1).

Ex his vides Ambrosium loqui more Graecorum: Spiritus Sanctus sua omnia habet a Patre per Filium. Post Athanasium item, Filium appellat *fontem Spiritus Sancti*:

« Sicut Pater fons vitae est, ita etiam Filium plerique fontem vitae memorarunt significatum, eo quod *apud te*, inquit, *Deus omnipotens, Filius tuus fons vitae sit,* hoc est FONS SPIRITUS SANCTI (cf. Ps. XXXV, 30), quia Spiritus vita est, sicut Dominus ait: *Verba quae ego locutus sum vobis spiritus et vita sunt* (Joa. VI, 64) » (2).

Ut supra diximus (3), Ambrosius, post Didymum, in vera notione missionis divinae deficit, dum concedit Filium et Spiritum Sanctum invicem se mittere, ut haereticis facilius respondeat, qui contra divinitatem Spiritus Sancti argumentum inde sumebant, quod Filius illum mitteret (4).

---

(1) *De Spiritu Sancto,* l. II, 12 (130-134), P. L., t. XVI, col. 802-803.

(2) *Op. cit.* l. I, 15 (152), P. G., *ibid.*, col. 769. Addit Ambrosius multos exegetas *fontem vitae,* (de quo in Ps. 35) intelligere non de Filio, sed de Patre.

(3) Vide supra, p. 63, n. 5.

(4) Unde contra theologos Photianos vix proferri potest locus sequens, qui ad missionem temporalem Spiritus directe refertur: « Neque cum de Patre exit Verbum, de loco recedit, aut quasi corpus a corpore separatur; neque

In suo *Commentario in symbolum Apostolorum,* Rufinus Aquileiensis († 410) haec habet:

« Ut ergo fiat distinctio personarum, affectionis vocabula secernuntur, quibus ille Pater intelligatur, ex quo omnia et quia ipse non habeat Patrem; iste Filius, tanquam qui ex Patre natus sit; *et hic Spiritus Sanctus, tanquam de utroque procedens et cuncta sanctificans* » (1).

Poeta Prudentius († 410?) doctrinam catholicam his versibus confitetur:

Qui noster Dominus, qui tuus Unicus
Spirat de corde patrio Paraclitum (2).

S. Paulinus Nolanus († 431) item in quodam carmine scribit:

Et in servos caelestia dona profudit
Spiritum ab Unigena Sanctum et Patre procedentem (3).

II. — Sanctus Augustinus.

Sanctum Augustinum doctrinae catholicae de processione Spiritus Sancti praeclarissimum assertorem esse ex iis, quae de ejus scriptis jam laudavimus, luculente constat (4) vixque inter Graeco-Russos dissidentes aliquis *hodie* reperiatur qui hoc neget, aut in dubium vocet. Quidam tamen, ut ejus testi-

---

cum in Patre est, quasi in corpore tanquam corpus includitur. *Spiritus quoque Sanctus, cum procedit a Patre et Filio, non separatur a Patre, non separatur a Filio* ». *De Spiritu Sancto,* l. I, 11, (120), P. L., t. XVI, col. 762-763.

(1) P. L., t. XXI, col. 372-373.

(2) *Hymnus* V *Cathemerini,* 158, P. L., t. LIX, col. 831 A.

(3) *Carmen* XXVII, 93, P. L., t. LXI, col. 650.

(4) Vide supra, p. 12-13, 33, 36, n. 2; 41, 59-60, 83, 91, n. 4.

monii vim enervent, contendunt sanctum doctorem proposuisse hanc doctrinam non tanquam Ecclesiae dogma necessario tenendum, sed tanquam opinionem privatam, ea quae Augustinus habet de quibusdam suis tentaminibus mysterium Trinitatis analogiis ex rebus creatis desumptis utcumque elucidandi ad ipsam veritatis revelatae affirmationem immerito transferentes (1); ad quos confutandos sequentia doctoris verba sufficient:

« Quaeris a me (ait ad Maximinum, Arianorum episcopum): *Si de substantia Patris est Filius, de substantia Patris est etiam Spiritus Sanctus, cur unus Filius sit, et alius non sit filius?* Ecce respondeo, sive capias, sive non capias: De Patre est Filius; de Patre est Spiritus Sanctus; sed ille genitus, iste procedens: ideo ille Filius est Patris, de quo est genitus; *iste autem Spiritus utriusque, quoniam de utroque procedit.* Sed ideo, cum de illo Filius loqueretur, ait: *De Patre procedit, quoniam Pater processionis ejus est auctor, qui talem Filium genuit, et gignendo ei dedit, ut etiam de ipso procederet Spiritus Sanctus.* Nam nisi procederet et de ipso, non diceret discipulis: *Accipite Spiritum Sanctum,* eumque insufflando daret (Joa. XX, 22), ut a se quoque procedere significans, aperte ostenderet flando, quod spirando dabat occulte. Quia ergo, si nasceretur, non tantum de Patre nec tantum de Filio, sed de ambobus utique nasceretur, sine dubio filius diceretur amborum. Ac per hoc quia filius amborum nullo modo est, non oportuit nasci eum de ambobus. *Amborum est ergo Spiritus procedendo de ambobus.* Quid autem inter nasci et procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens, explicare quis potest?... Satis ergo nobis sit, quia non est a seipso Filius, sed ab illo de quo natus est; non est a seipso

(1) Ita, inter alios, Sylvester Malevanskii, *Opyt pravoslavnago dogmaticeskago bogosloviia* (*Tentamen orthodoxae dogmaticae theologiae*), t. I, ed. 3, Kioviae, 1892, p. 546-564.

Spiritus Sanctus, sed ab illo de quo procedit: *et quia ab utroque procedit,* sicut jam ostendimus: unde et Patris Spiritus dictus est, ubi legitur: *Si autem Spiritus ejus qui suscitavit Christum a mortuis habitat in vobis;* et Spiritus Filii, ubi legitur: *Qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (Rom. VIII, 11, 9) » (1).

Item, in *De Trinitate,* l. I, c. 4, inter ea quae circa Trinitatem ad fidem catholicam pertinent, illud ponit quod Spiritus Sanctus nec Pater sit, nec Filius, *sed tantum Patris et Filii Spiritus* (2). Atqui mox illum audivimus dicentem: *Spiritus utriusque est, quoniam de utroque procedit.* Utraque propositio: *Spiritus Sanctus est Spiritus Patris et Filii — Spiritus Sanctus ab utroque procedit,* illi omnino idem sonat, eamdem praefert significationem. In *Tractatu* XCIX *in Joannem,* sacrae Scripturae testimoniis Spiritum Sanctum *etiam a Filio procedere* ex professo demonstrat:

« Hic aliquis forsitan quaerat, inquit, utrum et a Filio procedat Spiritus Sanctus. Filius enim solius Patris est Filius, et Pater solius Filii est Pater: Spiritus autem Sanctus non est unius eorum Spiritus, sed amborum... *Si ergo et de Patre et de Filio procedit Spiritus Sanctus,* cur Filius dixit: *De Patre procedit* (Joa. XV, 26)? Cur, putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre et quod ipsius est, de quo et ipse est? Unde illud est quod ait: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me* (Joa. VII, 16). Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris, quanto magis illic intelligendus est de ipso procedere Spiritus Sanctus, ubi sic

(1) *Contra Maximinum,* l. II, c. XIV, 1-2, P. L., t. XLII, 770-771.

(2) P. L., t. XLII, col. 824. Cf. *De civitate Dei,* l. XI, 24, P. L., t. XLI, col. 337: « Credimus et tenemus et fideliter praedicamus quod Pater genuerit Verbum, hoc est Sapientiam,... *et quod Spiritus Sanctus simul et Patris et Filii sit Spiritus,* et ipse consubstantialis et coaeternus ambobus ».

ait: *De Patre procedit,* ut non diceret: De me non procedit (1). *A quo autem habet Filius ut sit Deus,* (est enim de Deo Deus), *ab illo habet utique ut etiam ab illo procedat Spiritus Sanctus: ac per hoc Spiritus Sanctus ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre* » (2).

His ultimis verbis Augustinus perspicue ostendit Spiritum Sanctum non eadem ratione *eodemque titulo* a Filio procedere, quo procedit a Patre. A Patre enim procedit tanquam *a principio primo et originali*, a Filio autem tanquam *a principio habente principium,* nempe Patrem. Unde, ut jam vidimus, sanctus doctor docet Spiritum a Patre *procedere principaliter* (3). Caeterum Pater et Filius non sunt duo, sed *unum principium* Spiritus Sancti. Hoc doctrinae catholicae praecipuum caput Augustinus inter antiquos Patres solus omnino diserte explicavit, ex quo omnia cadunt theologorum photianorum objecta adversus dogma catholicum. Ut hujus tractatus initio jam diximus, quamvis Augustinus solam adhibeat formulam: *A Patre Filioque procedit,* ex hoc tamen quod expresse docet: 1° Patrem esse principium primum, *auctorem proprie dictum* Spiritus Sancti, et Spiritum ab eo procedere *principaliter* seu *primordialiter;* 2° Filium esse principium Spiritûs a Patre omnino dependens seu principium a principio; 3° Patrem et Filium simul revera esse *unum numero principium* Spiritûs Sancti in ipso actu quo illum spirant, eodem modo quo tres personae divinae sunt *unum numero principium creaturae*: his tribus propositionibus totam doctrinam catholicam dilucide expressit, conceptum trinita-

(1) Vides quomodo Augustinus Graeco-Russis respondeat, qui ex verbis Christi: *A Patre procedit* contra doctrinam catholicam argumentum trahere volunt.

(2) P. L., t. xxxv, col. 1888-1890.

(3) Cf. supra, p. 12-13.

rium Graecorum cum conceptu Latinorum conjungens, alterutrum alterutro complens atque explicans, *principium quod* et *principium quo* processionis Spiritus Sancti patefaciens: ita ut nulla amplius remaneat ratio de hac quaestione litigandi. Testimoniis jam prolatis quibus totam hanc doctrinam diserte proponitur sequentia addi possunt. Et primum, quod Pater sit unicum principium sine principio, sanctus doctor directe exprimit in libro *De fide et symbolo*:

« De Spiritu Sancto nondum tam copiose ac diligenter disputatum est a doctis et magnis divinarum Scripturarum tractatoribus, ut intelligi facile possit et ejus proprium (= *proprietas hypostatica*), quo proprio fit ut eum neque Filium neque Patrem dicere possimus, sed tantum Spiritum Sanctum... Servant tamen [hi docti tractatores] ut non genitum Spiritum Sanctum tanquam Filium de Patre praedicent; unicus enim est Christus: *neque de Filio tanquam nepotem summi Patris*: *nec tamen id quod est nulli debere, sed Patri, ex quo omnia*: *ne duo constituamus principia sine principio;* quod falsissimum est et absurdissimum et non catholicae fidei, sed quorumdam haereticorum errori proprium » (1).

In *Tractatu contra Maximinum* item clarius dicit Patrem esse principium sine principio, Filium vero principium de principio:

---

(1) *De fide et symbolo*, c. IX, 19, P. L., t. XL, col. 191. Hunc locum proferunt quidam Graeco-Russi tanquam qui doctrinae catholicae adversetur. Verum Augustinus, dum dicit *Spiritum non esse de Filio tanquam nepotem summi Patris*, hoc tantum negare intendit quod Spiritus sit *a Filio genitus*. Ex hoc autem quod docet *unum tantum esse principium sine principio* non sequitur eum negare Filium esse *principium de principio* processionis Spiritus Sancti. Hic simpliciter affirmat Spiritum Sanctum suum esse habere ex Patre, *principio sine principio, ex quo omnia*. Nihil ergo in Augustini dictis quod doctrinae catholicae negotium facessat.

« Pater ergo principium non de principio; Filius *principium de principio*: *sed utrumque simul non duo sed unum principium*, sicut Pater Deus, et Filius Deus, ambo autem simul non duo dii, sed unus Deus. Nec Spiritum Sanctum *ab utroque procedentem* negabo esse principium sed, haec tria simul sicut unum Deum, ita unum dico esse principium » (1).

Relate ad Spiritum Sanctum, Filius est principium de principio:

« Sicut habet Pater in semetipso ut de illo procedat Spiritus Sanctus, sic dedit Filio ut de illo procedat idem Spiritus Sanctus, et utrumque sine tempore; atque ita dictum est Spiritum Sanctum de Patre procedere, ut intelligatur quod etiam procedit de Filio, de Patre esse Filio... Filius autem de Patre natus est: *et Spiritus Sanctus de Patre principaliter*, et ipso sine ullo temporis intervallo dante, communiter de utroque procedit » (2).

At vero principium sine principio et principium de principio sunt unum principium Spiritus Sancti:

« Si quod datur principium habet eum a quo datur, quia non aliunde accepit illud quod ab ipso procedit, fatendum est Patrem et Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia; sed sicut Pater et Filius unus Deus, et ad creaturam relative unus creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum Sanctum unum principium; ad creaturam vero Pater et Filius et Spiritus Sanctus unum principium, sicut unus creator et unus Dominus » (3).

(1) *Contra Maximinum*, l. II, c. XVII, 3, P. L., t. XLII, col. 784-785. Nota Spiritum Sanctum dici principium, et unum principium cum Patre et Filio, relate ad creaturam, dum Pater et Filius sunt etiam unum principium respectu productionis Spiritus Sancti, ut expresse docet Augustinus. Cf. supra, p. 13 et P. L., *ibid.*, col. 770.

(2) *De Trinitate*, l. XV, c. XXVI, 47, P. G., *ibid.*, col. 1094-1095.

(3) *De Trinitate*, l. V, c. XIV, P. L., t. *cit.*, col. 921. Cf. *Enarrat. in ps.* 109, P. L., t. XXXVII, col. 1457: « Pater et Filius non duo, sed unum principium ».

Ad notionem autem missionis divinae quod attinet, Augustinus veram doctrinam firmiter retinet, et ut principium inconcussum habet quod illa sola persona divina mittitur quae ab alia procedit, illa sola mittit quam habet a se procedentem. Filius quidem a Spiritu Sancto mitti dici potest, at vero non qua Deus est, sed qua homo. Missio est processionis aeternae manifestatio:

« Solus Pater non legitur missus, quoniam solus non habet auctorem a quo genitus sit, vel a quo procedat. Et ideo non propter naturae diversitatem, quae in Trinitate nulla est, sed propter ipsam auctoritatem solus Pater non dicitur missus » (1).

« Ab illo mittitur Dei Verbum, cujus est Verbum; *ab illo mittitur de quo natum est;* mittit qui genuit, mittitur quod genitum est... Sed Pater, cum ex tempore a quoquam cognoscitur, non dicitur missus; non enim habet de quo sit, aut ex quo procedat... *Sicut natum esse est Filio a Patre esse, ita mitti est Filio cognosci quod ab illo sit.* Et sicut Spiritui Sancto donum Dei esse est a Patre procedere, ita *mitti est cognosci quod ab illo procedat.* Nec possumus dicere quod Spiritus Sanctus et a Filio non procedat: neque enim frustra idem Spiritus et Patris et Filii Spiritus dicitur. Nec video quid aliud significare voluerit, cum sufflans in faciem discipulorum ait: *Accipite Spiritum Sanctum.* Neque enim flatus ille corporeus, cum sensu corporaliter tangendi procedens ex corpore, substantia Spiritus Sancti fuit, *sed demonstratio per congruam significationem non tantum a Patre, sed et a Filio procedere Spiritum Sanctum.* Quis enim dementissimus dixerit alium fuisse Spiritum quem sufflans dedit, et alium quem post ascensionem suam misit. Quod ergo ait Dominus: *Quem ego mittam vobis a Patre* (Joa. XV, 26) *ostendit Spiritum et Patris et Filii.* Quia etiam cum dixisset: *Quem mittet Pater,* addidit: *in nomine*

(1) *Liber contra sermonem Arianorum,* 4, P. L., t. XLII, col. 686.

meo (Joa. XIV, 26); non tamen dixit: *Quem mittet Pater a me,* quemadmodum dixit: *Quem ego mittam vobis a Patre*: videlicet *ostendens quod totius divinitatis vel, si melius dicitur, deitatis, principium Pater est.* Qui ergo a Patre procedit et Filio ad eum refertur a quo natus est Filius (1).

« Pater solus nusquam legitur missus: Et de Filio quidem ita scribit Apostolus: *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere,* etc. (Gal. IV, 4)... Cum itaque ait: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere,* satis ostendit eo ipso missum Filium quo factus est ex muliere. Quod ergo de Deo natus est, in hoc mundo erat; quod autem de Maria natus est, in hunc mundum missus advenit. *Proinde mitti a Patre sine Spiritu Sancto non potuit...* Quamquam et apud Isaiam prophetam ipse Christus intelligitur *de adventu suo futuro dicere*: *Et nunc Dominus misit me, et Spiritus eius* » (Is. 48, 16) (2).

Haec doctrina de missione divina cum Graecorum conceptu trinitario omnino congruit, Photianorum vero conceptui aperte adversatur. Vides etiam quomodo Augustinus, Graecorum instar, Patrem appellet *principium totius divinitatis,* et ad illum tanquam ad principium primordiale referat Spiritum Sanctum, etiam ubi Spiritus dicitur a Filio procedere.

(1) *De Trinitate,* IV, 20, P. L., *ibid.,* col. 907-908.

(2) *De Trinitate,* II, 4, P. L., *ibid.,* col. 849-850. In hoc ultimo loco, Augustinus productionem effectus temporalis, scilicet ipsum actum quo natura humana Filio Dei hypostatice unita est, directe considerat. Unde hanc operationem ad extra tribus personis jure attribuit: « Cum itaque, inquit, a Patre et Filio factum esset, ut in carne Filius appareret, congruenter dictus est missus ille qui in ea carne apparuit; misisse autem ille qui in ea non apparuit ». Col. 850.

III. — *De Patribus qui post Augustinum fuerunt.*

Inter doctrinae catholicae testes qui post S. Augustinum in Occidente fuerunt laudari possunt:

1° S. EUCHERIUS, Lugdunensis episcopius († 453?) qui in suis *Instructionibus ad Salonium* de Spiritu Sancto haec habet:

« Spiritus Sanctus nec genitus nec ingenitus, ne si genitum dixerimus, duos Patres dicere videamur; et si genitum, duos filios; sed potius qui ex Patre et Filio procedat, velut quaedam Patris Filiique concordia. Neque apud nos potest sine Spiritu Sancto iusta esse concordia » (1).

2° S. LEO papa I († 461), cuius testimonium supra recitavimus (2), ubi dicit *Spiritum Sanctum ex eo quod est Pater Filiusque subsistere* (3).

3° FAUSTUS, episcopus Rhegiensis in Gallia († 485), in suo opusculo *De Spiritu Sancto*, ubi divinitatem Spiritus Sancti contra haereticos probare sibi proponit, obiter dicit:

« Ecce hic Spiritus Sanctus, per unitatem substantiae, et Patris et Filii esse Spiritus declaratur, et merito ex utroque procedere dignoscitur » (4).

---

(1) *Instructionum ad Salonium* l. I, l. P. L.. t. I, col. 774.

(2) P. 91, n. 5.

(3) *Sermo* LXXV: *De Pentecoste*, I, 3, P. L., t. LIV, col. 402. Hactenus de S. Leone recitabant locum explicitum *Epistolae ad Turribium, Asturicensem episcopum, de Priscillianistarum erroribus*, P. L., ibid., col. 681 A, ubi dicitur haereticos in Deo ponere unam tantum personam nec confiteri *alium esse qui genuit*, alium *qui genitus est, alium qui de utroque processit.* Künstle vero contendit, *Antipriscilliana*, p. 117-126, hanc epistolam esse suppositam et a quodam falsario, anno 563 fuisse compositam; cujus tamen argumenta non sunt omnino cogentia.

(4) *De Spiritu Sancto*, l. I, 10, P. L., LXII, col. 21. Hoc opusculum Paschasio Diacono, qui saeculo VI vixit, a quibusdam falso tributum est. Ad Faustum

4° IULIANUS POMERIUS († circa 498), cui librum *De vita contemplativa* communiter tribuunt, dicit sacerdotes instruere debere fideles « de Patre, quomodo solus accipiatur ingenitus; de Filio, quomodo ex ipso sit genitus; de Spiritu Sancto quomodo, *ex Patre et Filio procedens*, nec ingenitus possit dici, nec genitus » (1).

5° S. AVITUS, Viennensis episcopus († 519), in *Fragmentis Epistolae de divinitate Spiritus Sancti contra Gundobaldum, Arianum regem*, docet proprium esse *Spiritui Sancto a Patre Filioque procedere, et hoc esse catholicam fidem*. Praeterea, haec addit: « Si Spiritus a Patre Filioque vel mittitur, vel procedit, non potest missus mittensque misceri, et ex quo procedit procedensque confundi » (2).

6° HORMISDAS papa († 523), in quadam *Epistola ad Iustinum imperatorem*, haec habet:

> « Notum est quia proprium est Patris, ut generaret Filium; proprium Filii Dei, ut ex Patre Patri nasceretur aequalis; proprium Spiritus Sancti, *ut de Patre et Filio procederet sub una substantia deitatis* » (3).

Nota hoc Hormisdae testimonium peculiare momentum habere, tum quia est Romani Pontificis, tum quod ad imperatorem byzantinum missus fuit eo tempore quo episcopi imperii byzantini ex schismate Acaciano ad Ecclesiae catholicae unitatem redierunt et formulae fidei ab ipso papa praescriptae subscripserunt, in qua haec leguntur: *In Sede Apostolica immaculata est semper servata religio.*

---

revera pertinet. Cf. A. Engelbrecht, *Studien über die Schriften des Bischofs von Reii Faustus*, Vindobonae, 1889, p. 28-46.

(1) *De vita contemplativa*, l. I, 18, P. L., t. LIX, col. 432-433.

(2) P. L., t. LIX, col. 586.

(3) P. L., t. LXIII, col. 514 B C.

7° BOETIUS († 524), in libro *De Trinitate* dicit: « Cogitemus processisse quidem ex Deo Patre Filium Deum, et *ex utrisque Spiritum Sanctum* (1).

8° S. FULGENTIUS, Ruspensis episcopus († 533) doctrinam catholicam omnino diserte profitetur. Post S. Augustinum, nullus doctor illam adeo explicite proposuit tanquam ad fidem pertinentem. Praeter locum supra allatum (2), haec recitari possunt:

« Pater a nullo est genitus, Filius a Patre est genitus, Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedens est. Pater non sibi est, sed Filio; Filius non sibi est, sed Patri; Spiritus alicuius est aspirantis: ergo ad Patrem Filiumque refertur. Ista itaque relativa nomina Trinitatem faciunt... Dementis est dicere Spiritum Sanctum a Patre Filioque non procedere » (3).

« In illa natura, ubi est summa et vera simplicitas, in eo Filius videt quod Pater facit, et Spiritus Sanctus audit quod cum Patre Filius dicit, quia communione naturalis essentiae et Filius de Patre natus exstitit, *et Spiritus Sanctus de Patre Filioque procedit. Hoc est igitur Spiritui Sancto audire, quod est de natura Patris Filiique procedere...* De natura Patris natus est Filius et exinde procedit Spiritus Sanctus: hoc etiam a Patre et Filio Spiritus Sanctus audit, quia de Patre et Filio communis divinitatis aequalitate procedit. Non ergo Spiritus Sanctus loquitur a seipso, quia non est a seipso, sed de Patre et Filio habet naturalem locutionem unde naturaliter procedens habet originis veritatem... Mittit Spiritum Sanctum Pater in nomine Filii; ipsum mittit Filius a Patre: mittit autem a Patre Spiritum veritatis: mittit ergo a Patre Spiritum suum, quia ipse est Veritas. Mittit eum Pater in nomine Filii, quia unus Spiritus est Patris et Filii; mittit eum Filius a Patre,

(1) *De Trinitate*, v, P. L., t. LXIV, col. 1254 C.

(2) Vide supra, p. 91, n. 6.

(3) *De Trinitate liber unus*, c. II, P. L., t. LXV, col. 499.

quia sic procedit a Filio sicut procedit a Patre... De Filio ergo accepit, et omnia quae habet Pater Filii sunt, quae Spiritus Sanctus accepit, *quia non de Patre solo, nec de solo Filio, sed simul de utroque procedit...* Solius est Spiritus Sancti de Patre et Filio proprietas ista processionis, cuius est cum Patre et Filio natura communis » (1).

Praeterea Fulgentius doctrinae catholicae suffragatur, quatenus veram missionis divinae indolem describit ac definit. De missione invisibili Spiritus Sancti ad sanctificandam creaturam fuse disserit et clare asserit ipsam Spiritus Sancti personam cum Patre et Filio animam iusti inhabitare, quando charitas Dei diffunditur in cordibus nostris (2). Docet quidem Filium Dei a Spiritu Sancto mitti, at vero non quatenus est Deus, sed quatenus homo factus (3). E contra, aperte declarat personam divinam, ut talem, mitti non posse ab alia, nisi quatenus ab illa procedit:

« Filius, inquit, est a Patre missus, non Pater a Filio, quia Filius est a Patre natus, non Pater a Filio. *Similiter etiam Spiritus Sanctus a Patre et Filio legitur missus, quia a Patre Filioque procedit.* Sed quia non uno modo in Scripturis sanctis dicitur missio, propterea in sacramento Incarnationis non solum a Patre, verum etiam a Spiritu Sancto missus est Filius, quia mediator Dei et hominum homo Christus Iesus totius est Trinitatis operatione plasmatus. *Alio autem modo mittitur a*

(1) *Contra Fabianum fragmenta*, 25, 27, P. L., t. LXV, col. 780-784.

(2) Cf. Ad Monimum l. II, 6-12, P. L., *ibid.*, col. 184-192; *Contra Fabianum*, 28, col. 791: « Spiritus Sanctus seipsum demonstrat per gratiam praesentem, quando tribuit charitatem... Illa omnia dona dat Spiritus Sanctus, etiam illis in quibus ipse non habitat; ab illis autem, quibus charitatem tribuit, non recedit ». Cf. col. 795 B.

(3) Cf. *Ad Monimum* l. II, col. 184-185, ubi obscure loquitur de missione Filii a Patre et a Spiritu Sancto, dum in *Fragmentis contra Fabianum* omnino perspicue explicat qua ratione Filius a Spiritu Sancto dicatur missus.

Patre et Filio Spiritus Sanctus, qui naturaliter a Patre Filioque procedit. Mittitur enim a Patre et Filio Spiritus Sanctus, cum ab ipsa Trinitate, uno Deo, gratiae spiritualis donatur effectus. Aliter vero a Patre et Spiritu Sancto missus est Filius, quando semetipsum exinaniens formam servi accepit » (1).

Si Fulgentii opera perlegeris, multa alia invenies pro dogmate catholico facientia. Doctrina enim Augustini enutritus, Trinitatis mysterium dilucide exponit ac diversimode illustrat (2).

9° Saeculo VI, testes tres adhuc invenimus; qui omnes profitentur Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere, scilicet Ferrandum diaconum († ante 546) (3), Agnellum, Ra-

(1) *Contra Fabianum,* 29, col. 797.

(2) Cf. v. g., ea quae habet in *Epistola* XIV *ad Ferrandum,* 9, P. L., t. *cit., col.* 400, de relationibus divinis: « Excepto quod ad se relative dicuntur Pater et Filius, ubi inseparabiliter necesse est referatur alter ad alterum, cum ista nomina sint utique personarum, non minus omnis contradictio deficit in illo personali nomine Spiritus Sancti, qui non aliud *personaliter* vocatur, cum dicitur *Spiritus Sanctus,* quam hoc quod *naturaliter* et Pater vocatur et Filius... Hoc nomine non solum ad Patrem, sicut Filius; nec ad solum Filium, sicut Pater: *sed simul et ad Patrem et ad Filium refertur,* quando et Patris et Filii Spiritus nuncupatur ». Item in eadem *Epistola,* 28, col. 418: « Non potuit Spiritum Sanctum divinitas Filii accipere, cum ipse Spiritus Sanctus sic *procedat a Filio sicut procedit a Patre,* et sic detur a Filio, sicut datur a Patre, *nec illa natura unde Spiritus Sanctus habet originem,* potuit ejus vel exspectare vel accipere largitatem. Spiritus ille totus est Patris, totus est Filii, quia unus naturaliter est Spiritus Patris et Filii. *Proinde totus de Patre procedit et Filio,* totus in Patre manet ac Filio, quia sic manet ut procedat, sic procedit ut maneat... Non ergo accepit Spiritum Sanctum divinitas Filii, cum qua unius naturae est Spiritus Sanctus, et ex qua habet quidquid habet, *imo de qua est hoc quod est,* quia quod naturaliter habet, hoc est ». Nota tandem Fulggentium vocare Patrem *auctorem* Filii et Spiritus Sancti, quatenus est principium, primordiale seu origo utriusque: « Unitas naturalis creatorem Filium de creatore Patre naturali nativitate insinuat exstitisse, *et creatorem Spiritum Sanctum de Patre Filioque procedere ». Contra Fabianum,* 35, col. 822 D.

(3) Fulgentius Ferrandus, diaconus Carthaginensis, S. Fulgentii Ruspensis discipulus, in suis epistolis haud semel dicit Spiritum Sanctum de Patre et Fi-

vennatentem episcopum († 569) (1), et CASSIODORUM († circa 570 (2).

10° RUSTICUS, diaconus, Vigilii papae (537-555) nepos, specialem mentionem meretur, quia circa processionem Spiritus Sancti a Filio quaedam ambigua profert. In sua enim *Disputatione contra Acephalos* haec habet:

Pater genuit, et non genitus est, et ab aliquo alio non est, sicut ex eo sunt alii. Filius vero genitus est, et nihil consempiternum genuit; et Spiritus Sanctus a Patre procedit; nihil consempiternum procedit vel genitum est ab eo. Quidam vero antiquorum et hoc proprietatibus adjecerunt, quia sicut Spiritus Sanctus cum Patre Filium sempiterne non genuit, sic nec procedit Spiritus a Filio, sicut a Patre. Ego vero, quia Spiritus quidem non genuit sempiterne, profiteor, (*nec enim duos dicimus Patres*)*; utrum vero a Filio eodem modo quo ex Patre procedat, non perfecte habeo satisfactum. Quoniam vero, ad id quod nunc quaeritur nihil attinet, signandum quidem est, sed transeundum* (3).

Haec scribit Rusticus per transennam. Nec nobis dicit quinam sint illi antiqui qui hoc proprietatibus hypostaticis adiecerint, scilicet quod Spiritus Sanctus non procedit a Filio, *sicut* procedit a Patre: *Sicut*: id est: *eodem modo* quo procedit a Patre. Ita, ut nobis videtur, interpretanda sunt Rustici

lio procedere, v. g., in *Epist.* VII *ad Reginum*, 12, P. L., t. LXVII, col. 940: «*Proprium Spiritus Sancti de utroque procedere... Ad solum Spiritum Sanctum pertinet de utroque processio.*

(1) *Epistola ad Armenium de ratione fidei*: « Ex Patre et Filio procedit Spiritus Sanctus... Ex Patre et Filio procedens virtus, qui est Spiritus Sanctus ». P. L., t. LXVIII, col. 383, 384.

(2) *Expositio in psalmum* L, P. L., t. LXX, col. 367: « Proprium est Spiritui Sancto quod a Patre et Filio procedit ». Cf. *Praefat. in psalterium*, 17, *ibid.*, col. 23.

(3) *Contra Acephalos disputatio*, P. L., t. LXVII, col. 1237.

verba. Non enim antiqui illi, ad quos alludit, negaverunt simpliciter Spiritum Sanctum a Filio procedere, sed docuerunt Spiritum Sanctum non procedere a Filio *eodem modo,* quo procedit a Patre. Hanc interpretationem ipse confirmat, dum de seipso subiicit: *Utrum vero a Filio eodem modo quo a Patre procedat, non perfecte habeo satisfactum.* Porro multi antiqui, id est Graeci fere omnes, et inter Latinos certe Augustinus, docuerunt Spiritum Sanctum *non eodem modo,* id est *non eodem titulo eademque ratione* a Filio procedere, qua procedit a Patre. Secundum Graecos enim *ex Patre* procedit, dum *per Filium* procedit (ἐκ τοῦ Πατρός — διὰ τοῦ Υἱοῦ) et secundum Augustinum procedit *a Patre principaliter,* a Filio *non principaliter,* quatenus *Filius a Patre habet, ut de ipso procedat Spiritus Sanctus.* Mirum est Rusticum, qui et Latinus erat et inter Graecos Constantinopoli vixit, hoc ignorasse. Vel potius hoc forsan non ignorat, sed hoc non perfecte intellexit. Et Augustinus quidem rem clare explicavit, Graeci vero non tam clare, sed plerumque *implicite,* sua formula utendo ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ) Quod autem attinet ad antiquos, qui hoc proprietatibus hypostaticis adiecerunt, quod sicut Spiritus Sanctus cum Patre Filium sempiterne non genuit, *ita nec procedit Spiritus Sanctus eodem modo, quo a Patre procedit,* unum saltem ex illis supra invenimus, quem sub nomine LEONTII BYZANTINI laudavimus. Ille enim expresse inter proprietates hypostaticas retulit: quod *Filius* non ἐκπορεύει (= *non spirat*) *Spiritum Sanctum a seipso primum;* ex quo consequitur Spiritum Sanctum *non eodem modo a Filio procedere, quo procedit a Patre* (1). Procedit quidem a Filio, sed *non ab ipso primum,* quia a Patre solo *primum* procedit. Unde omnino verisimi-

(1) Vide supra, p. 173-174.

liter coniicere possumus Rusticum Leontii locum legisse et hunc non plane intellexisse (1).

11° S. Gregorius Magnus († 604), quem Graeci *Dialogum* vocant, in suis operibus doctrinam catholicam haud una vice exprimit. Primum notanda sunt eius verba in *Homilia XXVI in Evangelia,* ubi missionem in divinis fundari in processione aeterna personae missae a persona mittente diserte docet:

« Quia Filius amatur a Patre, et tamen ad passionem mittitur, ita et discipuli a Domino amantur, qui tamen ad passionem mittuntur in mundum. Itaque dicitur: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (Ioa. XX, 21), id est, ea vos caritate diligo, cum inter scandala persecutorum mitto, qua me caritate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit. *Quamvis mitti etiam iuxta naturam divinam possit intelligi; eo enim ipso a Patre Filius mitti dicitur, quo a Patre generatur.* Nam sanctum quoque Spiritum, qui cum sit aequalis Patri et Filio, non tamen incarnatus est, idem se Filius mittere perhibet dicens: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre* (Ioa. XV, 26). Si enim mitti solummodo incarnari deberet intelligi, sanctus procul dubio Spiritus nullo modo diceretur mitti, quia nequaquam incarnatus est. *Sed eius missio ipsa processio est, qua de Patre procedit et Filio. Sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia procedit, ita Filius non incongrue mitti dicitur, quia generatur* (2).

(1) Cum Leontius (vel ejus coaetaneus, *Librorum contra Nestorianos* auctor) in primo saeculi VI dimidio vixerit, Rusticus vero in ejusdem saeculi altero dimidio, huic conjecturae aliqua difficultas inde oriri possit, quod Rusticus loquitur *de antiquis;* quam levem existimamus, sicut levem habemus aliam, quam quis movere possit ex plurali: *Quidam antiquorum.*

(2) *Homilia* XXVI *in Evangelia,* 2, P. L., t. LXXV, col. 1198. Pseudo-Alcuinus, *Liber de Spiritu Sancto,* P. L., t. CI, col. 75; Monachi Benedictini Montis Oliveti, *Epist. ad Leonem papam* (anno 808), P. G., XCIV, col. 207; Theodulphus Aurelianensis, *De Spiritu Sancto,* P. L., t. CV, col. 269; Aeneas Parisiensis, *Liber adversus Graecos,* P. L., t. CXXI, col. 711, hunc locum laudant.

Nihil sane explicitius inveniri possit contra sententiam theologorum graeco-russorum, asserentium missionem temporalem Spiritus Sancti esse aliquid omnino diversum ab eius processione aeterna, nec illam in hac suum fundamentum habere.

In suo magno opere inscripto: *Moralia*, item haec habet:

« Bene in Evangelio scriptum est: *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat* (Ioa. I, 33). In cunctos namque fideles Spiritus venit, *sed in solo mediatore singulariter permanet, quia eius humanitatem nunquam deseruit ex cuius divinitate procedit.* In illo igitur manet, qui solus et omnia semper potest... Mediator autem Dei et hominum homo Christus Iesus in cunctis eum et semper et continue habet praesentem, *quia et ex illo idem Spiritus per substantiam profertur...* Dissimiliter ergo Spiritus in illo manet, a quo per naturam profertur (1).

« Palam quippe de Patre annuntiare se asserit, quia per patefactam tunc maiestatis suae speciem et quomodo ipsi gignenti non impar oriatur, *et quomodo utrorumque Spiritus, utrique coaeternus, procedat ostendit.* Aperte namque tunc videbimus quomodo hoc quod oriendo est ei de quo oritur, subsequens non est, *quomodo is qui per processionem producitur a proferentibus non praeitur* » (2).

In ipso libro *Dialogorum*, qui a S. Zacharia papa (741-752) graece redditus est et per totum Orientem vulgatus, haec leguntur:

(1) *Moralium* l. II, c. 66, *P. L.*, t. LXXV, col. 598-600. Hunc locum item recitant Theodulphus Aurelianensis et Aeneas Parisiensis in operibus supra citatis.

(2) *Mor.* l. XXX, c. 4, P. L., t. LXXVI, col. 533-534. Cf. *Moral.* l. I, c. 22, P. L., t. LXXV, col. 541: « Pro apostolis de praedicatione redeuntibus Patrem Redemptor exoravit. Bene autem mittendo sanctificare dicitur, *quia dum Spiritum Sanctum, qui a se procedit,* discipulorum cordibus tribuit, quidquid culpae inesse potuit, emundavit ». Cf. etiam l. V, c. 36, *ibid.*, col. 715: « Quid

« Ipsa quoque Veritas, ut fidem discipulis augeret, dixit: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos* (Ioa. XVI, 7). *Cum enim constet quia Paracletus Spiritus a Patre semper procedat et Filio*, cur se Filius recessurum dicit, ut ille veniat, qui a Filio nunquam recedit » (1).

12° Saeculo VII, testimonia circa processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio in Ecclesia hispanica potissimum abundant. De fidei professionibus synodorum Toletanarum et aliarum iam supra locuti sumus. Eodem saeculo floruerunt tum S. Isidorus Hispalensis († 636) tum S. Hildefonsus Toletanus († 667). Uterque dogma catholicum diserte profitetur.

Secundum Isidorum: « Spiritus Sanctus ideo praedicatur Deus, *quia ex Patre Filioque procedit et substantiam eorum habet....* Proprio modo quodam dicitur Spiritus Sanctus secundum quod refertur ad Patrem et Filium, quod eorum Spiritus sit... Hoc autem interest inter nascentem Filium et procedentem Spiritum Sanctum, quod Filius ex uno nascitur, Spiritus Sanctus ex utroque procedit, et ideo dicit Apostolus: *Qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius* (Rom. VIII, 9)... Pater solus non est de alio: ideo solus appellatur ingenitus. Filius solus de Patre est natus; ideo solus dicitur genitus. *Spiritus Sanctus solus de Patre et Filio procedit;* ideo solus amborum nuncupatur Spiritus » (2).

---

per vocem aurae lenis nisi cognitio Sancti Spiritus designatur, *qui de Patre procedens et de eo quod est Filii accipiens*, nostrae tenuiter notitiae infirmitatis infunditur? » Theodulphus et Aeneas haec verba etiam exscribunt.

(1) *Dialog.* l. II, c. 38, P. L., t. LXVI, col. 204. Versio graeca hujus loci, a Zacharia papa facta, ab originali latino notabiliter discrepat, ut infra dicimus, p. 222. Certum est tamen textum latinum esse genuinum, ut constat ex *cod. lat. B.* 159 bibliothecae Ambrosianae Mediolanensis, anno 747 - ergo sub ipso pontificatu Zachariae - exarato.

(2) *Etymologiarum* l. VII, c. II, 1, 8; c. IV, 4, P. L., t. LXXXII, col. 268, 271.

Nec obliviscitur notare doctor Hispanus Patrem et Filium unum esse principium Spiritus Sancti:

« Spiritus Sanctus, inquit in libro I *Sententiarum*, Patris et Filii est, et inde unum sunt Pater et Filius, quia nihil habet quod non habet Filius. Non enim res una et duorum consustantialis poterit *simul ab eis procedere et simul inesse, nisi unum fuerit a quibus procedit* » (1).

Hildefonsus, in *Libro de cognitione baptismi*, ea quae habet Isidorus in suis *Etymologiis* ad verbum repetit (2).

13° Saeculo VIII, controversiae de processione Spiritus Sancti inter Graecos et Latinos iam incipiunt, dum per omnes fere Ecclesias Occidentis additio vocis *Filioque* ad symbolum nicaeno-constantinopolitanum vulgatur, ut in articulo sequenti dicetur.

IV. — *Photius ejusque discipuli de traditione latina octo priorum saeculorum.*

Photius. — Mirandum omnino est quod Photius, in suis scriptis polemicis contra dogma catholicum, de Patrum graecorum doctrina, quam certo bene noverat, vix aliquid protulerit; de traditione vero Ecclesiae occidentalis, quam fere ex toto ignorabat, longum sermonem fecerit.

Continuitatem et unanimitatem traditionis latinae illum latuisse exinde constat: 1° quod *quibusdam* tantum Latinis tribuat sententiam quae tenet Spiritum Sanctum a Patre et Filio

(1) *Sent.* l. I, 15, P. L., t. LXXXIII, col. 568.

(2) *De cognitione baptismi*, cc. 55, 59, P. L., t. XCVI, col. 134, 135.

procedere (1); 2° quod inter Patres latinos, qui hac formula usi fuerint, tres tantum nominatim designet, Ambrosium scilicet, Hieronymum (2) et Augustinum, addens *quosdam alios*, τινὰς ἑτέρους, ejusdem sententiae fuisse (3); 3° quod ad testimonium quorumdam Patrum provocet, qui doctrinam catholicam explicite tradiderunt, ut Damasus papa (4), Leo Magnus (5), Gregorius Magnus (6). Caeterum Latinis, sicut et Graecis, sicut et sacris libris, *suum canonem interpretationis* accommodat, qui sic enuntiari potest: *Propositio simpliciter affirmativa propositioni exclusivae aequivalet*: Quicumque simpliciter asserit: *Spiritus Sanctus ex Patre procedit*, ille dicere censendus est: *Spiritus Sanctus a Patre* SOLO *procedit*. Hac interpretatione fretus, plures Romanos Pontifices, qui in suis litteris ad Orientales aliquando scripserunt: *Spiritus ex Patre procedit*, ad suas trahit partes; inter quos veniunt non solum papae mox memorati, sed etiam Vigilius (538-555) Agatho (678-681), Hadrianus I (774-795), Leo III (795-816), quem Photius cum Leone IV (847-855) confundit, Benedictus III (855-858), Ioannes VIII (872-882), quem *suum Ioannem* vocat, qui per suorum legatorum manus symbolo nicaeno-con-

(1) Cf. *Epist. ad sedes Orientis*, 4, P. G., t. CII, col. 724 B, ubi solos Latinos in Bulgariam a Nicolao I papa missos directe carpit; *Epist. ad archiepiscopum Aquileiensem*, 3, *ibid.*, col. 797 A (τινὲς τῶν ἀνὰ δύσιν). In *Mystagogia Spiritus Sancti* jactat plerosque papas sui temporis docere Spiritum Sanctum a Patre solo procedere, *ibid.*, col. 361-381.

(2) Mirum est quod S. Hieronymum inter testes τοῦ *Filioque* recenseat, quandoquidem hujus Patris vix aliquod testimonium directum et explicitum pro doctrina catholica afferri potest. Illum hanc doctrinam revera tenuisse exinde potissimum colligimus quod librum Didymi de Spiritu Sancto latine reddidit.

(3) *Mystagogia*, 66, col. 344 B C.

(4) Cf. supra, p. 116-117.

(5) Vide supra, p. 91, n. 5 et p. 210.

(6) Supra, p. 217-219.

stantinopolitano subscripsit in synodo anni 879-880 in templo S. Sophiae habita. Porro insistit potissimum in testimonio S. Gregorii Magni et S. Zachariae papae (741-752):

« Quomodo, inquit, silentio praeteream Romanos Pontifices Gregorium et Zachariam, viros qui et virtute claruerunt et divinae sapientiae doctrinis gregem suum auxerunt, immo et miraculorum donis effulserunt? Etenim licet neuter eorum in concilio oecumenico consederit, attamen palam et luculenter ad imitationem illorum [iam memoratorum] Spiritum ex Patre procedere docuerunt... Hi duo igitur divini viri, sub *secundi Dialogi* finem..., alter latina lingua, alter graeca interpretatione, post alia multa, haec subjiciunt: *Paraclitus Spiritus a Patre procedit et in Filio permanet*: Τὸ Παράκλητον Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς προέρχεται καὶ ἐν τῷ Υἱῷ διαμένει » (1).

Ut vides, Photius hic loquitur de loco *Dialogorum* S. Gregorii Magni supra laudato (2), qui latine sic sonat: *Cum constet quia Paraclitus Spiritus a Patre semper procedat et Filio*, in ipso *codice Ambrosiano B.* 159, anno 747, sub ipso Zachariae pontificatu scripto (3). Anno 809, monachi Benedictini Montis Oliveti, in sua *Epistola ad Leonem papam III*, eadem item verba latina in opere Gregorii legunt (4). Nullus ergo adest dubitandi locus de lectionis latinae authenticitate. Ergo Photius, quem aliunde scimus linguae latinae ignarum fuisse, textum latinum verbis graecis, quae recitat, respondentem

(1) *Mystagogia Spiritus Sancti*, 84, P. G., *t. cit.*, col. 368-369.

(2) P. 219.

(3) *Codex Ambros. lat. B* 159 exaratus est a quodam Georgione pro Anastasio, abbate monasterii Bobbiensis, anno 747. In fol. 91, ut anno 1908 nobis comiter rescripsit Ambrosianae bibliothecae praefectus, A. Ratti, nunc S. S. Pius papa XI, legitur lectio vulgata *Dialogorum*: *Cum enim constet quia Paraclitus Spiritus ex patre semper procedat et filio.*

(4) Cf. P. L., t. CXXIX, col. 1257-1259; P. G., t. XCIV, col. 206-207.

certe non legit, sed putavit ita latine scripsisse Gregorium, sicut graece vertisse legebat Zachariam. Gravis autem quaestio est utrum Zacharias papa ita revera graece reddiderit Gregorii verba, sicut suo tempore legebat Photius et sicut ferunt codices omnes hactenus noti versionis graecae *Dialogorum* Gregorii, an falsarius quidam, post Zachariam, vel etiam adhuc eo vivente, textum graecum de industria corruperit et formulam latinam *ex Patre procedit et Filio* in hanc mutaverit: « ἐκ τοῦ Πατρὸς προέρχεται καὶ ἐν τῷ Υἱῷ διαμένει »: *ex Patre procedit et in Filio permanet.* Huic quaestioni alii aliud responsum dederunt. Iam saeculo IX, Ioannes Diaconus, qui, Ioanne papa VIII postulante, *Vitam S. Gregorii* conscripsit (1), Graecos versionem graecam *Dialogorum,* in loco ubi agitur de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, adulterasse conqueritur (2); cui assensus est Petavius (3) et recenter P. Snopek (4). Alii, ut Petrus Goussanville, in *Praefatione in Dia-*

(1) Hanc Gregorii *Vitam,* ubi absoluta est, approbavit ac edere jussit Joannes VIII; ex quo colligere potes hunc pontificem de processione Spiritus Sancti idem sensisse quod illo tempore Occidentales omnes. In hac *Vita* enim Joannes Diaconus professionem fidei refert, quam Gregorius, sui pontificatus initio, recitaverit, in qua haec leguntur: « Credo in unum Deum omnipotentem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, tres personas, unam substantiam, Patrem ingenitum, Filium genitum, *Spiritum vero Sanctum nec genitum, nec ingenitum, sed coaeternum, de Patre et Filio procedentem* ». *Vita S. Gregorii,* l. II, 2, P. L., t. LXXV, col. 87-88. In hac *Vita* item, ut hic dicimus, Joannes Diaconus Graecos accusat quod versionem graecam *Dialogorum* falsaverint.

(2) *Vita Gregorii,* l. IV, 75, *P. L., t. cit.,* col. 225: « Quos libros [*Dialogorum*] Zacharias, sanctae Ecclesiae Romanae episcopus, graeco latinoque sermone doctissimus, temporibus Constantini imperatoris post annos ferme centum septuaginta quinque in graecam linguam convertens, orientalibus Ecclesiis divulgavit, *quamvis astuta Graecorum perversitas, in commemoratione Spiritus Sancti a Patre procedentis nomen Filii suaptim radens abstulerit* ».

(3) *De Trinitate,* l. VII,c. VII, 6, ed. *Antuerp.,* 1700, t. II, p. 392.

(4) *Acta primi Conventus Velehradensis,* Pragae Boh., 1908, p. 92.

logos S. Gregorii Magni (1) et Franzelin (2) adulterationis accusant ipsum Photium; quod omni verisimilitudine carere iure dicunt tum Scipio Maffeus (3), tum Hergenröther (4). M. Lequien, e contra, animadvertens lectionem graecam contextui perfecte congruere, opinatus est hanc genuinum Gregorii textum referre; quem librarii latini sive consulto, sive inscie adulteraverint (5). Ad hanc sententiam propendet Hergenröther, dum codices textus originalis lectiones variantes forsan praetulisse insinuat (6). Verum huiusmodi hypotheses nullo positivo fundamento nituntur; quibus adversantur codices omnes, tum antiquiores, tum recentiores. Inter antiquiores autem versionis graecae testes invenitur *codex Vaticanus* 1666, anno 800 *latina et romana manu* exaratus, qui criticos supra memoratos latuit (7). In hoc, fol. 81 v, locus *Dialogorum* sic se habet:

---

(1) Cf. P. L., t. LXXVII, col. 145. Cum in sua *Bibliotheca*, cod. 252, P. G., t. CIV, col. 100, Photius magnas det laudes Gregorio, Goussanville suspicatur Photium jam eo tempore, quo suam *Bibliothecam* conscribebat, de dogmate catholico impugnando cogitasse et locum Dialogorum ideo interpolasse.

(2) *Examen doctrinae Macarii Bulgakov de processione Spiritus Sancti*, Romae, 1876, p. 108.

(3) *Notes à la vie de saint Zacharie*, P. L., t. CXXVIII, col.1079-1080.

(4) *Photius, Patriarch von Konstantinopel* t. II, p. 546, n. 111; *t.* III, p. 427; *Mystagogia Spiritus Sancti, Ratisbonnae*, 1857, p. 91.

(5) *Dissertatio Damascenica* I, 22, P. G., t. XCIV, col. 217-218: « Quod vero spectat ad Gregorii locum qui habetur in *Dialogis*, l. II, c. 38, sincerus dicam magis arridere lectionem quam praefert graeca translatio ».

(6) *Photius*, t. II, p. 547 in nota.

(7) *De codice Vaticano* 1666 haec habet Batiffol in commentario *Mélanges d'archéologie et d'histoire*, t. VIII (1888), p. 300-306: « Il faut admettre que notre manuscrit vient de Rome, comme nous savons qu'il en venait aisément de Rome à Rossano, au temps de saint Nil... La calligraphie vient confirmer cette vue. L'onciale de notre scribe n'a rien de l'onciale grecque de la fin du VIII[e] et du commencement du IX[e] siècle. Elle rappelle plutôt la calligraphie des manuscrits latins en onciale dite *romaine*. On n'aura qu'à comparer, pour s'en convaincre, le *Vaticanus* 1666 avec l'*Ambrosianus B* 159 ». Atqui hic *Ambrosianus* est latinus

« Φανερὸν οὖν ὑπάρχει, ὅτι τὸ Παράκλητον Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς προέρχεται καὶ ἐν τῷ Υἱῷ διαμένει ».

Ergo ad hanc devenimus conclusionem, quae nobis videtur omnino certa, scilicet quod ipse Zacharias proprio motu formulam latinam Gregorii ita graece reddendam iudicavit. Nec de hoc triumphum agere habent Photius eiusque sequaces. Formula enim graeca a Zacharia usurpata apud plures Patres graecos occurrit, quos ut disertos doctrinae catholicae testes supra laudavimus, v. g., apud Athanasium, Didymum (1). Cyrillum Alexandrinum (2), Ioannem Damascenum (3). Et revera haec quoad sensum formulae latinae: *A Patre Filioque procedit* respondet, quamvis aliqua obscuritate involvatur. Significat enim Spiritum Sanctum ex Patre quidem tanquam ex fonte originali, ex principio primordiali oriri; *at vero per Filium quasi transire ut ad existentiam prodeat, nec ultra vel extra illum progredi, sed in ipso et quasi in eius sinu permanere ac requiescere,* sicut ipse Filius in Patris sinu quiescit (4). Est alius modus exprimendi conceptum Graecorum

---

ille codex Gregorii *Dialogos* continens, qui, ut mox diximus, anno 747 scriptus est. Nota insuper librarium *Vaticani* 1666 latinum fuisse vel latinizantem, quippe qui in fine libri II *Dialogorum* in eadem phrasi latinum cum graeco miscet: *Ora pro me* Τοῦ γράφαντος,ὅτι δύστηνός εἰμι.

(1) Τὸ Πνεῦμα ἐκπορεύεται παρὰ τοῦ Πατρὸς καὶ μένει παρὰ τῷ Υἱῷ θεϊκῶς. *De Trinitate,* l. I, 31, P. G., t. XXXIX, col. 425.

(2) Cyrillus, qui saepius dicit Spiritum ἐκ τοῦ Υἱοῦ προϊέναι, εἶναι, saepe etiam docet eumdem *in Filio manere,* ἐν αὐτῷ μένει. Cf. de Régnon, *op. cit.,* p. 146.

(3) Cf. *De fide orthodoxa,* l. I, c. 8, 73, P. G., t. XCIV, col. 821, 857: « Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ ἐκ Πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ ἐν Υἱῷ ἀναπαυόμενον. — Θεὸς καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιόν ἐστι, δύναμις ἁγιαστική, ἐνυπόστατος, ἐκ τοῦ Πατρὸς ἀδιαστάτως ἐκπορευομένη καὶ ἐν Υἱῷ ἀναπαυομένη, ὁμοούσιος Πατρὶ καὶ Υἱῷ ».

(4) Hic modus exprimendi relationes personarum divinarum ad invicem in quibusdam ecclesiis Occidentis et Orientis arte graphica repraesentatur: « Dans la grande église du monastère de Saint-Serge de Troïtza, à soixante kilomètres de Moscou, se trouve un tableau représentant la sainte Trinité placé

eorumque diagramma trinitarium. Immerito ergo ad auctoritatem Gregorii et Zachariae Photius provocavit, ut suam sententiam haereticam de processione Spiritus Sancti a Patre solo firmaret (1).

Quaeri autem potest quare Zacharias papa textum latinum Gregorii ita graece vertere voluerit. Responsio non est adeo difficilis. Ut alibi scripsimus:

« Qu'on veuille bien se rappeler tout d'abord que Zacharie était un Grec, et un Grec très versé dans la littérature de l'Orient, né de parents hellènes dans l'Italie méridionale. D'après Jean Diacre, il était *graeco sermone doctissimus* (2); d'après Anastase le Bibliothécaire: *suo prudentissimo studio quatuor Dialogorum libros in graeco transtulit eloquio* (3). Un acrostiche placé en tête du *Vaticanus* 1666 l'appelle ὁ πάνσοφος Ζαχαρίας. Or, quelqu'un qui connaissait jusque dans ses nuances les plus délicates la théologie trinitaire de l'Orient, telle qu'elle venait de se fixer dans la *Foi orthodoxe* de saint Jean Damascène, ne pouvait écrire, sans choquer ses lecteurs grecs et s'exposer à soulever leurs protestations: « Τὸ Πνεῦμα προέρχεται (ou ἐκπορεύεται) ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ». Ces

---

au centre de la partie superieure de l'Iconostase: Dieu le Père est assis sur un trône; il tient sur ses genoux son Fils, qui porte sur sa poitrine le Saint-Esprit ». *Etudes de théologie, de philosophie et d'histoire publiées par les PP. Charles Daniel et Jean Gagarin S. J.*, t. I, Paris, 1857, p. 441.

(1) Nota Photium, in *Mystagogia*, 85, 86, col. 371-374, verba: ἐν τῷ Υἱῷ διαμένει referre ad Filium Dei non quatenus Deus est, sed quatenus homo est, super quem scilicet descendit Spiritus Sanctus in formam columbae, quando in Jordane a Joanne baptizatus est. Patres vero locutionem intelligunt de aeterna relatione Spiritus Sancti ad Filium. Oblivioni dat Photius haec Athanasii verba, *De Incarnatione Domini et contra Arianos*, P. G., t. XXVI, col. 997: « Ἐκ τοῦ Υἱοῦ οὖν εἰς αὐτόν κατῄει τὸ Πνεῦμα, ἐκ τῆς θεότητος αὐτοῦ εἰς τὴν ἀνθρωπότητα αὐτοῦ ».

(2) P. L., t. LXXV, col. 225.

(3) *Vita Zachariae*, P. L., t. CXXVIII, col. 1060.

protestations se seraient produites d'autant plus facilement et auraient été d'autant plus dangereuses qu'à l'époque du pape Zacharie il y avait rupture ouverte entre l'Orient et l'Occident, à cause de la querelle iconoclaste, qui battait alors son plein. Zacharie se souvenait sans doute de l'incident provoqué à Constantinople, un siècle auparavant, par la traduction grecque des lettres synodiques du pape, où on lisait: Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ Πατρὸς κἀκ τοῦ Υἱοῦ, et de la recommandation donnée aux Romains, à cette occasion, par S. Maxime dans sa *Lettre à Marin de Chypre* (1): de traduire eux-mêmes en grec leurs formules pour éviter toute équivoque... C'est pourquoi il fit preuve à la fois *de beaucoup de science et de beaucoup de prudence* (*suo prudentissimo studio*) en traduisant comme l'on sait le passage des *Dialogues* relatif à la procession du Saint-Esprit » (2).

Quod si quaeras quare formulam supra indicatam selegerit, quae obscurior est, loco illius quae communior apud Graecos ac clarior erat, nempe: Τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ προέρχεται, responsio item in promptu est: Illam aliis anteposuit, quia cum contextu melius congruebat. In contextu enim Gregorius verba Christi: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos* (Ioa. XVI, 7) explicare intendit, et quaerit quare Christus ita locutus fuerit, *cum constet quia Paraclitus a Patre* SEMPER PROCEDAT *et Filio*. Ex hoc enim quod Spiritus *semper* procedit a Filio, constat alterum ab altero nunquam separari: *Cur ego*, ait Gregorius, *Filius se recessurum dicit*,

---

(1) Cf. supra, p. 185-186.

(2) M. Jugie,, *Le passage des Dialogues de saint Grégoire relatif à la procession du Saint-Esprit*, in commentario *Echos d'Orient*, t. XI, p. 328. *Ibid.*, p. 321-331, totam de hac quaestione discussionem invenies, quam hic paucis contrahimus.

ut ille veniat qui a Filio nunquam recedit? **Horum verborum sensum adeo convenienter reddit versio graeca** (Φανερὸν οὖν ὑπάρχει, ὅτι τὸ παράκλητον Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς προέρχεται καὶ ἐν τῷ Υἱῷ διαμένει. Τίνος οὖν χάριν ἑαυτὸν ὁ Υἱὸς πορευθῆναι λέγει, ἵνα ἐκεῖνος ἔλθῃ, ὅστις οὐδέποτε ἀπ' αὐτοῦ ἐχωρίσθη;), **ut M. Lequien textum genuinum latinum ei *ad verbum* respondere putaverit.**

Sed de Gregorio et Zacharia satis. Ex supra dictis vides Photium pro suo novo dogmate nihil revera apud Latinos venari potuisse. Cum autem sat obscure cognoverit quosdam Occidentales, ex quibus Ambrosium, Hieronymum et Augustinum nominat, docuisse Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere, eius agendi rationem erga hos Patres notare debemus. Mira enim cum versutia, variorum sophismatum ac effugiorum ope, ab eorum auctoritate se expedit.

1° Primum quidem, inquit, « unde fides haberi potest, post tot annos elapsos, horum Patrum scripta non fuisse per malitiam depravata (1)? »

2° Doctrina Christi et Apostolorum dictis Patrum Latinorum est anteponenda. Hi vero excusandi sunt, si quid dominicae voci contrarium protulerint (2).

3° Si decem, vel etiam viginti ex Patribus, hanc vocem [= *a Filio procedit Spiritus*] emiserunt, sexcenti vero ac innumeri non dixerunt, nonne illos qui numero superant alios audire debemus (3)?

4° Patres homines erant et in errorem labi potuerunt sive ex ignorantia, sive ex negligentia, sive etiam per dispensationem seu indulgentiam (= οἰκονομίᾳ) **erga auditores vel erga**

(1) *Myst.*, 71, *loc. cit.*, col. 352.

(2) *Epist. ad Aquil.*, 16-18; *Mystag.*, 66-68, col. 344-348.

(3) *Ad Aquil.*, 16, col. 809.

haereticos, quos ad fidem allicere intendebant; nunquam vero in errore obstinati vel contumaces inventi sunt. Huius autem dispensationis seu οἰκονομίας quaedam exempla Photius affert: « Paulus, inquit, Iudaeis factus est tanquam Iudaeus, ut illos lucraretur; iis vero qui sine lege erant factus est ut qui sine lege, ut eos lucrifaceret. Sanctus Basilius divinitatem Spiritus Sancti praedicare quandoque omisit, ut tempore opportuno, validiore voce, id quod tacuisset, publicaret, etc., etc. (1) ».

5° Caeterum, quorumdam Patrum doctrinam Ecclesia aperte reiecit, quin illos probro afficeret; v. g., quaedam opera a Clemente Romano conscripta non suscepit (2); Dionysius Alexandrinus, dum contra Sabellium fervide disputat, Ario propemodum protendit manum; Methodius Patarensis censet angelos passionibus et sensualitati obnoxios esse; Pantaenus, Clemens Alexandrinus, Pierius, Pamphilus, Theognostus quaedam dixerunt, quae non admittuntur hodie. Idem dicendum de quibusdam Patribus occidentalibus, v. g., de Irenaeo, Lugdunensi episcopo, et Hippolyto eius discipulo (3).

6° Si Latini pneumatomachi suos Patres vere diligerent, probos Noe filios imitarentur ipsorumque defectus silentio tegerent, dum e contra Chamo nunc peiores fiunt Patrum turpitudinem patefaciendo et in hac audacia gloriando (4).

Theologi photiani. — Si nunc quaeramus quid discipuli Photii de Patrum latinorum doctrina saeculorum decursu senserint, inveniemus illos vestigiis magistri plerumque

(1) *Ad Aquil.*, 16-20; *Myst.*, 68, 72-74, 77, col. 809-813, col. 345-348, 352-360.

(2) Agitur de scriptis pseudo-clementinis.

(3) *Myst.*, 75, col. 356-357; *Epist. ad Aquil.*, 21, col. 813-816, ubi loco Hippolyti venit Papias Hierapoleos. Alludit ad errorem chiliasmi.

(4) *Ad Aquil.*, 16, 17, col. 809-812; *Myst.*, 67, 69, 70, col. 345-352.

inhaesisse, quanquam duae periodi sedulo distinguendae sunt, byzantina scilicet et moderna.

Per totam periodum byzantinam, polemistae antilatini de Patribus latinis plerumque tacent, eo quod illos non melius noverunt quam Photius ipse. Ex fontibus graecis semper hauriunt; ad solas graecas auctoritates semper provocant. Solus Augustinus, inde a saeculo XIV, quibusdam illorum satis bene innotuit ex versione graeca *Librorum de Trinitate* a Maximo Planude facta. Si vero de illis Patribus aliquando sermonem faciunt, ab eorum auctoritate photiana libertate se expedire solent.

1° Primum quidem illis solemne est in dubium vocare authenticitatem eorum locorum, in quibus Patres diserte asserunt Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere. Hoc interpolationis argumento potissimum usus est Marcus Ephesius in concilio Florentino (1).

2° Dicunt Patres singillatim sumptos non esse infallibiles, sed errare potuisse. Hanc rationem saepius urget G. Scholarius ad minuendam sancti Augustini auctoritatem (2).

3° Addunt Patres haud semper *dogmatice* locutos fuisse, sed *contentiose* adversus haereticos certando, οὐ διδασκαλικῶς ἀλλὰ ἀγωνιστικῶς, quod Photius etiam dixerat.

4° Si omnino impossibile esset, aiunt, demonstrare Latinos cum Orientalibus seu Asiaticis de processione Spiritus Sancti convenire, praeponendi essent Orientales, vel quod numero praevaleant (3), vel quod eorum doctrina cum dictis sacrae Scripturae et synodorum magis congruat (4).

---

(1) Cf. M. Jugie, *Theol. Orientalium*, t. II, p. 403-404.

(2) Cf. *Oeuvres complètes de G. Scholarios*, t. II, p. 54-65; t. III, p. 50-56.

(3) Ita M. Glykas. Cf. Jugie, *op. cit.*, p. 301, n. 2.

(4) Ita G. Scholarius, *Oeuvres complètes*, t. III, p. 61.

In periodo moderna, Graeco-Russi traditionem Ecclesiae occidentalis haud ignorant. Attamen veterum polemistarum effugiis rarius abstinent. Ubi vero concedunt Patrum latinorum dicta non fuisse corrupta, asserere non dubitant formulam *a Patre Filioque vel ab utroque* ab his Patribus usurpatam non eum habere sensum, quem nunc Catholici ei attribuunt, sed plerumque referri ad missionem seu processionem temporalem; vel ad unam ex variis explicationibus illius διὰ τοῦ Υἱοῦ a se excogitatis eam reducunt. Hanc interpretandi rationem in periodo byzantina iam adhibuerant Iosephus Bryennius, Georgius Scholarius et quidam alii (1). Apud modernos autem omnino communis est ante Collationes Bonnenses (1874-1875). Illam invenimus apud Meletium Pigam († 1601), Gabrielem Severum († 1616), Georgium Coressium († 1641), Zernikavium († post 1682), Theophanem Procopovitch († 1736) (2). Hanc exegesim accommodant ad ipsa adeo diserta Augustini testimonia. Ad dictionem autem *procedere principaliter* quod attinet, quidam, ut Meletius Pigas, de processione aeterna seu *hypostatica* illam interpretantur; alii, ut Georgius Coressius, ad missionem temporalem eam detorquent (3).

Evidentiae historicae cedere non incipiunt ante saeculi XIX alterum dimidium, praesertim sub influxu Veterum Catholicorum et Anglicanorum, quibuscum unionem perficere tentant. Ab hoc tempore, plerique iam fatentur Augustinum doctrinam catholicam revera docuisse. Caeterum, ex una parte, eius influxum exaggerant, dum dicunt illum huius doctri-

(1) Cf. M. Jugie, op. cit. t. II, p. 390, 412-413.
(2) *Ibid.*, p. 426, 428, 431, 433, 438.
(3) *Ibid.*, p. 428, 431.

nae genuinum parentem fuisse; ex alia vero, eiusdem auctoritatem deprimunt, dum autumant eum non ex Revelationis fontibus, sed ex philosophicis suppositis catholicum dogma conclusisse; quod, si illis credas, non ut veritatem fidei, sed ut meram opinionem privatam proposuerit; siquidem de ipsa veritatis summa affirmant quod de aliquo eam explicandi tentamine sanctus doctor asseruit, ut iam supra notavimus. Nec hi recentes negant illud *Filioque* apud quosdam Patres latinos Augustino priores occurrere; sed contendunt hanc dictionem primitus non habuisse eam significationem, quam Augustinus illi praefixit (1), et dum ex eis aliqui sententiam augustinianam tanquam errorem reiiciunt, alii inter theologumena liberae electionis eam computare non dubitant. Pauci tantum his ultimis annis plenam veritatem confessi sunt, quam saeculo XII agnoverant Nicetas Nicomediensis et Nicetas Maronensis, saeculo vero XV definivit Florentinum, latinos Patres scilicet et graecos unam eamdemque de processione Spiritus Sancti doctrinam tenuisse formulis paulum diversis expressam. Sed de his fusius infra.

---

(1) Ita praesertim quidam Russi recentes post Basilium Bolotov († 1900). Cf. M. Jugie, *ibid.*, p. 465, 467, 476. A veritate historica quam longe adhuc aberrent quidam theologi dissidentes nostri aevi, ex sequenti affirmatione Chresti Andrutsi, in Universitate Atheniensi nunc professoris, judicare potes: *Historice loquendo,* inquit ille in suo opere: Δογματικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, Athenis, 1907, p. 80-81, *totus Patrum chorus processionem Spritus Sancti a Patre solo edocuit*: ἱστορικῶς πᾶσα ἡ χορεία τῶν πατέρων ἐδίδαξε τὴν παρὰ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπόρευσιν τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Idem tamen, in secunda editone suis operis: Συμβολικὴ ἐξ ἐπόψεως ὀρθοδόξου, pag. 149-159, Athenis, 1930, fatetur Augustinum aliosque Occidentales, ante saeculum IX, doctrinam in *Filioque* expressam revera tenuisse. Haec nova positio thesi classicae polemistarum omnino adversatur, quandoquidem hi volunt doctrinam Latinorum fuisse novitatem dogmaticam saeculo IX non antiquiorem, quae separationis Ecclesiarum et schismatis byzantini ex praecipuis causis una exstiterit.

ART. V. — DE ADDITIONE VOCIS « FILIOQUE » AD SYMBOLUM NICAENO-CONSTANTINOPOLITANUM IN OCCIDENTE ANTE PHOTIUM.

Praenotamina.

Circa controversiam de processione Spiritus Sancti inter Graecos et Latinos, duae quaestiones sedulo distinguendae sunt, scilicet *quaestio dogmatica* de veritate doctrinae catholicae, quae tenet Spiritum Sanctum non solum a Patre, sed etiam a Filio seu per Filium procedere; et *quaestio liturgica seu canonica,* quae respicit additionem voculae *Filioque* illi fidei confessioni quae *symbolum nicaeno-constantinopolitanum* vulgo nuncupatur; de cujus origine et auctoritate quaedam supra diximus (1); quae, ut notum est, ab omnibus Ecclesiis separatis Orientis recipitur et intra missarum solemnia ab antiquo recitatur. Hae duae questiones invicem quidem intime connectuntur et per saeculorum decursum, inde a Photio, immo vero ante Photium, plerumque simul exagitatae sunt; at vero, in se spectatae, ab invicem prorsus distinctae sunt ac diversae. Hanc distinctionem inter utramque quaestionem ipsi Graeci in concilio Florentino explicite fecerunt, quippe qui voluerunt, ut quaestio canonica de additione vocis *Filioque* ad symbolum prius tractaretur quam quaestio dogmatica. Polemistae autem antilatini, ipsius Photiis vestigiis inhaerentes, in suis scriptis, ad nostra usque tempora, utramque saepius miscuerunt ac confuderunt: quod sane ad rem illustrandam nihil confert, sed potius obscurat atque aequum de controversia praepedit judicium.

---

(1) Vide supra, p. 109-111.

In praesenti articulo de quaestione canonica et liturgica acturi sumus, nempe de additione vocis *Filioque* ad symbolum, quae in Occidente ante Photianum schisma facta est. Tria potissimum quaeremus, scilicet: 1° Quandonam primum facta, et ubinam recepta fuerit haec additio ante Photium; 2° Utrum Ecclesia romana proprie dicta illam receperit vel approbaverit ante Photium; 3° Utrum licite an illicite facta fuerit (1)

I. — *De origine et pervulgatione additionis vocis « Filioque » ad symbolum in Occidente ante Photium* (2).

De tempore quo additio facta est, tum Graeci, tum Latini saeculorum decursu haud pauca falsa protulerunt. Quidam ex Latinis haud semper clare distinxerunt inter symbola et fidei professiones occidentales, in quibus absque ulla controversia occurrit formula *A Patre Filioque procedit*, et ip-

(1) Nota hanc quaestionem in se spectatam nullius fere esse momenti tam sub aspectu dogmatico quam sub aspectu apologetico. Sub aspectu dogmatico nulla est, quia historice constat doctrinam catholicam, tam in Oriente quam in Occidente, sub diversis formulis ab universali Ecclesiae magisterio ante photianum schisma fuisse edoctam et in plerisque occidentalibus Ecclesiis etiam publice professam. Sub aspectu apologetico item vix attentione digna est. Admissa enim veritate doctrinae per additionem enuntiatae, quid impedire potuerit Ecclesiam, quominus hanc doctrinam etiam in formula nicaeno-constantinopolitam publice praedicaret? Ad historiam autem controversiae quod attinet, adeo grave exstitit ejusdem momentum, ut super quaestionem dogmaticam haud semel primas obtinuerit, ut infra dicetur.

(2) De additione ad symbolum historice, theologice et apologetice multi auctores catholici egerunt, inter quos praecipue notandi sunt: 1° Manuel Calecas, *Contra errores Graecorum*, I, IV, in *P. G.*, *t.* CLII, col. 187-212; L. Allatius, *De Ecclesiae occidentalis et orientalis perpetua consensione*, l. II, c. VI, Coloniae, 1648, p. 573-591; 3° ejusdem, *Contra Hottingerum*, c. XX, XXI, Romae, 1661, p. 499-569; 4° Bernardus de Rubeis (Rossi), *Dissertatio historica et do-*

sum symbolum nicaeno-constantinopolitanum. Multas in Occidente, ante Photium, fidei formulas exstitisse, in quibus dogma catholicum diserte profitetur, jam supra ostendimus (1). Porro, ubi de additione vocis *Filioque* cum Graecis agitur, solum nicaeno-constantinopolitanum respicitur, quod, ut notum est, in suo textu originali simpliciter praefert: *Qui a Patre procedit.*

Quidam theologi catholici diu affirmaverunt additionem Nicaeno-constantinopolitano factam fuisse anno 447, in quodam concilio Toletano, cujus decretum omnes Hispaniae ac Galliae Ecclesiae receperint (2). Verum haec sententia nullo documento historico valido fulcitur. Communiter nunc asserunt tum Catholici tum etiam quidam Graeco-Russi (3) additonem jam occurrere in symbolo nicaeno-constantinopolitano prout a Patribus concilii Toletani III (a. 589) recitatum est (4). Hoc tamen non est certum, quia in quibusdam

---

gmatica de additione vocis « Filioque » ad symbolum deque vano inde sumpto Graecorum scissionis praetextu (*Introductio in opera Georgii Cyprii*), in *P. G.*, t. CXLII, col. 143-220, qua nihil doctius, accuratius et abundantius de quaestione sub aspectu historico scriptum est; 5° Franzelin, *Examen doctrinae Macarii Bulgakov de processione Spiritus Sancti*, Romae, 1876, p. 168-209; ejusdem, *Tractatus de Deo trino*, ed. 3, Romae, 1881, p. 598-619; 6° A. Palmieri, *art. Filioque*, in *Dictionnaire de la foi catholique Vacant*, t. V, col. 2309-2343.

(1) Vide p. 115-120.

(2) Cf. v. g., Gaume, *Traité du St. Esprit*, Paris, 1890, t. II, p. 70; Tanquerey, *Synopsis theologiae dogmaticae*, t. I, ed. 3, Parisiis, 1896, p. 224, qui loquitur de quodam concilio *Galliciae* anni 447. In ultimis editionibus hujus operis hic locus correctus est. Cf. A. de Aldama, *El simbolo Toledano I*, in *Anal. Greg.*, t. VII, Romae, 1934, p. 124-131.

(3) Ita, v. g., Andrutsus, Συμβολικὴ ἐξ ἐπόψεως ὀρθοδόξου, ed 1, Athenis, 1901, p. 134, ed. 2, p. 158; Balanus, Περὶ ἁγίας Τριάδος, Athenis, 1911, p. 33; P. Svietlov, *Khristianskoe Vieroucenie* (*Fidei christianae doctrina*), ed. 3. t. I, p. 189, Kioviae, 1910.

(4) Cf. Mansi, *Ampl. coll. concil.*, t. IX, col. 981, ubi legimus: « *Credimus et in Spiritum Sanctum, dominum et vivificatorem ex Patre* ET FILIO *proce-*

Actorum hujus synodi codicibus deest additio *Filioque* (1). Valde vero probabile est, si non *ab ipsa* vel *in ipsa synodo,* saltem *statim post synodum* et consequenter ad canones et capitulum secundum ejusdem additionem factam fuisse et per totam Hispaniam receptam. Videmus enim hanc synodum: 1° contra arianam haeresim, quae illatenus in Hispania invaluerat, totam doctrinam catholicam de Trinitatis mysterio diserte confiteri, proponere ac rursum definire; 2° in specie, profiteri processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio (2) et eam suo tertio canone definire his verbis: « Quicumque Spiritum Sanctum non credit, aut non crediderit a Patre et Filio procedere, eumque non dixerit coaeternum esse Patri et Filio et coaequalem, anathema sit » (3); 3° praesertim vero suo secundo capitulo praecipere « ut per omnes Ecclesias Hispa-

---

dentem. Nota in hac versione nicaeno-constantinopolitani, quam Patres Toletani vocant *fidem sanctam quam exposuerunt* CL *Patres concilii constantinopolitani,* non minus quam duodecim lectiones variantes cum textu recepto tum latino tum graeco numerari; quod jure notat P. Svietlov, *op. cit.,* p. 189, ut fabulam evertat eorum polemistarum qui contendunt ipsam symboli *litteram* in nullo, etiam ab ipso Ecclesiae summo magisterio, immutari posse vi decreti Ephesini, de quo infra.

(1) Hoc notat ipse Mansi, loc. cit. Primae conciliorum editiones, ut animadvertit Adamus Zernikavius, *op. cit.,* ed. graeca E. Bulgaris, t. II, p. 315 (ut illa quae Coloniae Agrippinae anno 1530 edita est, et illa quae Parisiis, anno 1535) additionem non habebant. Unde S. Bellarminus, *Controversiae: De Christo,* II, 21, ed. Lugdun. 1596, t. I, p. 309, dicit: « In concilio Toletano III, celebrato anno 589, legitur symbolum sine ulla additione. In concilio Toletano VIII, recitatur hoc symbolum cum hac additione ». Fatendum est defectum additionis in quibusdam codicibus grave praebere argumentum sententiae Bellarmini, cui nos assentimur, quatenus putamus synodum primum recitasse formulam constantinopolitanam sine additione, suis autem decretis additioni ansam dedisse.

(2) « Spiritus Sanctus confitendus a nobis ac praedicandus est a Patre et Filio procedere ». Mansi, *loc. cit.,* col 9780.

(3) *Ibid.,* col. 985 A.

niae vel Gallaeciae, *secundum formam orientalium Ecclesiarum, concilii constantinopolitani, hoc est centum quinquaginta episcoporum, symbolum recitetur: ut priusquam dominica dicatur oratio, voce clara a populo decantetur; quo et fides vera manifestum testimonium habeat,* et ad Christi corpus et sanguinem praelibandum pectora populorum fide purificata accedant » (1). Haud dubium nobis videtur additionem vocis *Filioque,* si non antea, saltem quando hoc praeceptum de symbolo intra missarum solemnia decantando in praxim deductum fuit, tunc revera factam fuisse. Neque ad hanc introducendam speciali decreto opus fuit, sed *quasi sponte* ab Ecclesiis Hispaniae facta est, quatenus processio Spiritus Sancti a Patre et Filio ab omnibus tanquam ad fidem pertinens jam praedicabatur; neque hi Hispaniae episcopi vel sacerdotes alicujus culpae in conciliorum antiquorum decreta in hac re sibi conscii fuerunt, quemadmodum et intra ipsam synodum anni 589, in symbolo constantinopolitano latine reddendo haud pauca, ad verba quod attinet, nulla subdola intentione mutaverant.

Unde mirum non est ab illo tempore in synodis hispanicis nicaeno-constantinopolitanum cum additione vocis *Filioque* recitatum fuisse, ut, v. g., in synodis Toletana VIII (653),

(1) *Ibid.,* col. 983 A B. Patres Toletani, dum cantum symboli CL Patrum intra sacram liturgiam praescribunt, dicunt se Ecclesiarum orientalium consuetudinem amplecti. Revera scimus cantum symboli in missa in Ecclesiis monophysiticis, Petro Fullone auctore, inde ab anno 488 incepisse; quem morem in Ecclesiam constantinopolitanam invexit Timotheus I patriarcha (511-518), schismate Acaciano adhuc perdurante. Anno vero 568, Justinus II imperator omnibus Orientis Ecclesiis hunc ritum decreto praescripsit. Paucis post annis, ut vides, synodus Toletana Orientalium consuetudinem in Ecclesias Hispaniae introduxit. Cf. A. Lesley, *Annotationes ad Missale mixtum secundum regulam beati Isidori,* P. L., t. LXXXV, col. 555-556; H. Leclercq, *art. Messe mozarabe,* in *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie,* t. XI, col. 687.

Toletana XII (681), Toletana XVII (694), Meridensi (666), Bracarensi IV (675), etc. (1).

Ex Hispania mos cantandi vel recitandi symbolum constantinopolitanum ad Ecclesias Galliae et Germaniae gradatim transivit, et quidem cum additamento *Filioque.* Cum enim doctrina in formula *Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit* expressa ubique doceretur et explicite ab omnibus crederetur — erat etiam in symbolo *Quicumque* diserte declarata —, Ecclesiae illae de textu genuino nicaeno-constantinopolitani, prout graece habetur, nullo modo cogitarunt, sed formulam fidei, prout in Occidente vulgo legebatur et cantabatur, receperunt et cantaverunt. Inde factum est, ut plerique Occidentales mox crediderint symbolum nicaeno-constantinopolitanum, seu, ut multi dicebant, *fidem nicaenam,* hanc additionem ab origine habuisse; quin immo Graecos accusaverint, quod illam particulam de industria suppressissent (2).

---

(1) Mansi t. x, col. 1210; t. xi, col. 77, 154 1027; t. xii, col. 96.

(2) In *Capitulari* anno 794, post synodum Francofordiensem, ad Hadrianum I, a Carolo Magno misso, Tarasius Constantinopolitanus redarguitur quod non recte sentiat circa processionem Spiritus Sancti « *secundum Nicaeni symboli fidem,* sed ex Patre per Filium eum procedentem in suae credulitatis lectione profiteatur ». *P. L.,* t. xcviii, col. 1249. Cf. etiam *Libros Carolinos,* l. iv, *ibid.,* col. 1117, 1118: « *Ex Patre enim et Filio* Spiritum Sanctum, non ex Patre per Filium *recte creditur et usitate confitetur* ». Ex his patet theologos Caroli Magni putasse *nicaenam fidem,* id est symbolum nicaeno-constantinopolitanum, praeferre verba: *Et in Spiritum Sanctum, qui a Patre Filioque procedit.* Hoc pacto etiam explicatur quomodo cardinalis Humbertus, saeculo xi, Graecos accusaverit *quod a symbolo abscidissent Spiritus Sancti processionem a Filio.* (*Sententia adversus Michaelem Caerularium,* P. L. t. cxliii, col. 1003-1004); quomodo etiam in ipso concilio Florentino, Latini probare tentaverint additionem vocis *Filioque* ad symbolum in synodo oecumenica Nicaena ii factam fuisse, vetustissimi cujusdam codicis testimonio freti. Cf. *Acta*

Usus vero cantandi symbolum circa finem saeculi VIII, Carolo Magno instigante et in sua capella Aquisgranensi exemplum dante, inter Gallos et Germanos praesertim invaluit, ut ex testimonio Walafridi Strabonis († 849) comperimus (1). Anno 809, monachi Benedictini Montis Oliveti morem in Occidente tunc paene universalem sequuntur et in capella Caroli Magni, hunc sermonem: *Qui ex Patre Filioque procedit* se audivisse testantur (2). In quasdam etiam Italiae partes hic usus circa idem tempus invectus est, praeeunte Aquileiensi archiepiscopo Paulino II (776-802), qui synodo Francofordiensi interfuerat et ipse, anno 796, Forojulii (Cividale) quamdam synodum congregavit, in qua additionem vocis *Filioque* ad symbolum nicaeno-constantinopolitanum licitam esse nec antiquorum conciliorum praescriptis ullo modo contraire longo sermone probare conatus est, futuras — *vel forsitan jam prolatas* — Graecorum criminationes adversus hanc additionem repellens (3). S. Leo papa III, ut infra dicetur, consuetudinem cantandi symbolum in missa sistere ac penitus tollere frustra tentavit, ut hoc pacto additionem ipsam etiam supprimeret.

---

concilii Florentini (graeca, sess. V; latina, sess. VI). Potuerunt siquidem inveniri codices hujusmodi in bibliothecis Occidentis, quandoquidem nicaeno-constantinopolitanum semper cum illa additione exscribebatur.

(1) *De rebus ecclesiasticis*, c. 22: « Apud Gallos et Germanos, post dejectionem Felicis haeretici (nempe in synodo Francofordiensi anni 794), sub gloriosissimo Carolo Francorum rege damnati, idem symbolum *latius et crebrius* in missarum coepit officiis iterari ». *P. L.*, t. CXIV, col. 947.

(2) *Epistola peregrinorum monachorum in Monte Oliveti habitantium ad Leonem III pontificem romanum, P. L.*, t. CXIV, col. 1259.

(3) De hac apologia Paulini pro additione in articulo sequenti quaedam dicimus. Jam enim polemicum aerem contra Graecos spirat. Nota synodum Forojuliensem suo canone XV jubere, ut omnis christianus symbolum et orationem dominicam memoriter teneat. Cf. P. L., t. XCIX, col. 295.

Unde omnino certum est additionem in plerisque Ecclesiis Hispaniae, Galliae et Germaniae, item in Italia septentrionali saeculo IX ineunte jam receptam fuisse una cum usu cantandi symbolum in missa (1).

II. — *De tempore quo Ecclesia romana additionem vocis « Filioque » ad symbolum receperit.*

Certum omnino est Ecclesiam romanam ante Photium, et etiam Photii tempore, additionem ad symbolum nicaeno-constantinopolitanum non fecisse. Hoc constat tum ex agendi ratione Leonis papae III in causa monachorum Benedictorum Montis Oliveti, de qua in sequenti articulo sermo erit, tum ex

(1) Ex supra dictis patet opinionem Maximi Margunii, graeci theologi, († 1602), asserentis additionem ad symbolum jam sub Damaso papa, et quidem ante synodum oecumenicam II (a. 381), aliquot episcopis orientalibus etiam adstantibus, in quadam synodo romana factam fuisse, omni fundamente historico carere; de qua vide M. Jugie, *Theol. Orient.*, t. II, p. 422. Theologi unionistae Manuel Calecas († 1410), *Contra errores Graecorum*, l. IV, *P. G.*, t. CLII, col. 196, et Josephus Methonensis († post 1498), *Refutatio Marci Ephesini*, P. G., t. CLIX, col. 1033, Damaso papae item additionem attribuunt ex fontibus byzantinis sat obscuris, quorum valor historicus nullus est. Quomodo enim Damasus aliquid addere potuerit documento non solum Romae, sed etiam ubique fere tunc prorsus ignoto, cujus existentia et auctoritas nonnisi post concilium Chalcedonense innotuere, et quod Occidens latinus nonnisi sub Vigilio papa tanquam oecumenica auctoritate donatum recepit? Hujus opinionis quorumdam Graecorum origo forsitam repetenda est ex illa fidei professione quae *Fides Damasi* nuncupatur, quam supra, p. 117, memoravimus; vel etiam ex synodo romana anni 382, quae doctrinam catholicam de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio Scripturae sacrae testimoniis haud obscure proposuit, de qua vide quae supra diximus, p. 116. Errant item Calecas et Josephus Methonensis dum ex *Epistola Maximi Confessoris ad Marinum presbyterum*, de qua sermonem fecimus, p. 182-183, deducunt Ecclesiam romanam symbolum cum additione illo tempore recitavisse.

testimonio ipsius Photii ad romanos pontifices sui temporis, Joannem VIII scilicet († 882) ed Hadrianum III († 885) provocantis, qui symbolum absque ullo additamento et receperint et professi fuerint (1).

Quandonam autem Romani hanc additionem receperint, certo definire non possumus. Valde vero probabile est illos exemplum aliarum Ecclesiarum Occidentis secutos fuisse, quando et ipsi nicaeno-constantinopolitanum in missa cantare inceperunt. Hoc autem contigit anno 1014, die 14 Februarii, quo Henricus II, Germaniae imperator, coronatus est, Benedicto papa VIII (1012-1024) Petri cathedram tenente. Etenim Berno, Augiae Divitis abbas (= Reichenau) in suo libello: *De quibusdam rebus ad Missae officium pertinentibus, sequentia narrat*:

« [Symbolum post Evangelium] Romani usque ad haec tempora divae memoriae Henrici imperatoris nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati, cur ita agerent, *me coram adsistente*, audivi eos ejusmodi responsum reddere, videlicet, quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ullae haereseos faece infecta, sed secundum sancti Petri doctrinam in soliditate catholicae fidei permaneret inconcussa; et ideo magis his necessarium esse istud symbolum saepius cantando frequentare, qui aliquando ulla haeresi potuerunt maculari. At dominus imperator non antea desiit quam omnium consensu domino Benedicto persuasit, ut ad publicam missam illud decantarent. Sed utrum hanc consuetudinem servent adhuc, adfirmare non possumus, quia certum non tenemus » (2).

Canendo symbolum nicaeno-constantinolitanum, Romani utique illud cantare debuerunt secundum formam jam

(1) Cf. *Myst. Spiritus Sancti,* 89, *P. G.*, t. CII, col. 380-381.

(2) Berno Augiensis, *op. cit.*, cap. II, *P. L.*, t. CXLII, col. 1060-1061.

in omnibus fere aliis Occidentis Ecclesiis receptam, id est cum *Filioque.* Attamen notandum est Summum Pontificem de hoc nullum edidisse praeceptum, verum potius tolerasse, ut Romana Ecclesia in hoc aliarum Ecclesiarum usui se conformaret.

De hac autem quaestione polemistae Graeci triplicem sententiam protulerunt. Quidam enim contenderunt additionem in Ecclesia Romana receptam fuisse tempore Christophori papae (903); alii autem hoc contigisse sub Sergio papa III (904-911); alii demum sub Sergio II, patriarcha Constanstinopolitano (999-1019). Haec ultima opinio cum narratione Bernonis satis bene congrueret. Desunt tamen certa documenta confirmantia quod intendunt hujusmodi polemicae narrationes Byzantinorum de origine schismatis, nempe quod additio vocis *Filioque* ad symbolum separationis utriusque Ecclesae, Byzantinae et Romanae, princeps causa exstiterit. Ex compertis contrarium colligitur.

Quamvis Ecclesia romana, Photii tempore, additionem nondum receperit, attamen videmus Stephanum V (885-891) illam jam approbare et sua auctoritate firmare in *Commonitorio* ad legatos in Moraviam, post sancti Methodii mortem, missos (a. 886-887); siquidem in hoc *Commonitorio* haec occurrunt:

« Item Spiritus Sanctus a Patre et Filio, nec ingenitus dicitur, ne duo Patres; nec genitus, ne duo Filii, sed procedens dicitur. Si dixerint (scilicet discipuli S. Methodii): *Prohibitum est a sanctis Patribus symbolo addere aliquid, vel minuere,* dicite: Sancta romana Ecclesia custos est et confirmatrix sanctorum dogmatum, quia in catholica fide, principis apostolorum vicariatione, in nullo vacillat, ipso dicente Domino: *Simon, ecce Satanas expetivit vos, etc.* (Luc. XXII, 31-

32). Haec omnes errantes ad fidem duxit Ecclesias et vacillantes roboravit, non immutando sancta dagmata, sed aut non intelligentibus, aut male sentientibus exponendo » (1).

Ex hac vero additionis explicita approbatione concludere non licet Ecclesiam romanam jam tunc symbolo particulam *Filioque* ipsam addidisse. Vides tamen Stephani V agendi rationem in hac re ab illa, quae eodem saeculo IX ineunte S. Leo III tenuerat, omnino diversam esse propter circumstantias mutatas. Jam enim Photius quaestionem dogmaticam moverat de veritate in ipsa additione expressa.

III. — De additionis liceitate.

Symbolo addere voculam unam, quae veritati revelatae non contradicat, in se aliquid omnino leve est ac nullius momenti, praesertim si in memoriam revocetur illa facilis licentia, quam olim sibi sumebant Ecclesiae particulares, pluribus additionibus vel lectionibus variantibus tum symbolum apostolorum, tum formulam nicaenam interpolandi. Graeco-Rus-

(1) *Commonitorium Stephani V papae Dominico episcopo, Iohanni et Stephano presbyteris euntibus ad Sclavas.* Idem Summus Pontifex Zventopolco (= Swiatopluk) Sclavorum regi longam scripsit epistolam, in qua non directe quidem loquitur de additione ad symbolum, sed processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio dogmatice exponit testimoniisque sacrae Scripturae munit, praesertim Joa. xv, 26 xvi, 14, Ad Rom. viii, 19. Cf. Ginzel, *Geschichte der Slavenapostel,* ed. 2, Vindobonae, 1861, *Codex,* p. 66 sq.; F. Dvornik, *Les Slaves, Byzance et Rome au IXe siècle,* Parisiis, 1926, p. 287; E. Caspar, *Monumenta Germaniae historica. Epist.* t. vii, (1928), p. 352-358. Sanctus Methodius, Slavorum apostolus, a clericis latinis Germaniae haereseos accusatus fuerat, quod symbolum sine additione vocis *Filioque* recitabat. Romam profectus, anno 880, coram Joanne viii hoc crimine se purgavit. Cf. E. Caspar, *op. cit.*, p. 161, 222 sq. Nec Ioannes viii ad additionem faciendam illum coegerat.

sis autem, inde a perfecto schismate, additio vocis *Filioque* ad symbolum nicaeno-constantinopolitanum nefandum crimen semper visa est. Si illis credas, illa fuerit *vera separationis Ecclesiarum causa.* Hac rupta fuerit Occidentem inter et Orientem fraterna concordia. Haec in fraternum amorem, a Christo adeo vehementer commendatum, maximum scelus. Marcum Ephesium audi in synodo Florentina suas cum Latinis disputationes his verbis auspicantem:

« Peccavit Ecclesia romana in fraternam caritatem erga sororem suam Ecclesiam orientalem dogma sibi per additionem constituens. Hoc dogmate promulgato, sublato amore, sublata pax est et ex eo schisma natum » (1).

Saeculo XIX, adhuc grandius loquitur Alexius S. Khomiakov, qui additionem *fratricidii moralis* nomine nuncupare non dubitat:

« Par le fait de l'addition, le romanisme était protestant à son origine. Le droit de décider les questions dogmatiques se trouvait subitement déplacé. Jusqu'alors il avait résidé dans l'universalité de l'Eglise; il se trouvait maintenant résider dans une Eglise locale... Le monde romain avait commis un fratricide moral. Un concile, c'est-à-dire un témoignage, devenait inutile pour le condamner » (2).

Declamationes hujusmodi veritati historicae nullatenus respondere ex supra dictis satis superque constat; quod his ultimis annis quidam theologi russi, ut B. Bolotov et P. Svie-

---

(1) Acta graeca, sess. III, ed. Nickes, Romae, 1864, p. 32: « Διὰ τῆς ἐκφωνήσεως ταύτης ἡ ἀγάπη λυθεῖσα συνδιέλυσε τὴν εἰρήνην, καὶ ἀπὸ τούτου τὸ σχίσμα παρηκολούθησε. » Ante iam dixerat: « Ἡ προσθήκη ἐγένετο κατ' ἀρχὰς αἰτία τοῦ σχίσματος.

(2) *L'Église latine et le protestantisme au point de vue de l'Eglise d'Orient,* Lausanne, 1872, p. 36, 217.

tiov, candide agnoverunt (1). Additio enim schismate consummato multo antiquior fuit; nec ex maligna intentione in quasdam Occidentis Ecclesias primum introducta est; nec Photius Ecclesiae romanae aliquando infensus fuit propter hanc additionem, quandoquidem, ut ipse testatur, Romani tunc temporis additionem nondum fecerant.

Porro Graeco-Russi omnes (2), tam moderni quam veteres, tam illi qui additionem tanquam separationis causam habent, quam illi qui contrariam sententiam tenent, tam illi qui veritatem dogmaticam additione expressam saeculorum decursu agnoverunt quam dogmatis catholici negatores, uno ore clamant hanc additionem non fuisse legitime factam, et ideo abrogandam. Quare autem illicita fuerit, alii alias proferunt rationes, quae ad quatuor praecipuas reduci possunt:

1° Ratio omnibus communis haec est: Quia facta est ab Ecclesia *particulari* ad symbolum *oecumenicum*, inconsultis et insciis aliis Ecclessiis orbis catholici. In Collationibus Bonnensibus (an. 1874-1875), Anglicani, Veteres Catholici et Graeco-Russi de hoc saltem inter se omnes convenerunt quod additamentum particulae *Filioque* non factum fuerit *secundum modum legitimum in Ecclesia receptum* (3).

2° Secunda ratio est quod additio *sine sufficienti ratione*

---

(1) Cf. M. Jugie, *Theologia Orientalium*, t. II, p. 466-467, 507-508, 518.

(2) Excipiendus est tamen Maximus Margunius, cuius sententiam singularem supra retulimus, p. 240, n. 1.

(3) « Δὲν ἐγένετο κατὰ νόμιμον ἐκκλησιαστικὸν τρόπον καὶ δύναται νὰ ἐξαλειφθῇ διὰ μελλούσης ἀληθοῦς οἰκουμενικῆς συνόδου. » N. Damalas, Ἔκθεσις πρὸς τὴν ἱερὰν σύνοδον, etc., p. 19. Veteres Catholici concilium oecumenicum non exspectaverunt iamque particulam e symbolo expulerunt. Oblivioni mandant dissidentes quod historice omnino compertum est, ut animadvertit Bernardus de Rubeis, *Dissert. supra cit.* (p. 235 in nota), col. 219-220: « Primis Ecclesiae saeculis, inquit ille, apostolorum symbolo, quod intemeratum servabat romana Ecclesia, voces plures propter haereses prodeuntes inseruerunt Orientales, inconsulta sine

facta sit, et sine sufficienti ratione adhuc retineatur; quod potissimum probant tum ex verbis agendique ratione Leonis papae III (1), tum ex spuria epistola Joannis VIII ad Photium (2).

3° Tertiam rationem in sessione VII synodi S. Sophiae (a. 879-880) protulit Photius, quae sic breviter exprimi potest: Aliquid addere symbolo CL Patrum est hos Patres injuria

---

dubio Sede Apostolica. Formulam nicaenam privati in Oriente episcopi aliquibus additamentis auxere eamque sic auctam approbaverunt *centum et quinquaginta Orientales* in concilio constantinopolitano, quin Romanum Pontificem aliosque Occidentis episcopos consulerent. Praevio nullo cum Occidentalibus consilio, tradi in Oriente primum coepit in baptismate symbolum nicaenum, relicto apostolico, ac deinde constontinopolitanum, relicto nicaeno, quod etiam inter sacrae liturgiae partes relatum est. Haec agere Orientalibus licuit, Sede Romana inconsulta; neque tamen Sedes ipsa Romana suam ipsis communionem negavit unquam. Cur pari iure occidentales Ecclesiae non uterentur? Cur *voculam unam* rectae fidei consonam, quae pari iure pro rerum circumstantiis adiicit potuit, ac deinceps poterit, scissionis praetextum fecere Graeci? ».

(1) De Leonis III agendi ratione infra agimus. Hic notare satis sit Leonem ante controversiam photianam vixisse. Postquam Photius eiusque discipuli veritatem dogmaticam in additione edoctam impugnaverunt, ratio sufficiens certo exstitit hanc veritatem symbolo fidei inserendi. Unde in decreto Florentino dicitur: « Diffinimus explicationem verborum illorum *Filioque* veritatis declarandae gratia et imminente tunc necessitate licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam: Ἔτι διοριζόμεθα τὴν τῶν ῥημάτων ἐκείνων ἀνάπτυξιν, τὴν « καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ » χάριν τοῦ τὴν ἀλήθειαν σαφηνισθῆναι ἀνάγκης τε τότε ἐπικειμένης θεμιτῶς τε καὶ εὐλόγως ἐν τῷ συμβόλῳ προστεθῆναι. Ipse Photius, in sua synodo S. Sophiae (an. 879-880), in sessione sexta, expresse agnoscit additiones ad symbolum licitas evadere, ubi haeresis oriatur: « Detractio, inquit, et additio, *nulla existente haeresi per Maligni artes introducta* (μηδεμιᾶς ὑπὸ τῶν τοῦ πονηροῦ τεχνασμάτων ἀνακινουμένης αἱρέσεως)..., Patribus infert iniuriam inexcusabilem ». Harduinus, *Coll. concil.*, t. VI, col. 336. Nec Hispani, qui additionem primum fecerunt, sufficienti ratione caruerunt; hoc pacto videlicet personarum divinarum consubstantialitatem contra Arianos accurate simul ac breviter declarabant.

(2) De hac supposita epistola fuse agit Hergenröther, *Photius,* t. II, p. 541-551, invictisque argumentis ostendit illam alicuius Photiani saeculo XIV haud prioris esse commentum. In hac epistola, Ioannes VIII exhibetur non solum ut damnans additionem et *cum Iuda collocans* eos qui illam perpetrarunt, sed etiam ut ipsam doctrinam additione expressam tanquam *blasphemiam*

afficere et inscientiae arguere. Injuria cadit in concilia oecumenica subsequentia, quae idem symbolum absque additione recitarunt et approbarunt (1).

Vides hanc rationem cum praecedenti mire pugnare. Si enim symbolo aliquid addere est injuria afficere eos qui illud composuerunt vel approbarunt, ergo in nullo casu, etiam nova haeresi oriente, additio permittetur. Si additio arguit nostram confessionem hactenus fuisse imperfectam, ergo omnis nova fidei definitio prohibenda. Ergo Patres concilii constantinopolitani nicaenos Patres inscitiae damnarunt eorum formulae aliquid addendo de Spiritu Sancto. Caeterum gratis supponitur CL Patres constantinopolitanos doctrinam de Spiritu Sancto omni ex parte completam tradere sibi proposuisse, praesertim cum historice constet eos symbolum, quod sub ipsorum nomine venit, ab eis non fuisse compositum, sed tantummodo approbatum, ut supra diximus (2).

4° Palmare argumentum quod Graeci in concilio Florentino contra liceitatem additionis protulerunt ac per tredecim integras sessiones propugnarunt, quod etiam ab illo tempore a plerisque propositum fuit et nostris adhuc diebus retinetur, sic enuntiari potest:

« Synodus Ephesina oecumenica tertia, sub poenis depositionis pro clericis, anathematis pro laicis prohibuit quin symbolo nicaeno-constantinopolitano quidquam adderetur,

---

reiiciens: κατὰ βραχὺ παραινῶν αὐτοὺς ἀποστῆναι τῆς βλασφημίας. Cf. ea quae de eodem documento scripsimus in t. I *Theologiae Orientalium dissidentium*, p. 247-256.

(1) In synodo Florentina, sess. III, Marcus Ephesius dixit: « Ab illis Patribus in symbolo fidei nihil arbitramur omissum, neque positum omnino quidquam esse quod sit mancum et aut correctione, aut additamento indigeat ». *Acta graeca*, ed. cit., p. 35; lat., p. 30.

(2) Vide p. 109, n. 1.

etiamsi additio unam ex veritatibus a Deo revelatis exprimeret. Voluit synodus symboli litteram absque ulla, vel minima mutatione in perpetuum servari. Prohibitio ligat non solum privatos, non solum Ecclesias particulares, sed etiam Ecclesiam universalem et concilium oecumenicum ipsum. Synodus Ephesina quidquam addere sibi ipsi interdixit. Prohibitioni steterunt eamque renovarunt aliae synodi oecumenicae usque ad septimam inclusive, quae proprias definitiones symbolo non inseruerunt, sed seorsum enuntiaverunt ».

Hanc incredibilem positionem totis viribus propugnarunt in concilio Florentino tunc Marcus Ephesius, tum ipse Bessario (1), quam plerique moderni polemistae retinere non dubitaverunt. Quidam tamen illam paulum mitigarunt, asserentes synodum Ephesinam additiones non interdixisse concilio oecumenico (2); vel permisisse additiones seu mutationes mere *grammaticas*, quae sensum integrum relinquunt, illum non explicantes nec ei aliquid novi addentes (3).

Decretum autem synodi Ephesinae, ad quod provocant

(1) Volebat quidem Bessario cum quibusdam aliis, ut Graeci a quaestione dogmatica disputationem inirent. Cum autem hoc illis persuadere non potuisset, dicere statuit, ut ipse postea narravit (*De processione Spiritus Sancti ad Al. Lascarim*, ed. lat., P. G., t. CLXI, col. 415) « quae expedirent nationi et honori eius... Tota ratio nostra, qua credebamus hanc rem posse probari, in dictis tertii concilii Ephesini consistebat, cum asseveraremus illam primam in fine sui decreti hanc inhibitionem de quacumque videlicet additione edidisse. Nam etsi non sit verum talem inhibitionem illud concilium fecisse, qui tamen contendere volunt, possunt aliquid adiumenti hinc habere propter aequivocationem et ambiguitatem verborum ».

(2) Ita theologi Kiovienses saeculi XVIII, inter quos venit ipse Theophanes Procopovitch, *Tractatus de processione Spiritus Sancti*, c. XIX, ed. Rudnef, Gothae, 1772, p. 428-429.

(3) Ita item TH. PROCOPOVITCH, *op. cit.*, p. 442-444. Distinguit ille inter *explicationes grammaticas* et *explicationes logicas*. Explicatio grammatica duplex est: una *paraphrasis*, altera *metaphrasis*. Exemplum metaphrasis: *Iudaeus factus est christianus*, pro: *Homo ex circumcisione Christo nomen dedit.* Si Procopovitch audias, concilium Ephesinum non damnaverit explicationes mere *metaphrasticas*,

dissidentes, eum non habere sensum quem illi volunt, duplici ex capite constat, scilicet tum ex ipsis decreti verbis, tum ex circumstantiis in quibus Patres illud promulgarunt. Textus decreti sic sonat:

« Statuit sancta synodus *alteram fidem* nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, *praeter definitam a sanctis Patribus, qui in Nicaea cum Spiritu Sancto congregati fuerunt.* Qui vero ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre, vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis sive ex gentilitate, sive ex judaismo, sive ex qualicumque haeresi: hos quidem, si sunt episcopi aut clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu et clericos a clericatu decrevit; si vero laici fuerint, anathemati subjici » (1).

Haec decreverunt Patres, die 22 julii 431, in sessione seta, postquam Charisius, Ecclesiae Philadelphiensis presbyter et oeconomus, Patribus narravit presbyterum quemdam constantinopolitanum nomine Jacobum, qui errore nestoriano imbutus erat, venisse Philadelphiam, quosdam ibi Quartodecimanos et Novatianos convertisse, eisque obtulisse aliquam fidei formulam haeresim nestorianam aperte exprimentem; cui propria manu subscripserant illi. Cum autem Charisius huic agendi rationi reclamavisset, illum ut haereticum excomunicaverant ac officio dejecerant Jacobi nestoriani amici ac socii. Ut autem probaret se esse orthodoxum ac veram fidem nicae-

---

excluserit vero *paraphrasticas* et a fortiori *logicas*, quae conceptui aliquid novi addunt, vel illum vere explicant.

(1) « Ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος ἑτέραν πίστιν μηδενὶ ἐξεῖναι προσφέρειν, ἤγουν συγγράφειν ἢ συντιθέναι παρὰ τὴν ὁρισθεῖσαν παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν τῇ Νικαίᾳ συνελθόντων σὺν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι · τοὺς δὲ τολμῶντας ἢ συντιθέναι πίστιν ἑτέραν, ἤγουν προσκομίζειν, ἢ προσφέρειν τοῖς ἐθέλουσιν ἐπιστρέφειν εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας ἢ ἐξ ἑλληνισμοῦ, ἢ ἐξ ἰουδαϊσμοῦ, ἢ ἐξ αἱρέσεως οἱασδηποτοῦν. » HARDUINUS, *op. cit.*, t. I, c. 1525 DE.

nam tenere, Charisius coram synodo recitavit suam fidei professionem, quae, ut videtur, nihil aliud erat quam formula baptismalis in Ecclesia philadelphiensi recepta; nec *ad verbum* cum symbolo nicaeno congruebat, quaedam omittens et haud pauca in fine addens (1). Lecta postea est coram synodo formula fidei haeretica cum subscriptionibus conversorum. His auditis, Patres decretum mox relatum edixerunt, subjicientes specialem sententiam depositionis et excommunicationis in eos qui doctrinam haereticam in symbolo nestoriano a Charisio delato contentam amplecterentur.

Ex his circumstantiis satis clare constat synodum eo spectasse, ut privatis personis quibuscumque interdiceret ne componerent novam fidei formulam praeter symbolum nicaenum proprie dictum, eamque ad fidem conversis proponerent. Bene autem notandum est:

1° Hic agi non de symbolo constantinopolitano, sed de *nicaeno proprie dicto*, prout a Patribus concilii I nicaeni promulgatum est et initio sessionis sextae synodi ephesinae recitatum fuit (2). Ephesina enim synodus, et item Latrocinium ephesinum anni 449, symbolum nicaeno-constantinopolitanum prorsus ignorant, quidquid in contrarium insinuare voluerint polemistae antilatini (3). Synodus constantinopolitana anni

(1) Hoc symbolum ita desinit: « καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τὸ παράκλητον, ὁμοούσιον Πατρὶ καὶ Υἱῷ· καὶ εἰς ἁγίαν καθολικὴν Ἐκκλησίαν, εἰς ἀνάστασιν νεκρῶν, εἰς ζωὴν αἰώνιον » Harduinus, col. 1516 B. Ut notum est, symbolum nicaenum simpliciter habet « καὶ εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα ». Post haec verba, veniunt ea quae ad haeresim arianam spectant.

(2) Post symboli recitationem, Petrus, Alexandriae presbyter, dixit: « τῆς ἁγίας ταύτης συνόδου ὁριζούσης κρατεῖν τε καὶ βεβαίαν τὴν πίστιν τὴν ἐκτεθεῖσαν διὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων, τῶν κατὰ καιροὺς ἐν τῇ Νικαέων πόλει συνειλεγμένων ».

(3) Marcus Ephesius, in synodo Florentina, astute eludere conatus est difficultatem pro sua thesi exinde orientem his verbis: « Statutum est a Patribus,

381 tempore concilii ephesini ut oecumenica communiter nondum habebatur, neque reapse fuerat. Ut notum est, oecumenicitas post factum — et sane non quantum ad omnia ejus decreta — inde a concilio Chalcedonensi gradatim ei obvenit.

2° Prohibitionem directe respicere *compositionem* novae formulae *integrae*, non vero meram unius vel duorum verborum additionem ad symbolum receptum, si tamen supponamus verba addita sensum orthodoxum prae se ferre (1). Si ad *novum* seu *alterum* symbolum efficiendum sufficeret unius voculae adjectio, tunc mire multiplicaretur symbolorum numerus pro lectionum variantium unius ejusdemque formulae multitudine, haberemusque non solum multa symbola *apostolica*, sed etiam plura symbola nicaeno-constantinopolitana.

3° Prohibitionem spectare ad *personas privatas*, sive sint episcopi vel clerici, sive laici, non vero, ut videtur, *ad coetum aliquot episcoporum in synodum adunatorum*; a fortiori eam non ligare supremam auctoritatem Ecclesiae universae et synodum oecumenicam. De facto, Ephesina synodus epistolam dogmaticam Cyrilli Alexandrini de maternitate divina B. Ma-

ut ex eo tempore nemo symbolum nicaenum *vel, quod idem est, Constantinopolitanum* (*vi enim hoc continetur illo et ambo pro uno sunt habita*) immutandi haberet potestatem. Hanc licentiam, quae usque ad haec tempora fuerat, et sibi ipsis praecludunt et reliquis omnibus ». *Sessio V synodi Florentinae. Acta graeca, ed. cit.*, p. 40. Vides quomodo gratis asserat Ephesinos Patres, qui de solo symbolo nicaeno loquuntur et constantinopolitanum prorsus ignorant, ambo pro uno habuisse, quod primum virtuliter alterum contineat. Hoc Marci effugium repetere consueverunt polemistae qui post ipsum fuerunt ad nostra usque tempora.

(1) Ut ab hac difficultate se expediat Procopovitch, *op. cit.*, c. XIX, § 321, p. 435, dicit: « Si aliud symbolum publicare non licet praeter *Constantinopolitanum* seu *Nicaenum* seu Nicaeno-Constantinopolitanum, *nihil ergo licet addere; nam si addas vel diminuas*, iam *aliud erit symbolum*; certe nostrum symbolum aliud esse a suo dicere debent Latini ». At non dicunt, neque tu ipse dicis, neque tui; semper enim de additione *ad symbolum* vos loquimini.

riae Virginis approbavit (Καταφλυαροῦσι), quae specialem constituit fidei declarationem de mysterio Incarnationis.

4° De sensu dictionis *alteram fidem*, ἑτέραν πίστιν, dubitari posse, et revera inter doctos de hac quaestione aliquam controversiam esse. Omnes sane concedunt concilium prohibere omnem formulam nicaeno symbolo *contrariam*. Multi autem volunt hoc tantum vetari, et nihil amplius: Ita oratores latini in concilio Florentino, et communius theologi catholici. Alii autem putant decretum respicere etiam formulas a Nicaeno *distinctas, etsi non oppositas*, si a privatis personis, vel etiam ab Ecclesiis particularibus componantur ac proferantur (1). Nostro judicio, prima sententia probabilitate non caret, si ad meras additiones, ut est vocula *Filioque*, restringatur, quia revera decretum additiones non respicit, sed integram fidei formulam. Si vero de formula integra a symbolo nicaeno plerisque verbis diversa agatur, prohibitonis sensus obvius attingit etiam formulas hujusmodi, ne scilicet a privatis quibuscumque, etiam ab episcopis, conscribantur ac conversis ad fidem proponantur.

Verum haec omnino addenda sunt: *a*) Decretum hoc sensu intellectum (nempe quod prohibeantur formulae non sententiis oppositae, sed verbis et explicationibus a formula

(1) Ita Manuel Calecas, *Adversus Graecos*, l. IV, P. G., t. CLII, col. 187 B: « Non igitur communem fidem declarare interdictum est, sed vel *aliam*, vel contrariam inducere, ut ipsae quoque litterae testantur; sive *quibuslibet hominibus* interdictum est, ne horum quisque passim sibi proprium symbolum conscribens et aliquos a communi confessione separans cum hoc deceptos baptizet fiantque conventicula ». Item Franzelin, *De Deo trino*, ed. 3, Romae 1881, p. 600: « Decretum prohibens « aliam proferre » necessario intelligendum est vel ut decretum fidei proscribens symbola aliena a professione catholica, vel *ita ut ius determinandi formulam solemnis professionis fidei declaretur non singulis sed ipsi dumtaxat universali et supremo in Ecclesia magisterio competere* ».

nicaena diversae) est mere disciplinare, non dogmaticum et ideo mutabile, et sive alio auctoritatis competentis decreto, sive etiam consuetudine abrogationi obnoxium; *b*) Synodum ephesinam nullo pacto interdicere voluisse multiplices formulas baptismales in diversis Ecclesiis jam existentes et ut orthodoxas receptas, sed novas formulas deinceps condere, et fidelibus vel conversis offerre; quod satis aperte constat ex agendi ratione Patrum erga Charisium ejusque fidei professionem, quae, ut diximus, ipsa erat baptismalis formula Ecclesiae philadelphiensis plus ab apostolorum symbolo quam a nicaeno pendens; *c*) Ipsum decretum ephesinum, quatenus prohibet compositionem novarum fidei formularum symbolo nicaeno haud oppositarum vix in praxim Ecclesiae deductum fuisse, sed litteram pene mortuam remansisse, et statim post concilium, praesertim vero inde a concilio Chalcedonensi, usu communi Ecclesiarum et etiam privatorum ita intellectum fuisse ac si tantummodo prohibere intendisset compositionem formularum heterodoxarum et haereticarum, quae cum nicaena fide componi non possint illique adversentur et revera constituant *alteram fidem*, ἑτέραν πίστιν, id est formulam non verbis tantum diversam, sed etiam sententiis nicaeno symbolo oppositam.

Hoc multis factis indubiis comprobatur. Vix enim duo a synodo ephesina anni elapsi erant, cum Orientales Antiocheni et episcopi Aegypti de aliqua nova fidei formula *verbis a fide nicaena diversa,* quae nomine symboli unionis nuncupata est, inter se convenerunt et propria subscriptione firmaverunt. Hac occasione quidam Cyrillum Alexandrinum insimularunt quod hanc novam formulam approbando contra decretum synodi ephesinae egisset, debuitque sanctus doctor suam agendi rationem defendere, quod sequentibus verbis fecit:

« Sancta quippe et oecumenica synodus, quae Ephesi convenerat, necessario providit non oportere aliam fidei expositionem in Ecclesia Dei inferre (πίστεως ἔκθεσιν ἑτέραν) praeter eam, quae jam exstabat, quam beatissimi Patres nostri [Nicaeni scilicet] in Spiritu Sancto locuti definiverant. Illi tamen, ab hac semel, nescio quo modo, dissentientes, et quod neque recte sentirent, neque apostolicis et evangelicis dogmatibus adhaererent in suspicionem adducti, numquid tacendo ab hac ignominiosa nota se liberassent, an plena potius suae sententiae declaratione (τῆς ἐνούσης αὐτοῖς δόξης τὴν δύναμιν ἐμφανίζοντες, *nempe per hoc unionis symbolum*)? Atqui divinus Christi discipulus scriptum reliquit: « Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est, spe (I Pet., III, 15) » Qui hoc init consilium nihil utique novi molitur, nec fidei expositionem innovare deprehenditur; sed potius eam, quam de Christo habet fidem, interrogantibus perspicuam reddit » (1).

Ergo, juxta Cyrillum, decretum ephesinum non violat

(1) *Epist.* XL *ad Acacium Melit.*, P. G., t. LXXVII, col. 189 AB: « Ὁ δὲ τοῦτο δρᾶν αἱρούμενος καινουργεῖ μὲν οὐδέν, ἀλλ' οὐδὲ πίστεως ἔκθεσιν ὁρᾶται καινοτομῶν ἐναργῆ δὲ μᾶλλον καθίστησι τοῖς ἐρομένοις αὐτὸν ἣν ἂν ἔχοι πίστιν περὶ Χριστοῦ. » Mirandum omnino est quod Graeco-Russi, ut suam de inviolabilitate verbali symboli constantinopolitani thesim tueantur, ad haec verba Cyrilli in *Epistola ad Ioannem Antiochenum* provocare soleant: « Nullo modo patimur, ut ab aliquo fides illa, sive fidei symbolum concutiatur, quod a sanctis quondam Patribus nicaenis editum est. Neque enim aut nobis, aut ulli omnino alteri vel unam voculam ibi positam immutare, aut unam etiam syllabam praeterire permittimus, memores eius qui dixit: « Ne transferas terminos antiquos quos posuerunt patres tui (Prov., XXII, 28): Οὔτε μὴν ἐπιτρέπομεν ἑαυτοῖς, ἢ ἑτέροις ἢ λέξιν ἀμεῖψαι τῶν ἐγκειμένων ἐκεῖσε, ἢ μίαν γοῦν παραδῆναι συλλαβήν. » P. G., t. LXXVII, col. 180-181. In hac ipsa enim epistola, Cyrillus *materialiter* transgreditur decretum ephesinum *de non componenda altera fide*, dum *symbolum unionis* anni 433 recitat et approbat. Praeterea, loquitur non de formula constantinopolitana, sed de formula nicaena pura. Demum non loquitur de *additione*, sed de *mutatione eorum quae ibi posita sunt* (id est non de solis verbis, sed potissimum de sententiis) necnon de *qualicumque omissione*. Vides quam longe sint haec omnia a positione Marci Ephesii!

qui interrogatus vel de haeresi suspectus, suam exponit fidem modo explicatiori verbisque a formula nicaena diversis.

Hac interpretatione usi sunt doctores catholici et concilia oecumenica subsequentia tum contra Nestorianos, tum praesertim contra Eutychianos et Monophysitas, qui prohibitionem ephesinam ita intelligere volebant ac si Ecclesiae catholicae, post synodum Ephesinam, nullam novam fidei definitionem edere in posterum licuisset (1). Unde concilium Chalcedonense et alia concilia oecumenica quae subsecuta sunt usque ad septimum inclusive, aut *explicite, aut implicite* decretum ephesinum iisdem fere verbis iterant de non componenda altera fide. At vero bene nota hanc prohibitionem in Actis

(1) Vide, v. g., quae acta sunt tum in *Latrocinio ephesino* a Dioscoro eiusque sociis, Harduinus, *op. cit.*, t. II, col. 257 sq., tum in concilio Chalcedonensi, Harduinus, *ibid.*, col. 453, 644, 649. De decreto ephesino, quantum ad controversiam monophysiticam, multa dicenda essent; de quibus vide BERNARDUM DE RUBEIS, *dissert. cit.*, col. 156-176, et etiam articulum nostrum: *Le décret du concile d'Ephèse sur les formules de foi et la polémique anticatholique en Orient*, in commentario *Echos d'Orient*, t. XXX (1931), p. 257-270; item *Theologia Orientalium*, t. II, p. 519-529, ex qua pleraque hic dicta exscribimus vel abbreviamus. Notanda sunt Eulogii Alexandrini verba, ab ipso Photio in *Bibliotheca*, cod. 230, P. G., t. CIII, col. 1049, laudata contra Monophysitas, qui decretum Ephesinum supra relatum contra definitionem chalcedonensem urgebant: « Les hérétiques, dans leur folie, s'en prennent au concile de Calcédoine, parce qu'il a porté une définition. A les entendre, le premier concile d'Ephèse a absolument proscrit toute tentative de ce genre. Si ces radoteurs ont raison, si vraiment ce concile a interdit de promulguer une nouvelle définition, il faut dire qu'il s'est condamné lui-même tout le premier. Il définit, en effet, des points qu'aucun synode n'a fixés avant lui. L'union hypostatique est un de ses décrets, dont aucun synode antérieur n'a parlé. Bien plus, il condamne le concile des 150 Pères, dont nos hérétiques raffolent. Ce concile, en effet, après avoir abattu le pneumatomaque Macédonius, ajouta à la définition de Nicée la théologie sur le Saint-Esprit. Si donc les conciles antérieurs qui ont fait des additions échappent au blâme, les conciles suivants qui, à leur exemple, ont ajouté quelque chose, ne doivent pas avoir un traitement différent. Ainsi la folie mêle et brouille tout. Le concile d'Ephèse a absolument interdit toute formule de foi qui contiendrait des doctrines opposées au concile

illorum conciliorum venire tum post utriusque symboli, nicaeni scilicet et constantinopolitani proprie dicti, litteram, tum post propriam definitionem cujusque concilii, ita ut respiciat non solum symbolum nicaeno-constantinopolitanum, sed etiam nicaenum et proprias cujusque concilii definitiones, et altera fides non conscribenda significet fidei formulam non verbis discrepantem, sed sententiis contrariam fidei catholicae ab omnibus conciliis oecumenicis praecedentibus et ab ipso concilio oecumenico praesenti definitae.

Non solum concilia oecumenica, sed etiam particulares Ecclesiae et privati homines, praesertim episcopi et patriarchae, post synodum ephesinam, suam fidem exponere consueverunt variis modis interpolando et aliis verbis explicando symbolum nicaeno-constantinopolitanum, prohibitionem de altera fide non componenda eodem prorsus modo intelligentes, non contradicentibus sed etiam aperte approbantibus ipsis conciliis oecumenicis (1).

Exinde aperte constat nihil in septem priorum conciliorum decretis inveniri, quod contra additionem illius vocis *Filioque* ad symbolum nicaeno-constantinopolitanum, vel contra modum quo additio hujusmodi revera facta est, jure invocari possit totamque photianae polemicae contabulationem

---

de Nicée. *Mais si les dogmes de Nicée restent intacts, les additions opportunes ne sont nullement proscrites; de ces additions le concile d'Ephèse nous a donné l'exemple; la nature même des choses le réclame, la perpétulle tradition de l'Eglise le consacre*: καὶ γὰρ ἡ ἐν Ἐφέσῳ σύνοδος πίστιν μὲν ἑτέραν, ἧς ἐναντία τὰ δόγματα πρὸς τὴν ἐν Νικαίᾳ σύνοδον παντελῶς ἐκτίθεσθαι διεκώλυσεν· ἀκηράτων δὲ τῶν ἐν αὐτῇ σῳζομένων, ἅπερ ὁ καιρὸς ἀπαιτεῖ προστιθέναι αὐτῆς τε γέγονεν ἔργον καὶ τῶν πραγμάτων ἡ φύσις διδάσκαλος, καὶ τῆς Ἐκκλησίας ὁρᾶται τοῦτο στέργουσα διὰ παντὸς ἡ παράδοσις. »

(1) In memoriam revocare satis sit professionem fidei Tarasii Constantinopolitani in septima synodo oecumenica lectam et approbatam. Cf. supra, p. 115.

super decreto ephesino vel aliis conciliis oecumenicis aedificatam a fundamento penitus ruere nihilque firmitatis ad veritatis historicae lucem retinere.

Caeterum notandum est Ecclesiam russicam, nostris temporibus, formulae nicaeno-constantinopolitanae integritatem litteralem in sensu a Marco Ephesio intellecto non amplius servare. Inde enim ab anno 1800 apud suos *Unitos in fide* seu *Edinovieros* (1) tolerat ac publice agnoscit plures mutationes

(1) Nota polemistas antilatinos suae causae male consuluisse, dum ad decretum Ephesinum provocarunt, quandoquidem hoc decretum, ut vidimus, et symbolum nicaeno-constantinopolitanum prorsus ignorat, et de novarum formularum fidei compositione, non de meris additionibus agit. Unde Photius non ad synodum Ephesinam, sed ad Chalcedonensem provocavit, quae revera non solum ad symbolum nicaenum, sed etiam ad nicaeno-constantinopolitanum necnon ad decreta synodi Ephesinae et ad sua propria alludit, dum prohibitionem iterat synodi Ephesinae *alteram fidem* (ἑτέραν πίστιν) *proferendi vel conscribendi, vel componendi.* Cfr. HARDUINUM, *op. cit.*, t. II, col. 456 D. Ex contextu autem patet verba synodi Chalcedonensis spectare non meras additiones verbales ad nicaeno-constantinopolitanum vel ad alia fidei documenta ibi notata, sed compositionem *formularum fidei* quae conciliorum oecumenicorum definitionibus adversentur. Hoc iure animadverit V. BOLOTOV, *K voprossu o Filioque,* ed. A. Brilliantov, Petropoli 1914, p. 129-130: « Nec Photius nec Leo III canonem VII tertii concilii oecumenici memorant (id est decretum Ephesinum de formulis fidei), qui revera non symboli constantinopolitani, sed nicaeni integritatem munit. In conclusione definitionis Chalcedonensis tum Photius, tum Leo III inveniunt prohibitionem quidquam addendi ad textum symboli constantinopolitani. Porro interdictio componendi *alteram fidem* proxime respicit ac munit integritatem fidei Chalcedonensis, quae immediate praecedit. Patres concilii oecumenici VI huius definitionis textum compleverunt verbis: *Unus de sancta Trinitate,* et: *vere et proprio sensu* (Deipara) — una et altera explicatio ex Actis concilii oecumenici V sumpta est — necnon sua propria expositione dogmatis de duabus in Christo voluntatibus et operationibus, atque in conclusione suae confessionis fidei (id est, novae redactionis definitionis Chalcedonensis) de *non exponenda altera fide* prohibitionem iterarunt. Consequenter Patres concilii VI dictione ἑτέραν πίστιν intelligunt expositionem quae aliquid a doctrina Patrum concilii Chalcedonensis discrepans contineat ».

(1) *Edinoviery* illa sunt *Starovierorum* seu *Veterum Credentium* pars, qui ritus et libros liturgicos antiquos in Ecclesia russica olim (id est, antequam

verbales in symbolo nicaeno-constantinopolitano, et *additionem logicam* unam ad ipsum de Spiritu Sancto articulum. Sic enim hunc articulum recitant *Edinoviery*: *Et in Spiritum Sanctum Dominum* VERUM (*istinnago*) *et vivificantem* (1). Hac agendi ratione Russi omnem rationem, non dico probabilem, sed et speciosam, additionem Latinorum vituperandi sibi ademerunt. Hoc autem non impedit quominus plerique ipsorum eamdem ut illicite factam carpere pergant.

ART. VI. — DE CONTROVERSIIS INTER GRAECOS ET LATINOS CIRCA PROCESSIONEM SPIRITUS SANCTI ANTE PHOTIUM.

Praeter brevem illam disceptationem, quae inter Theodoretum Cyrensem et Cyrillum Alexandrinum de processione Spiritus Sancti a Filio exorta est, de qua supra sufficienter egimus (2), de eadem quaestione inter Graecos et Latinos fue-

patriarcha Mosquensis Nicon (1653-1666) suam reformationem liturgicam secundum normam graecam compleret), adhibitos retinent et anno 1800 cum Ecclesia a Synodo dirigente recta unionem perfecerunt, ea conditione ut suos antiquos usus servarent et Ecclesiae imperialis iurisdictionem et fidem agnoscerent. Unde *Uniti in fide* vocati sunt.

(1) Additionis epitheti *verum* origo a significatione vocis graecae κύριος non pro substantiva, sed pro adiectiva sumptae repetenda est; κύριος enim adiective sumptum significat: *proprius, genuinus*; unde ex slavis translatoribus quidam vocem reddiderunt per *istinnago* (= *verum*), quidam per *Gospoda* (= *Dominum*). Accidit autem ut plerique, ne alterutram lectionem eligendo non veram retinerent, utramque tum in missalibus, tum in catechismis posuerunt moxque totum pro vera lectione receperunt. Nicon vero, quando libros liturgicos correxit, appositum *verum* suppressit. De additionibus ad symbolum a Russis factum vide *Theol. Orient.*, t. II, p. 526-529, et *Echos d'Orient, loc. cit.*, p. 269-270.

(2) Cf. supra, p. 142-143, 168-172.

runt ante Photium quaedam quasi velitationes, quae magnae controversiae praeiverunt.

Prima fuit illa cui, saeculo VII mediante, ansam praebuit Martini I papae synodica epistola ad orientales patriarchas missa, de qua S. Maximus Confessor Marino Cypri presbytero quaedam retulit nosque item supra omnia dicenda diximus (1). Saeculi autem VIII decursu et saeculo IX ineunte, hanc primam tres aliae subsecutae sunt; de quibus nunc pauca referre debemus.

I. — De controversia in synodo Genethliacensi anno 767 *orta.*

Ex *Chronico* Adonis archiepiscopi Viennensis († 874), circa annum 850 conscripto, comperimus Graecos et *Romanos* (2) in synodo Genethliaci, prope Lutetiam Parisiorum, anno 767 habita, *de Trinitate* disputasse: *utrum nempe Spiritus Sanctus, sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio,* nec-

(1) Supra, p. 182-186.

(2) Non agitur de *Latinis* in genere, sed de *Romanis*, scilicet de legatis Pauli papae I, qui synodo et ipsi interfuerunt. Ad hanc synodum alludere videtur Paulus papa in epistola 26 (inter Carolinas) ad Pippinum, P. L., t. 98, col. 182-183: « Optime praecellenti vestrae christianitati compertum existit quanta qualisque sit impia haereticorum Graecorum malitia inhianter meditantium atque insidiantium qualiter, Deo illis contrario, sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam humiliare atque conculcare, et fidem sanctam orthodoxam atque sanctorum Patrum traditionem destruere possint ». Superius dixerat, col. 182 C: « Vestro post Deum auxilio et optimo certamine sancta spiritualis mater vestra Dei Ecclesia constat ab inimicorum insidiis erepta et orthodoxa christianorum fides ab impugnatoribus defensa ». Quare autem legati Papae ad hanc synodum convenerint, probe intelligitur, quandoquidem, ut ait HARDUINUS, *Coll. concil.*, t. 3, col. 2012: « duo Graecorum legationis erant capita, unum de repetendis Italiae regionibus a Pippino Ecclesiae romanae attributis, alterum de quaestionibus supra scriptis ».

non *de sanctorum imaginibus*: *utrumne fingendae, an pingendae essent in ecclesiis* (1).

Huic synodo interfuerunt Galliae episcopi una cum Pippino, Francorum rege, et Constantini Copronymi legati, qui sane advenerant non ut quaestiones theologicas tractarent, sed propter negotia politica. Intra synodum tamen, sive Graecis, sive *Romanis* incipientibus (2), de utroque capite actum est. Cum autem synodi acta perierint, de disputationis exitu nihil scimus. Ex Adonis verbis, ad processionem Spiritus Sancti quod attinet, hoc tantum conjicere possumus, nempe quod formula latina: *A Patre Filioque procedit* Graecis obscurior visa fuerit, et quod a Latinis explicationem ipsi petierint: utrum scilicet *eodem modo eodemque titulo* Spiritus a Filio procedat, quo a Patre procedit. Hunc sensum enim insinuare videntur Adonis verba: *utrum Spiritus* SICUT *procedit a Patre,* ITA *procedat a Filio*; ita ut iteratum hic habeamus illud quod Maximi Confessoris tempore acciderat: Propter terminorum graecorum et latinorum ambiguitatem, Graeci crediderint Latinos docere Spiritum Sanctum procedere *ex Filio,*

(1) P. L., t. 123, col. 125 A. Eginhardus seu Einhardus abbas († 840) in suo *Chronico,* P. L., t. 104, col. 385, notat etiam in synodo ortam esse quaestionem inter Graecos et *Romanos* de sancta Trinitate necnon de *sanctorum imaginibus.* Idem refert Regino Prumiensis abbas († 915), *Chronicum,* P. L., t. 132, col. 51 A: « Rex in supra dicta villa synodum magnam habuit inter *Romanos* et Graecos de *sancta Trinitate* et de sacris imaginibus ».

(2) Pagi supponit Romanos Graecis imaginum condemnationem improbavisse, Graecos vero in Latinos propter doctrinam de processione Spiritus Sancti a Filio invectos fuisse. *Critica in Annales Baronii, ad annum* 766. De Régnon vero, *Etudes de théologie positive sur la sancte Trinité,* t. IV, p. 205, haec habet: « Je pense que ce sont les Latins qui ont soulevé la question et qu'ils ont voulu attirer les Orientaux à la doctrise occidentale ». Sententia Pagi nobis videtur multo probabilior: Legati romani Graecos, utpote cultus imaginum adversarios, tanquam haereticos aggressi fuerint. Graeci vicissim de processione Spiritus Sancti Romanis crimen intulerint.

ἐκ τοῦ Υἱοῦ, tanquam ex principio originali, et ita ponere duo principia Spiritus Sancti, nullam differentiam inter Patrem et Filium quantum ad productionem Spiritus Sancti introducentes.

II. — Carolus Magnus et Hadrianus papa I de doctrina Graecorum circa processionem Spiritus Sancti.

Sub saeculi VIII finem, Byzantinorum et Francorum mutua societas parum amica erat propter quosdam politicos eventus, quorum influxum in theologicas controversias illius temporis haud negligendum, sed omnino notandum existimamus. Byzantini enim Francorum aemuli erant quod dominationem spectat in quasdam Italiae provincias, in illas praesertim quae Romano Pontifici traditae fuerant. Praeterea, Carolus Magnus in aulam byzantinam inimicitiam nutriebat, postquam Irenes imperatrix, pacti oblita de filio suo Constantino cum Caroli filia primogenita matrimonio coniungendo, Armenam quamdam eidem filio sponsam dedit (1). Inde utrimque animus haud benevolus.

Interim, cum concilium oecumenicum septimum anno 787 Nicaeae congregatum fuisset; cui, si legatos romanos excipias, Orientales soli interfuerant; ejusque acta ac decreta latine de graeco ita mendose reddita, ut quandoque rectum sensum non haberent, ad Carolum missa fuissent, imperator

(1) Non solum hanc injuriam Carolo intulit, Irenes, sed insuper quasdam Italiae regiones eodem tempore armis recuperare frustra tentavit, rupto foedere cum imperatore latino de hac re inito.

ejusque theologi horum actorum censuram sat acrem egerunt in quatuor libris *Carolinis* dictis (an. 789-791) (1).

Porro inter ea quae non recte dicta vel haeresim redolentia illis visa sunt, occurrit ipsa formula Graecorum de processione Spiritus Sancti *a Patre per Filium*, quam ipse Tarasius, ut supra diximus (2), in sua fidei professione coram synodo lecta usurpabat. Formula hujusmodi, si theologum vel theologos imperiales audias, Macedonianam haeresim sonat, aut saltem in hunc pravum sensum detorqueri potest:

« Utrum Tarasius, inquiunt, recte sentiat, qui Spiritum Sanctum non *ex Patre et Filio*, secundum verissimam sanctae fidei regulam, sed *ex Patre per Filium procedentem* in suae credulitatis lectione profiteatur? In primordiis hujus nostri operis polliciti sumus nihil nos indiscussum relicturos nihilque silentio praeterituros quod in eadem synodo, quae pro *adorandis* imaginibus gesta est, reprehensione dignum inveniretur, ideoque non est consequens ut ab hoc nostra suspendatur disputatio, quod Tarasius Spiritum Sanctum non *ex* Patre tantum, sicut quidam, qui quamquam eum ex Filio procedere quodammodo tacuerint, tamen ex Patre et Filio procedentem omnino crediderunt, neque *ex Patre et Filio*, sicut omnis universaliter confitetur et credit Ecclesia eum procedere, *sed ex Patre per Filium* in suae fidei professione confessus est. In qua professione, nisi puritas et sinceritas cordis sit, quae credat eum non creaturam esse ,sed creatorem, nec Patre Filioque minorem, sed eis aequalem et consubstantialem et ab *utroque procedere*, perniciosum virus poterit exoriri... Ex Patre enim et Filio Spiritum Sanctum, non ex Patre per Filium procedere recte creditur et usitate confitetur:

(1) De auctore vel auctoribus *Librorum Carolinorum* adhuc certant critici. Quidam Alcuino illos tribuunt. Hos libros invenies tum in *Monumentis Germaniae historicis. Concilia*, t. II, tum in P. L., t. XCVIII.

(2) Supra, p. 115.

quia non per Filium, utpote *creatura* quae per ipsum facta sit, neque posterior tempore aut minor potestate, aut alterius substantiae procedit, sed *ex Patre et Filio* ut coaeternus, ut consubstantialis, ut coaequalis, ut unius gloriae, potestatis atque divinitatis cum eis existens procedere creditur. Alteram enim vim habet *ex* praepositio, et alteram *per* » (1).

Secundum *Libros carolinos* praepositio *ex* indicat originem, dum praepositio *per* refertur ad operationem. Dicere Spiritum Sanctum *per Filium procedere* sensum arianum innuit. Recte autem dicitur Spiritum Sanctum *per Filium hominibus dari, quoniam ab omnibus Spiritus Sanctus accipi nonnisi per Filium poterat.* « *Per Filium* vero eum a Patre procedere profiteri synodicae confessioni inusitatum est ». Atqui in confessione fidei omnes opinationes, omnes *verborum novitates* cavendae sunt. Haud ignorat tamen horum librorum auctor Graecos quosdam dixisse Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere; quos nec laudare nec vituperare vult, nesciens « an illorum simplicitas, an alterius linguae in alteram tranferendi necessitas » nova et inusitata verba in sacram fidei confessionem introduxerit. Hos vero numero paucos fuisse putat et ideo praetereundos (2). Caeterum, dum processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio diserte tuetur, Patrem et Filium unum principium Spiritus Sancti esse, non duo, post S. Augustinum opportune docet (3).

Ex libris carolinis capitulare quoddam excerpsit synodus Francofordiensis anno 794 contra Adoptianos congregata, in quo inter alias criminationes contra concilium Nicaenum II

(1) *Libri Carolini,* l. IV, c. 3, P. L., t. XCVIII, col. 1117-1118.

(2) *Ibid.,* col. 1119-1121.

(3) *Ibid.,* c. 4, col. 1122-1123: Proferuntur verba Augustini: « Fatendum est Patrem et Filium esse unum principium Spiritus Sancti, non duo principia ».

congestas occurrit etiam illa quae formulam *a Patre per Filium* a Tarasio usurpatam respicit. Hoc capitulare in octoginta quinque capitula distributum Carolus Magnus, eodem anno 794, per Angilbertum abbatem et capellae regiae ministrum ad Hadrianum papam I misit. Quod cum legisset Summus Pontifex, Imperatori longam rescripsit epistolam, in qua objectationibus contra septimum concilium a theologis Francis prolatis leniter per ordinem respondit; Tarasium vero ob illud *a Patre per Filium* petitum his verbis defendit:

« Hoc dogma Tarasius non per se explanavit, sed per doctrinam sanctorum Patrum confessus est: quorum capitula, pro vestro nimio amore, quem erga vestram praerectissimam a Deo protectam regalem excellentiam gerimus, breviter exaramus » (1).

Inde sanctus Pontifex plura laudat Patrum tum Graecorum tum Latinorum testimonia, in quibus formula *a Patre per Filium* usurpatur. Notandum est tamen hos Patrum locos omnes, si tres excipias, ad missionem temporalem Spiritus Sancti spectare (2).

Receptis litteris apostolicis, Carolus Magnus ab omni ulteriore criminatione contra Graecorum loquendi modum abstinuisse videtur; omnem tamen diligentiam adhibere non destitit, ut doctrina de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio a theologis latinis elucidaretur omnibusque ad publicam

---

(1) *Epistola ad Carolum regem de imaginibus*, P. L., t. xcviii, col. 1249.

(2) Tres loci processionum aeternam directe respicentes desumuntur: primus ex *symbolo Gregorii Thaumaturgi* (supra, p. 103: *Per Filium apparens*); secundus ex Basilio, *De Spiritu Sancto*, c. 45 (supra, p. 148, n. 1: *Per unum Filium uni Patri copulatus*); tertius ex Cyrillo Alexandrino, *De adoratione in Spiritu et veritate*, l. i (supra, p. 140: *ex utroque seu ex Patre per Filium* profluit).

professionem proponeretur. Ejus consilio, celeberrimus Alcuinus, ut videtur, suum de processione Spiritus Sancti libellum conscripsit, primum rudimentum hanc quaestionem ex professo tractans (1).

Insuper, ut ex testimonio Walafridi supra relato (2) scimus, inde a concilio Francofordiense anni 794, usus cantandi symbolum nicaeno-constantinopolitanum, utique cum additione vocis Filioque, per Galliam et Germaniam in missa magis ac magis invaluit, ipso Carolo Magno in sua capella exemplum praebente.

Iam ab illo tempore, Graeci huic additioni reclamasse videntur provocando ad antiquorum conciliorum decreta de *non proferenda vel componenda altera fide,* hanc prohibitionem ad meras additiones ad symbolum nicaeno-constantinopolitanum tranferentes. Hoc ex verbis patriarchae Aquileiensis Paulini II in synodo Forojuliensi anni 796 vel 797 probabiliter conjici potest. Dixit enim Paulinus:

« Scio quibusdam in synodalibus foliis esse sancitum, ad refellendas siquidem novas et multiplices haereses... non licere cuiquam alterius fidei symbolum docere vel componere. Sed absit a nobis proculque sit ab omni corde fideli, alterum vel aliter quam illi instituerunt, symbolum vel fidem componere vel docere. Sed juxta eorum sensum ea fortasse, quae propter veritatis compendium, minus quam decet, a simplicibus vel indoctis intelliguntur, exponendum decrevimus tradere ac memoria mandavimus eam ipsumque textum symboli retinere; quatenus, juxta Apostolum, idoneus sit

(1) P. L., t. CI, col. 64-82. Quidam critici hunc libellum Alcuino abnegant: ita Dümmler, *Epist. carolini aevi,* t. II, p. 482. Berolini, 1895. Alii ei illum tribuunt: ita Hurther, *Nomenclator litterarius,* t. I, 1903, col. 705.

(2) Supra, p. 239.

homo Dei ad omne opus bonum paratus, ad resistendum non sanae fidei (1). Enimvero non est in argumento fidei addere vel minuere ea quae a sanctis Patribus bene salubriterque sunt promulgata, saecundum eorum sensum recte sentire et exponendo, eorum subtile supplere ingenium; sed addere vel minuere est subdole contra sacrosanctum eorum sensum, aliter quam illi, callida tergiversatione diversa sentire, et confuso stylo perversum dogma componere » (2).

Allato autem exemplo centum quinquaginta Patrum, qui Nicaenae definitioni quaedam addiderunt, sermonem prosequitur, dicens:

« Postmodum, propter eos videlicet haereticos, qui susurrant Spiritum Sanctum solius esse Patris et a solo procedere Patre (3), additum est: Qui ex Patre Filioque procedit. Et tamen non sunt hi Patres culpandi quasi addidissent aliquid vel minuissent de fide trecentorum decem et octo Patrum, quia non contra eorum sensus diversa senserunt, sed immaculatum eorum intellectum sanis moribus supplere studuerunt ».

Pergit Paulinus verbis sacrae Scripturae demonstrando Spiritum Sanctum non solum a Patre, sed etiam a Filio procedere.

---

(1) In fine sermonis, Paulinus suffraganeis episcopis praecipit, ut memoriter addiscant longam fidei professionem, quae incipit a symbolo Nicaeno-Constantinopolitano cum *Filioque*. P. L., t. XCIX, col. 292. Item canone 15 synodus jubet, ut omnis christianus symbolum et orationem dominicam memoriter sciat, col. 295.

(2) *Ibid.*, col. 286.

(3) Quinam sunt hi haeretici qui susurrant *Spiritum Sanctum a solo Patre procedere?* Verisimiliter Paulinus ad Graecos alludit, qui Spiritum Sanctum *ex Filio* procedere dicere recusant ad mentem Maximi et Joannis Damasceni; quorum veram sententiam non intellexit Paulinus. Hic notandum est quosdam Graeco-Russos, post Zernikavium, *De processione Spiritus Sancti*, ed. E. Bulgaris, t. I, p. 329-330, 403-407, 469-474, contendisse acta synodi Forojulien-

Quid sentiendum sit de interpretatione decreti concilii Ephesini conciliorumque subsequentium *de non componenda altera fide* a Paulino data, ex dictis in articulo praecedenti satis clare apparet. Revera Paulinus pro sua sententia habet communem praxim Ecclesiarum tum Occidentis, tum Orientis, inde a concilio Ephesino. Quamvis enim jure quis contenderet possit concilium prohibere voluisse ne privati, quin etiam forsan Ecclesiae particulares, novas fidei formulas, etiam orthodoxas, componerent, attamen historia compertum est hanc prohibitionem *litteram pene mortuam remansisse*, et statim post ipsum concilium Ephesinum eo sensu intellectam fuisse, ut formulae heterodoxae tantum vetarentur ac damnarentur (1).

Ex verbis autem ejusdem Paulini colligere possumus jam saeculo VIII finiente non solum quaestionem canonicam de additione vocis *Filioque ad* symbolum, sed etiam ipsam *quaestionem dogmaticam* de veritate in additione expressa inter Graecos et Latinos *aliquatenus* controverti incepisse; non quod Graeci ab illo tempore revera negaverint doctrinam catholicam — nulla enim hactenus exstat ratio hoc asserendi —, sed quod Latini quidam, ut Paulinus, propter terminorum ambiguitatem in utraque lingua, graeca et latina, adhibitorum et formularum diversitatem de facto hoc crediderint (2).

---

sis, prout nunc leguntur, a Latinis interpolata fuisse; quorum sententia nullo nititur fundamento. Paulinus enim magnae synodo Francofordiensi interfuerat et cum aliis imperii Caroli episcopis sentiebat.

(1) Cf. quae supra dicta sunt, p. 253.

(2) Mox diximus Paulini verba: *propter haereticos qui sussurrant Spiritum Sanctum solius esse Patris et a solo procedere Patre,* ad Graecos verisimiliter referenda esse. Potuit Paulinus alludere ad ea, quae tempore Martini papae saeculo praecedenti acciderant propter synodicam epistolam Romani Pontificis ad patriarchas orientales.

Potuerunt siquidem Graeci quidam jam ab illo tempore asserere quod paulo post dixit Michael Syncellus, scilicet quod Spiritus Sanctus « ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται », quin doctrinae catholicae reapse adversati fuerint, ut de Michaele supra explicavimus (1).

III. — Graeci Hierosolymitani et monachi Benedictini Montis Oliveti. S. Leonis papae III *doctrina et agendi ratio.*

Latinos theologos audivimus formulam Graecorum de processione Spiritus Sancti a Patre per Filium satis dure carpentes, quasi haec Macedonianorum et Anomaeorum haeresi suffragetur, vidimusque Hadrianum I Patrum Graecorum testimoniis eamdem tuentem ac munientem. Vix autem tredecim anni post hanc litem elapsi erant, quando anno 808, in civitate Jerusalem nova contentio exorta est non circa formulam Graecorum, sed circa formulam Latinorum: *Spiritus a Patre Filioque procedit.* Hanc monachus quidem laurae S. Sabbae prope Hierusalem, nomine Joannes, tanquam haeresim redolentem publice denuntiavit ac reprehendit. Hic Joannes, qui cum Joanne Damasceno confundendus non est (2), Damasceni theologia certe imbutus erat, secundum quam, ut supra declaravimus (3), Spiritus Sanctus non dicitur *ex Filio esse seu procedere* (τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Υἱοῦ οὐ λέγομεν), sed a Patre *per Filium* procedere. Unde cum audivisset monachos

(1) P. 193.

(2) Falso putavit Petrus Pithoeus hunc Ioannem esse ipsum Ioannem, Damascenum, qui iamdiu, anno scilicet 749, obierat.

(3) P. 186.

latinos Montis Oliveti, regulae S. Benedicti addictos (1), in missa canentes symbolum cum additione vocis *Filioque*, statim illos haereseos insimulavit et non parvam illis molestiam attulit, ita ut ipse patriarcha Sanctae Civitatis Thomas de hoc curare coactus fuerit. Pro sua defensione, Benedictini Ecclesiae Romanae auctoritatem praetenderunt, affirmaverunt se audivisse in capella Caroli imperatoris dici in symbolo fidei: *Qui ex Patre Filioque procedit*, protuleruntque locos ex operibus sancti Graegorii papae, ex regula sancti Benedicti necnon ex symbolo athanasiano desumptos, in quibus doctrina de processione Spiritus Sancti ab utroque diserte exprimebatur. Hoc non contenti, ad Leonem papam III satis longam miserunt epistolam, in qua ingenue sincereque narrant omnia quae sibi obvenerunt, ex quo Sabaïta ille Joannes illos appellare coepit haereticos (2). In fine, Summum Pontificem rogant, ut dignetur « inquirere tam in Graeco quam in Latino de sanctis Patribus qui symbolum composuerunt istum sermonem, ubi est « ex Patre Filioque procedit ». Et in Graeco non dicunt sicut nos, sed dicunt: « Qui ex Patre procedit ». Et vident istum sermonem gravem, quem nos dicimus in latino. Et mandare digneris domno Carolo imperatori filio vestro, quod nos istum sermonem audivimus in ejus capella: *Qui ex Patre Filioque procedit* » (3).

Postquam hanc monachorum epistolam legit, Romanus Pontifex non solum ad monachos, sed etiam ad omnes Orien-

(1) His monachis patrocinabatur Carolus Magnus, qui a Khalifa Harun-A-Raschid honorarium quemdam dominataum in loca sancta civitatis Hierusalem acceperat.

(2) *Epistola peregrinorum monachorum in Monte Oliveti habitantium ad Leonem III pontificem romanum*, in P. G., t. 129, col. 1257-1259, necnon in P. G., t. 94, col. 206-207 et in *M. G. H. Epistolae*, t. V.

(3) P. L., *t. cit.*, col. 1259.

tis Ecclesias litteras cum fidei professione misit, ex quibus haec transcribimus:

« Leo episcopus, servus servorum Dei, omnibus Orientalibus Ecclesiis. Hoc symbolum orthodoxae fidei vobis mittimus, ut tam vos quam omnis mundus, secundum Romanam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, rectam et inviolatam teneatis fidem. Credimus sanctam Trinitatem, id est Patrem, Filium et Spiritum Sanctum a Patre et a Filio aequaliter procedentem... Pater plenus Deus in se. Filius plenus Deus a Patre genitus. Spiritus Sanctus plenus Deus a Patre et Filio procedens. Qui secundum hanc fidem rectam non crediderit, hunc damnat sancta, catholica et apostolica Ecclesia, quae fundata est ab ipso Jesu Christo Domino nostro, cui est gloria in saecula. Amen » (1).

Nescimus an Leo III alia documenta ad Benedictinos miserit, quidve de recitatione symboli Nicaeno-Constantinopolitani cum *Filioque* illis dixerit. Valde probabile est illum de hac re omnino tacuisse. Illi satis fuit Orientalibus fidem Romanam declaravisse, quin salebrosam quaestionem de additione ad symbolum attingeret. Interea, epistolam monachorum ad Carolum transmisit una cum alia epistola a Thoma Hierosolymorum patriarcha per Agamum et Roculphum accepta (2).

---

(1) P. L., ibid., col. 1260-1262.

(2) Transmisit etiam ad Carolum symbolum orthodoxae fidei quod ad monachos Montis Oliveti et ad Orientales direxerat. Vide epistolam Papae de hac re Carolo scriptam in P. L., t. 129, col. 1259-1262. Mirum est Thomam patriarcham legationem ad Papam misisse, statim post discessum missorum monasterii Montis Oliveti, quorum unus erat presbyter Ioannes. Non enim legati monachorum iidem fuerunt ac legati Thomae. Dicit enim papa in sua epistola ad Carolum, postquam de epistola monachorum locutus est: « Interea revertentes praesentes fideles vestri, Agamus videlicet et Roculphus, ab Hierosolymis detulerunt nobis epistolam Thomae Hierosolymorum patriarchae, quam relegentes reperimus, ut per nostram precatoriam epistolam vestrae pietati

Carolus, his litteris perlectis, Theodulphum Aurelianensem episcopum rogavit, ut quoddam opus de processione Spiritus Sancti conscriberet; quod et praestavit (1). Item Smaragdus, abbas S. Michaelis prope Virdunum, opellam de eadem quaestione edidit, in qua doctrinam catholicam S. Scripturae locis potissimum munit (2).

Utramque dissertationem examini subjecit et approbavit synodus Aquisgrani, mense novembri anni 809, a Carolo congregata, quae doctrinam de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio confirmavit, et etiam, ut videtur, additionem vocis *Filioque* ad symbolum commendavit. Synodi acta una cum dissertatione Smaragdi Bernarius, Wormaciensis episcopus, et Adelardus, abbas Corbeiensis, Leoni papae detulerunt.

Anno 810 ineunte, legatos imperiales in secretario Sancti Petri papa recepit. Actis synodi perlectis, una cum testimoniis S. Scripturae et Patrum processioni Spiritus Sancti a Patre et Filio suffragantibus, Leo dixit:

« Ita sentio, ita teneo cum his auctoribus et Sacrae Scripturae auctoritatibus. Si quis aliter de hac re sentire vel docere voluerit, defendo, et nisi conversus fuerit, et secundum hunc sensum tenere voluerit, contraria sentientem funditus abjicio » (1).

---

commendaremus ». Lequien supponit Agamum et Roculphum monachos fuisse benedictinos. P. G., t. 94, col. 208; quod affirmare non ausim.

(1) *Liber de Spiritu Sancto*, P. L., t. 105, col. 239-276.. Theodulphus ex Patribus graecis citat Athanasium, Cyrillum, Didymum, Proclum. Verum loci ex Athanasio sumpti spurii sunt et locus unicus Procli non est ad rem. Ex Latinis vero laudantur Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, Isidorus, Prosper, Fulgentius, Hormisdas papa, Leo, Vigilius Tapsensis, Prudentius poeta, Cassiodorus, Agnellus Ravennatensis.

(2) P. L., t. 98, col. 923-929.

(3) *Acta collationis romanae descripta a Smaragdo, abbate S. Michaelis*, P. L., t. 102, col. 971-976. Vide etiam collectiones conciliorum et *Monumenta Germ. hist. Concilia*, t. II, p. I, p. 240 sq.

Quando vero ad decretum synodi de additione vocis *Filioque* ad symbolum necnon de ejus cantu in missa ventum est, tunc Papa amice cum legatis disputare coepit. Doctrinam de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio disertis verbis rursum approbavit dixitque esse optimum illam omni modo, sive sermonibus, sive cantibus, sive etiam professionibus fidei particularibus evulgare ac praedicare, quamvis haec veritas revelata ad numerum earum non pertineat, quae scitu necessaria sunt ad salutem. At hoc illi maxime displicuit, quod Ecclesiae regni Caroli, se inscio et inconsulto, vocem *Filioque* Symbolo inseruissent, additionemque expresse damnavit, sequentes praetendens rationes:

1° Patres qui symbolum condiderunt hanc vocem *Filioque* non addiderunt, multaque alia omiserunt, quamvis non minus quam nos omissa noverint et intellexerint. Sic egerunt non humana ducti sapientia, sed divino afflati consilio. Unde nos debemus illorum vestigiis inhaerere neque nosmetipsos illis sapientiores existimare.

2° Concilia oecumenica quae subsecuta sunt, quartum scilicet, quintum et sextum, « ut novum ultra symbolum a quoquam qualibet necessitate seu salvandi homines devotione condere et in veteribus tollendo, addendo mutandove quidpiam inserere prohibuerunt », etiamsi agatur de additionibus orthodoxiae congruentibus.

3° Nulla urget necessitas symbolo inserendi veritates revelatas ibi non expressas, quamvis eas fide explicita profiteri debeant illi quibus innotescunt. Caeterum alia via veritates huiusmodi doceri ac praedicari possunt.

Cum autem legati imperatoris papam interrogassent utrum additio supprimenda esset, respondit ille:

« Si priusquam ita cantaretur, interrogatus essem, ne inseretur utique respondissem. At nunc, quod tamen non affirmando, sed vobiscum pariter tractando dico, quantum menti occurrit, ita mihi videtur posse utrumque fieri: *ut paulatim in palatio, quia in nostra sancta Ecclesia non cantatur, cantandi consuetudo ejusdem symboli intermittatur*: *sicque fiat ut quod idipsum ut cantaretur, non quaelibet imperantis auctoritas, sed potius audiendi id fecerat novitas. Si dimittatur a vobis, dimittetur ab omnibus*: *et ita fortasse, quantum esse potest, non incongrue utrumque fieri possit*: *ut quod jam nunc a quibusque prius nescientibus recte creditur, credatur, et tamen illicita cantandi consuetudo sine cujusque fidei laesione tollatur* » (1).

Haec ingeniosa ad propositam difficultatem solvendam a Papa adinventa solutio, quam ipse non per modum praecepti sed per modum instantis consilii legatis Caroli declarabat, Imperatori non arrisit. Consuetudo cantandi symbolum cum additamento non derelicta fuit, sed magis ac magis in dies per Ecclesias Galliae et Germaniae fere omnes invaluit (2).

Quid autem de rationibus contra additionem a Leone prolatis sentiendum sit, si illas ad historiae lumen perpendere velimus, ex iis quae in articulo praecedenti diximus luculente apparet. Certo Ephesinum decretum de non componenda *altera fide*, si *ad litteram* sumatur, non solum privatos, sed etiam Ecclesias particulares ligare videtur. Verum Ephesina synodus, ut diximus, non symbolum nicaeno-constantinopolitanum, sed nicaenum purum respicit, nec Leo III ad hanc synodum

(1) *Acta collationis romanae descripta a Smaragdo, abbate S. Michaelis*, P. L., t. CII, col. 971-976. Vide etiam collectiones conciliorum et *Monumenta Germ. hist. Concilia*, t. II, p. I, p. 240 sq.

(2) Hoc scimus non solum ex testimonio Walafridi Strabonis supra relato sed etiam ex Aenea Parisiensi, in suo *Libro adversus Graecos*, circa annum 868 conscripto, c. 93, P. L., t. 121, col. 721.

provocat, sed ad sequentes, Chalcedonensem scilicet, Constantinopolitanam II et III, quae decretum Ephesinum iterarunt, ad symbolum nicaeno-constantinopolitanum illud jam accommodantes, non tamen ad istud solum, sed etiam ad sua quaeque propria decreta, ita ut hujusmodi decreti significatio compositionem *formulae heterodoxae,* non vero meras additiones verae fidei consonas respiciat; quod ex communi Ecclesiae praxi, inde ab ipso synodi Ephesinae decreto, haud dubie constat.

Si vero aequum de Leonis agendi ratione judicium ferre volumus, ad aliam rationem, quam legatis Caroli non aperuit, quam tamen illum in mente gessisse non temere conjicere licet, attendere debemus, scilicet quod prudentissimus ille universalis Ecclesiae pastor Byzantinorum et Francorum mutuam simultatem ex politicis causis ortam et enutritam considerabat; nec ignorabat Byzantinos erga romanam Ecclesiam infenso animo esse tum propter temporale dominium a Francorum regibus ei traditum, tum praesertim ob imperium romanum Occidentis ab ipso Leone anno 800 instauratum. Videbat etiam ipsam vocis *Filioque* additionem ad symbolum Graecorum Hierosolymitanorum animos in Latinos recenter concitasse eisque de illorum recta fide suspicionem injecisse. Unde omnem novam litis occasionem cum Graecis vitare conabatur. Caeterum Graeci doctrinam catholicam de processione Spiritus Sancti nondum expresse negaverant, atque Romano Pontifici satis erat hanc doctrinam in tuto posuisse omnibusque Orientalibus Ecclesiae romanae fidem per symbolum supra memoratum declarasse.

Ut autem omnibus palam ostenderet suam erga symbolum nicaeno-constantinopolitanum venerationem, suum erga Patres amorem, et praesertim suam prudentem de pace ecclesia-

stica sollicitudinem ab omni novitate inutili ac periculosa alienam, symbolum sine additamento exarandum curavit « *supra duos ex argento scutos* (seu tabulas) *unum quidem litteris graecis, alterum vero latinis scriptum, pensantes argenti libras nonaginta quatuor et uncias sex; quos ad Confessionem Sancti Petri in eius Basilica, hinc inde affixit* » (1).

Haec duo scuta seu tabulae argenteae apud Sanctum Petrum diu remanserunt. Saeculo XI mediante, Petrus Damianus illa ibi videt (2), et ibidem erant circa finem saeculi XIII, ut in sua *Refutatione Photii* testatur Joannes Veccus (3).

(1) *Hic,* ait Anastasius Bibliothecarius in *Vita S. Leonis III, pro amore et cautela orthodoxae fidei fecit ubi supra scutos ex argento, scriptos utrosque symbolo, unum quidem litteris graecis, et alium latinis* ». Duchesne, *Le Liber Pontificalis,* Paris, 1892, t. II, n. 84, p. 26.

(2) *Opusculum* 38 *contra errorem Graecorum de processione Spiritus Sancti,* cap. II: « Beatus etiam Leo papa in argentea tabula, quae ante sacratissimum corpus *B. Pauli Apostoli* [?] videtur erecta, inter ceteras fidei suae symbolas ait: « *Et in Spiritus Sanctum Dominum et vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio coadorandum et glorificandum* ». P. L., t. 145, col. 635. Cf. etiam Abaelardum, *Introductio in theologiam,* II, 14, P. L., col. 178, 1075, et P. Lombardum, *Lib.* I *Sent., dist.* XI P. L., t. 192, col. 552.

(3) « Tabellae illae, quae in repositoriis Sanctorum Petri et Pauli repositae erant, *ex aere factae* (καὶ χαλκοῦ πεποιημέναι ἀσπίδες), in quibus sacrum fidei symbolum graeca lingua inscriptum erat atque romana, ibi locorum sunt, ubi eas Leo Papa collocavit; et symbolum secundum utramque dialectum, sicut nobis ii qui in loco id didicerunt, asseverarunt, ubique apud Romanos recitatur ». Ioannis Vecci *Refutatio photiani libri de Spiritu Sancto,* P. G., t. 141, col. 848. Photius ipse bis loquitur de iisdem scutis, quae vocat θυρεούς in *epistola ad archiepiscopum Aquileiensem, et* ἀσπίδας in *Mystagogia Spiritus Sancti,* P. G., t. CII, col. 380 A, 800 B. Verum multipliciter errat in iis quae narrat de agendi ratione Leonis papae III circa quaestionem de processione Spiritus Sancti: Primo quidem, sancto Leoni papae IV (847-855) tribuit ea quae ad S. Leonem papam III (795-816) referri debent, P. G., t. CII, col. 376. 2° Actum huius Leonis junioris, de quo loquitur, illos duos scutos affigentis, ita interpretatur, ac si Papa pro tuenda sententia photiana de processione Spiritus Sancti a Patre solo id egisset: πᾶσαν ἁπάντων ἐκκόπτων πρόφασιν αἱρετικήν, ait in *Mystagogia,* col. 376, dum in *Epist. ad arch. Aquileiensem,* col. 800, dicit Leonem praefatos scutos ob omnium oculos collocasse, « ne via esset occultis depravatori-

Quaenam autem fuerit Orientalium positio et agendi ratio postquam receperunt litteram encyclicam Leonis III processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio adeo expresse praedicantem, fere ex toto ignoramus. Unum tantum ex *Vita S. Michaelis Syncelli* scimus (1), scilicet quod controversia hierosolymitana non statim sopita fuit, sed aliquot annos adhuc perduravit. Patriarcha hierosolymitanus Thomas, qui anno 809 legationem cum litteris tum ad papam tum ad Carolum Magnum miserat, alteram legationem anno 813 ad Leonem direxit, ut ampliorem elucidationem circa processionem Spiritus Sancti a Patre Filioque postularet. Quaedam enim in professione fidei Romani Pontificis legebantur, quae Graecorum auribus male sonasse facile conjicimus (2). Legatorum nomina

bus ac vanarum doctrinarum auctoribus adulterandi nostram christianam fidem *alteramque, praeter Patrem, nempe Filium, invehendi causam Spiritus*, καὶ δεύτερον αἴτιον εἰσάγειν, παρὰ τὸν Πατέρα, τὸν Υἱόν. » 3° Quoddam decretum ab eodem Pontifice latum somniat, quo non solum Romae, sed etiam per omnes Occidentis Ecclesias symbolum sine additione intra missarum solemnia graece recitandum fuisset. *Mystagogia*, 87, col. 376-377. Cf. Hergenröther, *Photius*, t. I, p. 707-708, et *Tubing. theol. Quartalschrift*, t. IV (1858), p. 607-613; 4° Demum suo modo narrat factum affixionis scutorum: Scuti illi non tempore Leonis conflati fuerint, sed ab antiquissimo tempore, *cum pietas adhuc floreret*, ἀνθούσης εὐσεβείας, exstiterint, symboli utrumque textum, graecum et latinum, praeferentes, et in repositoriis apostolorum Petri et Pauli obliti diu iacuerint. *Mystagogia*, 88, col. 380; *Epist. ad arch. Aquil.*, col. 800. Nota polemistas antilatinos ad illos duos Leonis papae scutos provocare solere, illud quod est pro sua thesi circa additionem efferentes, explicitam vero doctrinae catholicae professionem de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio ad omnes Orientales ab eodem Leone missam tacentes et insinuantes illum doctrinae photianae de processione Spiritus a Patre solo suffragatum fuisse.

(1) *Vitam Michaelis* habes in commentario graeco « Ἑλληνικὸς φιλολογικὸς σύλλογος ». *Suppl. archaeolog.* ad tt. 24-26, 1896, p. 24-34.

(2) Hoc praesertim Graecos hierosolymitanos theologiae Damasceni addictos offendere debuit, quod dixerat Leo, nempe quod Spiritus Sanctus a Patre et Filio *aequaliter* procedit. Hoc adverbium *aequaliter* vix capere poterant Graeci, quippe qui in suis trinitariis formulis ad ordinem personarum toti intenti erant

ex *Michaelis Vita* novimus: fuerunt ipse Michael Syncellus, Jobus monachus et fratres ambo Theodorus et Theophanes *Grapti* dicti. Infeliciter hi legati prae imprevisis impedimentis Romam pervenire non potuerunt, ita ut verum controversiae hierosolymitanae exitum ignoremus (1). Valde probabile est illam sensim fuisse sedatam, et monachos latinos Montis Oliveti, ipsius Romani Pontificis auctoritate fretos, a Graecis non amplius lacessitos fuisse. Quaestio autem in diversitate utriusque formulae, latinae scilicet et graecae, de processione Spiritus Sancti latens et periculosam ambiguitatem in se recondens etiam illa vice haud enodata remansit; quod Photii haereticae novitati mox oriturae aliquatenus favit atque viam paravit.

Conclusio de traditione catholica ante Photium.

Post hanc longam de traditione catholica octo priorum saeculorum investigationem, restat ut conclusionem ex illa manifesto emanantem breviter declaremus.

Sine ulla controversia dogma catholicum de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio seu a Patre per Filium ad illas veritates revelatas pertinet ,quae in antiqua Ecclesia, tam in Oriente quam in Occidente, *fide explicita* creditae sunt. Non uno tamen modo, sed variis formulis variisque locutio-

et diversum respectum Patris et Filii ad Spiritum Sanctum adeo stricte distinguebant, ut dicere recusarent Spiritum Sanctum etiam *ex Filio esse.* Unde, ut supra notavimus, p. 193, Michael Syncellus eo usque, pervenit, ut diceret Spiritum Sanctum ἐκ τοῦ Πατρὸς μόνου ἐκπορεύεσθαι, quin tamen sensum haereticum huic locutioni affixerit.

(1) Cf. S. Vailhé, *S. Michel le Syncell et les deux frères Grapti*, in commentario *Revue de l'Orient chrétien*, t. vi (1901), p. 324 sq., 610 sq.

nibus ab Ecclesiae doctoribus haec veritas proposita est, quoniam non sub uno aspectu ab illis considerata fuit.

Graeci siquidem, ad ordinem personarum in Trinitate plerumque animum attendentes, diversum respectum quem habet Spiritus Sanctus ad Patrem et ad Filium, quantum ad suam originem, districte notare consueverunt. Non excludunt sane Filium a productione Spiritus Sancti, sed in hac productione seu spiratione Patri primas partes tribuunt, quatenus Pater est *principium proprie dictum*, id est principium primum, principium sine principio tum Filii, tum Spiritus Sancti, eique nomen *causae* seu *principii* reservant. Partes autem Filii in eadem productione in obscuro relinquunt — loquimur de ultimis Patribus graecis — eumque tanquam principium medium processionis per suam formulam *A Patre per Filium* repraesentant. Nec *expresse* dicunt Filium esse una cum Patre *principium unum* Spiritus Sancti, sed hoc *implicite* tantum insinuant. Subobscura ergo adhuc et imperfecta remanet eorum doctrina, ita ut ambiguitatibus et logomachiis ansam facilem praebere possit.

Alium defectum apud illos animadvertimus: eorum scilicet ignorantiam quasi absolutam traditionis Ecclesiae latinae ejusque continuitatis et unanimitatis in affirmanda processione Spiritus Sancti a Patre et Filio seu ab utroque, ita ut data occasione mirentur et scandalizentur quod Latini profiteantur Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere, et quidem *aequaliter* ab uno et ab altero. Haec autem admiratio exinde provenit quod ipsi non totam suorum Patrum theologiam inde a saeculo VII retinuerunt, sed quibusdam terminis et formulis, prae aliis a Patribus saeculi IV et V usurpatis, exclusive adhaeserunt. Plures enim Patres graeci inter maximos haud semel docuerant Spiritum Sanctum etiam *ex Filio*

esse seu *procedere* (ἐκ τοῦ Υἱοῦ εἶναι, προϊέναι); quod tamen saeculis VIII et IX amplius audire nolunt theologi byzantini (ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα οὐ λέγομεν). Item oblivioni mandant locutiones antiquorum dicentium Spiritum Sanctum esse, procedere *ex essentia Filii, ex essentia Patris et Filii,* id est ex essentia divina quatenus est in Patre et Filio simul; quo loquendi modo unitas principii processionis innuitur; ex quo intelligere possint quomodo Latini Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere *aequaliter* affirmare non dubitent.

Ad Latinos autem quod attinet, in hoc Graecis praestarunt quod Augustinum habuerunt, Augustinum, inquam, qui inter Ecclesiae Patres et doctores primus et solus totam de Spiritus Sancti processione doctrinam ex sacrae Scripturae locis collegit atque dilucide exposuit, non ad unum tantum dogmatis aspectum respiciens, sed tum ad *principium quod,* tum ad *principium quo* processionis attendens, tum ordinem personarum, tum principii seu spirationis unitatem in Patre et Filio expresse notans ac declarans. In hoc tamen adhuc saeculo IX deficiunt, quod accurata Patrum graecorum notitia et byzantinae theologiae ultima evolutio, ad formulas trinitarias quod attinet, illos latet. Ipsam formulam omnibus fere Graecis communem: *A Patre per Filium* suspectam habent et tanquam novitatem carpunt, quasi a paucis tantum adhibita fuerit. Linguae vero graecae subtilitates, tenuis sed non negligenda differentia significationis praepositionum ἐκ et διά necnon specialis et quasi technicus sensus verbi ἐκπορεύεσθαι illos penitus effugiunt. Neque clare perspiciunt conceptum Graecorum de Trinitate in formula *ex Patre per Filium* expressum. Si quando autem Graeci illorum rectam fidem in dubium vocaverint, tunc illis satis est ad Patres latinos et ad quosdam ex Graecis confugere, ad illos scilicet qui Latinorum

loquendi modo usi sunt. Saeculo IX, theologos Carolingianos videmus quaedam proferre testimonia ex Athanasio, Didymo, Basilio et Cyrillo Alexandrino; at vero ex his haud pauca sunt spuria, praesertim ea quae sub Athanasii nomine veniunt; quae vero genuina sunt non semper rei conducunt et nonnisi ex parte traditionem graecam referunt.

Dolendum est sane quod jam eo tempore, quo illae primae inter Graecos et Latinos de hac quaestione controversiae, quas breviter mox narravimus, nullus sive Graecus sive Latinus inventus fuerit theologus, utriusque linguae et theologiae sufficienter peritus, qui ambiguitates et errorum pericula in terminis formulisque utrimque latentia in aperto posuerit, quemadmodum postea hoc praeclare praestarunt tum Byzantini unionis amici, tum deinceps et ad nostra usque tempora e nostris multi; inter quos nominare juvat Bollandistam Victorem de Buck, qui ut omnem ambiguitatem et logomachiam ex quaestione tamdiu tamque acriter controversa penitus expelleret, sequentes confecit anathematismos, nullum amplius locum errori relinquentes et veram Patrum antiquorum, quum Graecorum tum Latinorum, doctrinam clarissime aperientes:

Si quis dixerit Patrem solum non esse unicum fontem Trinitatis, anathema sit.

Si quis dixerit Patrem, gignendo Filium, huic non dedisse ut simul secum produceret Spiritum Sanctum, anathema sit.

Si quis dixerit Spiritum Sanctum non procedere ex Patre principaliter, seu tanquam ex principio primordiali, et ex Filio non tanquam principio primordiali, sed tanquam habente a Patre ut a se (Filio) quoque Spiritus Sanctus existentiam, subsistentiam et essentiam accipiat, anathema sit.

Si quis dixerit Spiritum Sanctum procedere ex Patre et

ex Filio de eo in quo alii sunt ab invicem, et non de eo in quo unum sunt, anathema sit.

Si quis ergo dixerit duo esse principia, duasve productiones Spiritus Sancti, et non unum principum unamque productionem, aut Patrem et Filium non esse principium Spiritus Sancti per unam utrique communem spirationem, anathema sit.

Si demum quis dixerit Spiritum Sanctum ita procedere ex Patre, ut simul non sit Spiritus Filii, aut ita esse Spiritum Filii, ut a Filio non simul ac a Patre existentiam, subsistentiam et essentiam accipiat, et secundum hanc notionem ex Filio non procedat, anathema sit (1).

His anathematismis, qui revera nihil aliud sunt nisi accurata definitionis synodi Florentinae explicatio, hunc addere liceat propter locutionem a Latinis saepe usurpatam: « Spiritus Sanctus a Patre et Filio *aequaliter procedit* », quae graecas aures offendere possit:

Si quis dixerit Spiritum Sanctum non procedere « aequaliter » a Patre et Filio, quasi Pater et Filius essent duo principia, non vero unum et idem principium Spiritus Sancti, anathema sit.

Equidem si haec jam saeculo IX dicta fuissent et explicata, simulque Patrum tum graecorum tum latinorum testimoniis copiose munita, ita omnibus proposita fuissent, photiana haeresis superveniens Byzantinorum animis non tam facile obrepsisset.

---

(1) *Essai de conciliation sur le dogme de la procession du Saint-Esprit*, in commentario *Etudes de théologie et de philosophie*, t. II, Parisiis, 1857, p. 346.

CAPUT QUARTUM

De controversia inter Graecos et Latinos de processione Spiritus Sancti inde a photiano schimate ad nostra tempora.

Praenotamina.

Ut in praecedentis capitis conclusione notavimus, quamvis doctrina de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio seu a Patre per Filium ante schisma photianum in Ecclesia universali explicite tradita fuerit, nondum tamen sub omni respectu investigata fuerat; nec discussa omnino ambiguitas in utraque formula, latina et graeca, latens. Nemo tamen ante Photium expresse dixerat quod ille missis omnibus ambagibus ex professo praedicavit, scilicet quod Spiritus Sanctus a Patre *solo,* omni participatione Filii exclusa, procedat. Theodoretus quidem Photio praeivisse videtur; at vero nonnisi *implicite* et quasi *inscienter* doctrinae catholicae adversatus est. Verum est item Michaelem Syncellum, sub influxu controversiae inter Graecos et Latinos saeculo IX ineunte Hierosolymis exortae, *ad verbum* jam scripsisse Spiritum Sanctum *ex solo Patre procedere,* ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι. Vidimus tamen illum etiam cum hac formula othodoxiae limites non praetergressum fuisse, quippe qui expresse docuerit Spiritum Sanctum ex Patre *per Filium exire*, διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐξιόντος. Pho-

tius vero omnino explicite dogma catholicum negavit et — quod admirationem movere potest — ejus doctrina, nemine contradicente, in Ecclesia byzantina communiter mox recepta est. Inde inter Graecos et Latinos incepit illa interminabilis controversia, quae per totum Medium Aevum protracta nondum penitus sopita est, quamvis genuinae Photii positioni haud pauci ex Graeco-Russis nostri temporis valedixerint.

Nostri propositi non est hujus controversiae historiam per singula hic enarrare; quod alibi fuse praestavimus (1); sed eam paucis delineare, et in fine quaenam sit hodie circa processionem Spiritus Sancti Graecorum-Russorum positio, certo definire.

Materiam totam sex articulis absolvemus. Loquemur:

1° De doctrina Photii circa processionem Spiritus Sancti;

2° De controversia inter Graecos et Latinos circa hanc quaestionem a Photii morte ad saeculum XII;

3° De eadem controversia a saeculo XII incipiente usque ad Constantinopolim a Turcis captam (a. 1453);

4° De praecipuis polemistis graeco-russis a saeculo XVI usque ad Collationes Bonnenses (1874-1875);

5° De controversia inter theologos russos et Veteres Catholicos ab anno 1874 ad annum 1907;

6° De vera positione Graeco-Russorum circa processionem Spiritus Sancti ex publicis Ecclesiae graeco-russicae documentis necnon ex dictis theologorum ejus recentiorum.

(1) In tomo I scilicet necnon in t. II *Theologiae Orientalium.*

Art. I. — De Photii doctina circa processionem Spiritum Sancti.

Praenotamina.

De theologia photiana circa processionem Spiritus Sancti in praecedentibus capitibus haud pauca jam protulimus. Locuti sumus enim tum de ejus interpretatione locorum sacrae Scripturae ad questionem pertinentium, tum de iis, quae ex octo priorum saeculorum traditione deprompsit sive pro sua thesi munienda, sive ad doctrinam catholicam evertendam. Restat ut ejus doctrinam pressius ac clarius definiamus sequentibus quaestionibus responsionem dando, scilicet:

1° Utrum novam haeresim revera docuerit, an de mera logomachia cum eo agatur;

2° Utrum de proposita quaestione per totum vitae suae cursum semper idem tenuerit, an sententiam mutaverit;

3° Utrum ejus doctrina theologis latinis saeculi IX innotuerit et ab Ecclesia damnata fuerit.

4° Utrum Scotus Erigena, theologus latinus Photii coaetaneus, photianam doctrinam de processione Spiritus Sancti docuerit.

I. — *Utrum Photius novam haeresim revera docuerit.*

Prima de Photio solvenda quaestio est utrum novam haeresim reapse docuerit. Cum enim controversiis praeviis, quae inter Graecos et Latinos ante schisma photianum exortae sunt, terminorum utrimque adhibitorum ambiguitas locum dederit, suspicari quis possit etiam cum Photio non de

doctrina ipsa sed de verbis solis totam litem esse, praesertim cum novatorem in sua *Mystagogia Spiritus Sancti* conclamantem audiamus: « Neque divinis sacrarum Scripturarum, neque humanis sanctorum Patrum eloquiis *ad verbum* unquam enuntiatum fuit Spiritum τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι » (1). Quaestioni autem sine ulla dubitatione respondendum est: Vere Photius novae haereseos auctor exstitit. Doctrinam catholicam de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio seu a Patre per Filium sine controversia negavit. Hoc constat:

1° ex certis locis scriptorum ejus;

2° ex eo quod verbo ἐκπορεύεσθαι prae aliis, quae ejusdem sunt significationis (ut προέρχεσθαι, προάγεσθαι, προϊέναι) nullum specialem sensum tribuit, ex quo logomachia oriri possit;

3° ex quibusdam principiis theologicis, quibus tanquam axiomatibus inconcussis utitur ad doctrinam Latinorum impugnandam;

4° ex silentio quod servat circa formulam Graecorum: *A Patre per Filium procedit*, necnon ex modo quo quasdam comparationes a Patribus graecis adhibitas ad inculcandum Trinitatis mysterium ab earum vera significatione detorquet easque modo sibi proprio explicat.

1° *Filium ab actu, quo Spiritus Sanctus a Patre producitur, expressis verbis excludit.* — Ex innumerabilibus locis scriptorum Photii, in quibus ille Filio denegat omnem participationem in actu productionis seu spirationis Spiritus Sancti, sequentem clarissimum esse nullique dubio ansam relinquere nemo infitias ibit:

(1) *Mystagogia*, 92, P. G., t. CII, col. 385.

« Quid ais? *Accepit a Patre Filius, ex ipso per generationem profectus, alium quoque ejusdem naturae producere?* (Ἔλαβεν παρὰ τοῦ Πατρὸς ὁ Υἱός, ἐξ αὐτοῦ διὰ γεννήσεως προελθών, καὶ προάγειν ἕτερον ὁμοφυές;) Quomodo igitur et ipse Filius, producens ejusdem sibi naturae Spiritum, non communicavit, sicut ipse participaverat, similem virtutem et praerogativam, ut Spiritus itidem gloriam habeat alium consubstantialem producendi? Et tamen par erat, ut Filius, licet non ob aliud quidquam, at saltem ad Patris imitationem per operationes similes similitudinem conservaret » (1).

Vides Photium his verbis aperte adversari definitioni concilii Florentini dicentis: « Et quoniam omnia quae Patris sunt Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit praeter esse Patrem, *hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio ipse Filius a Patre aeternaliter habet,* a quo etiam aeternaliter genitus est ». Idem haud semel expressis verbis asseruit Augustinus. Ergo ipsam notionem principii principium habentis a Trinitate excludit Photius. Pater solus est causa seu principium, non solum eo quod sit solus principium primum seu originale, sed eo quod nulla alia persona Trinitatis rationem principii *quocumque modo* habeat.

Haud minus diserte novam haeresim exprimit hoc excerptum:

« Si enim ex una eademque causa, Patre, tum Filius tum Spiritus Sanctus prodiit, tametsi hic quidem per processionem, ille autem per generationem; rursus autem Filius Spiritum producit, ut blasphemia clamat, quomodo non ratio consecutionis nos cogat asserere Spiritum quoque esse Filii productivum? Cum enim aeque uterque a causa illa prodierit, si alter erga alterum munere causae fungitur, certe

(1) *Mystagogia,* 40, P. G., t. CII, col. 320 A. Cf. *Myst.,* 8, 46, col. 289, 324; *Epist. ad arch. Aquil.,* 19, P. G., *ibid.,* col. 729.

omni modo et invariata ordinis conservatio exigit ut et alter vicissim, par pari referens, causa alterius existat » (1).

Alibi processionem Spiritus etiam ex Filio rejicit novator tanquam prorsus inutilem, eo quod, inquit, Spiritus Sanctus a Filio *nil pluris* accipere possit quod a Patre non recipiat (2).

Dum in *Homilia III contra haereses* personarum Trinitatis proprietates hypostaticas enumerat, doctrinam catholicam iterum ex professo negat:

« Proprietatem Patris et Filii et Spiritus Sancti conservemus, ingenitum Patrem, genitum Filium, ἐκπορευτὸν Spiritum Sanctum glorificantes. Neque Filium et Spiritum Sanctum sine principio una cum Patre esse praedicemus; *Pater enim est principium et causa Filii quidem, ut genitor — solus namque ille ex solo genitus est — Spiritus vero ut productor* — etenim et *is solus ex solo productus est* —; illos vero initio in tempore carere dicamus; ultra tempus namque et ultra saeculum et super omnem cogitationem hic quidem genuit, ille autem genitus, tertius vero processit. Sed neque Spiritus in Filii generatione conscribitur, neque Filius Spiritus processionem simul cum Patre sortitur; uterque autem suam servat proprietatem puram et inconfusam, proprietatum ac nominum diversitate substantiae diversitatem non inducente, sed personarum differentiam indicante blasphemiamque Sabellii retundente » (3).

---

(1) *Mystagogia*, 3, col. 281 BC, 284

(2) *Epist. encycl. ad orientales sedes*, 20, P. G., *ibid.*, col. 729 C: « Τί συνοίσει τῷ Πνεύματι ἡ ἐκ Υἱοῦ ἐκπόρευσις, τῆς πατρικῆς ἀρκούσης εἰς ὕπαρξιν; » Cf. *Myst.*, 7, col. 288: « *Sin vero nil pluris accepit*, quaenam est ratio processionis nihil omnino valentis? ».

(3) « Ἀρχὴ γὰρ ὁ Πατὴρ καὶ αἰτία τοῦ μὲν Υἱοῦ, ὡς γεννήτωρ· μόνος γὰρ οὗτος ἐκ μόνου γεγέννηται· ὡς προβολεὺς δὲ, τοῦ Πνεύματος· καὶ γὰρ καὶ τοῦτο ἐκ μόνου προβέβληται..... ὑπὲρ ἔννοιαν ὃ μὲν ἐγέννησεν, ὃ δὲ ἐγεννήθη, τὸ δὲ ἐκπεπόρευται,

Unde omnino logice docet Spiritum Sanctum a Filio distingui non quod ab ipso procedat, sed quod ex Patre *non eodem modo* ac Filius, sed *diverso* procedat. Quaestioni enim: *Si ex eodem principio Filius et Spiritus Sanctus procedunt, quomodo nec fratrum appellationem accipient, nec Filii nomen Spiritus acquiret?* ita respondet:

« Processio (ἡ πρόοδος) a Patre, optime vir, *simul ac sine intervallo* et de Filio et de Spiritu Sancto theologice enuntiatur; nulla tamen coget ratio, ut in Filii nomen Spiritus Sanctus incidat, aut fraternam suscipiat conditionem, quia neutrum cogitare vel dicere fas est: aut Filium in Spiritum Sanctum mutari, aut illius proprietatem sibi vindicare... Non enim quia ex eodem principio a theologis uterque procedere προϊέναι) dicitur, idcirco aut Spiritus Sanctus ex proprietate sua dimotus in filiatione collocabitur; aut Filius ab ea, quae ipsum distinguit, generatione recedens, cum Spiritus Sancti proprietate confundetur: ex eodem enim principio, sed non eodem modo ambo procedunt, (ἐκ τοῦ αὐτοῦ γὰρ ἄμφω, ἀλλ' οὐχ ὡσαύτως) nec secundum eamdem proprietatem est utriusque processio. Etenim Filius procedit a Patre ut genitus, Spiritus Sanctus autem per processionem acquirit proprietatem, καὶ γὰρ ὁ μὲν Υἱὸς τοῦ Πατρὸς προῆλθε δὴ γεννητῶς, τὸ Πνεῦμα δὲ ἐκπορεύσεως οἰκειοῦται ἰδίωμα » (1).

2° ***Terminologia photiana de Trinitate omnem logomachiam excludit.*** — In doctrina Graecorum de processione Spiritus Sancti, logoma-

---

οὔτε τοῦ Πνεύματος τῇ τοῦ Υἱοῦ γεννήσει συνεγγραφομένου, οὔτε τοῦ Υἱοῦ τὴν ἐκπόρευσιν τοῦ Πνεύματος συγκληρουμένου. ἀλλ' ἑκατέρου τὴν ἰδιότητα καθαρὰν καὶ ἀσύγχυτον διασῴζοντος. » Aristarchis, Φωτίου ὁμιλίαι καὶ λόγοι, t. I, p. 294-295, Constantinopoli, 1901. In *Homiliis quinque contra haereses,* Photius ad controversiam de processione Spiritus Sancti iam alludit; unde colligimus illas circa finem eius primi patriarchatus fuisse prolatas.

(1) *Quaest.* 28 *ad Amphilochium,* P. G., t. CI, col. 205-208.

chia oriri potest ex significatione speciali verbi ἐκπορεύεσθαι apud quosdam occurrente, quatenus scilicet hoc verbum ab illis adhibetur ad indicandam solam processionem aeternam Spiritus Sancti ex Patre tanquam ex principio primordiali, ubi praepositionem ἐκ secum ducit. Ut jam diximus, Photius quidem bene notavit nullum unquam ex Patribus graecis *ad verbum* dixisse: Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται (1). Ipse autem tum verbum ἐκπορεύεσθαι, tum plura alia ejusdem significationis usurpat ad indicandam originem Spiritus Sancti ex Patre, vel ad negandam ejusdem originem ex Filio. Cum enim nullum aliud principium in Trinitate praeter principium ἄναρχον, quod est Pater, agnoscat, eius sententia non potest esse ambigua. Unde sicut dicit: « Τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται — τοῦ Υἱοῦ οὐκ ἐκπορεύεται », ita etiam saepe scribit: « Τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς πρόεισι, προέρχεται, προβάλλεται — ἐκ τοῦ Υἱοῦ οὐ πρόεισι. οὐ προέρχεται, οὐ προάγεται, οὐ προβάλλεται » (2). Prorsus enim ignorat diversas significationes verborum hujusmodi a Graecis posterioribus commentas, quemadmodum etiam de varietate significationis praepositionum ἐκ et διά nihil habet, nec unquam ad illos Joannis Damasceni locos provocat, in

(1) *Mystagogia*, 5, 91, P. G., t. CII, col. 284, 385. Nota Photium in utroque loco scribere: « τοῦ Υἱοῦ ἐκπόρευεσθαι », non vero: ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι. Diceres illum ad specialem significationem praepositionis ἐκ non attendisse, inquantum haec praepositioni διά opponitur. Revera parum sua interest dicere: « ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι » vel simpliciter: τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι, cum non distinguat inter *principium originale* et *principium principiatum*. Unum enim principium in Trinitate agnoscit, Patrem scilicet, id est principium ἄναρχον. *Mystag.*, 43: « Πῶς δ' οὐκ εἰς δύο αὐτοῖς διαμερισθήσεται τὸ Πνεῦμα, τὸ μὲν ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ ὡς ἀληθῶς καὶ πρώτως αἰτίου προϊόν (ἀναίτιος γάρ), τὸ δὲ ἐκ τοῦ δευτέρου καὶ αἰτιατοῦ; »

(2) Cf. *Mystag.*, 2: προέρχεσθαι, col. 321 B; 3, 40: προάγεσθαι, col. 281 B, 320 A; 43: προϊέναι, col. 321 B. Aristarchis, *op. cit.*, t. I, p. 319: *Homil.* XXXIV, 11: « Εἰ προβάλλεται μὲν καὶ ὁ Υἱός, τὸ Πνεῦμα δὲ τῆς προβολῆς ἀπεστέρηται, καταδεεστέρας ἂν εἴη τοῦτο παρὰ τὸν Υἱὸν δυνάμεως. »

quibus sanctus doctor praepositionem ἐκ Patri reservat, praepositione διά utens ad indicandam mediationem Filii in processione Spiritus Sancti. Exinde ejus vera de processione Spiritus Sancti sententia rursus elucet: Docet Filium a quacumque mediatione, a quocumque influxu in productionem Spiritus Sancti alienum esse, et Spiritum Sanctum *a solo Patre* procedere, sicut Filius *a solo Patre* generatur. Tum formulam Latinorum *A Patre Filioque*, tum formulam Graecorum *Per Filium* aequaliter respuit, at vero illam *explicite*, hanc autem *tacite* et *implicite* tantum.

3° *Axiomata Photii doctrinae catholicae omnino repugnantia.* — In scriptis ubi de processione Spiritus Sancti ex professo agit, Photius quibusdam effatis theologicis tanquam principiis inconcussis ac veris axiomatibus innititur, quae cum doctrina catholica, prout tum in sacra Scriptura tum in antiqua traditione exprimitur, nullatenus componi possunt. Hujusmodi principia a novatore variis modis enuntiantur et ad unum revera reduci possunt, ex quo alia per logicae consequentiae viam tanquam ex fonte dimanant. Hoc autem fontale principium ab ipso Photio his verbis concipitur: *Quidquid in sanctissima Trinitate consideratur, vel de ea dicitur, aut omnibus personis commune est, aut uni ex tribus, et illi soli, proprium est* (1).

---

(1) « Ἅπαν ὅ θεωρεῖται καὶ λέγεται ἐν τῇ παναγίᾳ, καὶ ὁμοφυεῖ καὶ ὑπερουσίῳ Τριάδι ἤ κοινόν ἐστι πάντων, ἤ ἑνὸς καὶ μόνου τῶν τριῶν » *Epistola encycl. ad thronos orientales*, 22, P. G., t. CII, col. 732 A. Cf. *ibid.* § 21, et *Myst.*, 17, 36, 64, col. 296-297, 316-317, 341BC: « Si omne quod non est commune omnipotenti et consubstantiali et supernaturali Trinitati unius est solummodo trium personarum, productio autem Spiritus non est communis trium, ergo est solummodo unius e tribus illis. Utrum autem *ex Patre* dicent procedere Spiritum Sanctum, et quomodo non eiurabunt caram ipsis et novam doctrinam? Si autem *ex Filio*, cur non statim ab initio sunt ausi totum suum venenum evomere, sed paulatim ac particulatem illud effundunt? Oportebat enim, si

Ex hoc primo axiomate sponte fluunt alia, scilicet:

1° *Productio Spiritus Sancti seu spiratio activa* (= ἡ προβολή, ἡ ἐκπόρευσις) *est proprietas hypostatica Patris* (1). Cum enim ἡ προβολή non possit esse aliquid tribus personis commune — Spiritus enim non potest producere seipsum — uni soli personae debet esse propria. Atqui haec persona est persona Patris. Dixit enim Christus: *Spiritus a Patre procedit.*

2° *Pater est causa seu principium duarum aliarum personarum ratione suae personae seu hypostasis, non vero ratione naturae divinae.* Si enim principium esset ratione essentiae seu naturae divinae, cum essentia divina sit tribus personis communis, tum generatio activa tum spiratio activa tribus personis communes essent. Filius generaret seipsum et generaretur a Spiritu Sancto. Spiritus Sanctus spiraretur etiam a Filio et spiraret seipsum (2).

3° *Pater est causa seu principium immediatum et proximum tum Filii tum Spiritus Sancti.* Cum enim Pater sit solus causa seu principium, et quidem per *illud quod est illi stricte proprium et incommunicabile*, id est *per suam hypostasim,*

---

quidem impio suo dogmati confidebant, ab initio ipsos profiteri a se non modo Filium productorem Spiritus praedicari, *sed et Patrem* ab ea productione excludi ». Myst. 36, col. 316-317. Idem principium aliter proponit Photius: *In Trinitate nihil ita est duabus personis commune, quod tertiae personae non competat. Epist. enc.*, 12, col. 728.

(1) Cf. *Myst.* 3, 19, 37, 38, 40, *loc. cit.*, col. 281-284, 297 B, 317, 320; *Epist. encycl.*, 12, *ibid.*, col. 728: « Quod si processio Spiritus sit Patri communis atque Filio, tunc a seipso procedet Spiritus, ipse sibi principium erit, causa simul et causatum ».

(2) Myst. 15, 16: « *Si non ratione naturae*, sed *ratione hypostaseos* Pater est causa prodeuntium ab ipso personarum, est vero Filius causa Spiritus Sancti, quemadmodum sacrilega ista sententia clamat, necessario affirmare cogimur aut Filium una cum Patre esse *paternae hypostaseos participem*, ex qua et hoc habuerit quod sit causa, *aut Filium personam Patris complere*, quae proinde ante hoc complementum indiga et deficiens fuerit ». P. G., t. CII, col. 293, 296.

nullum principium medium intercedit sive in generatione Filii sive in productione Spiritus Sancti, et tam immediate tamque proxime producit Spiritum Sanctum quam generat Filium. Utrimque solus a solo exit (1).

4° *Unitas principii in Trinitate seu, ut dicunt Graeci, monarchia divina firmiter retinenda est; quam docet traditio catholica. Principium autem unicum est Pater, quatenus solus generat Filium et solus spirat Spiritum Sanctum.* Aliis verbis: Monarchia est proprietas hypostatica Patris. Tribuere autem productionem Spiritus Sancti non solum Patri sed etiam Filio est duo principia in Trinitatem invehere et eo ipso monarchiam divinam destruere. Nec dicas Patrem et Filium simul esse unum tantum principium Spiritus Sancti. Hoc enim principio fondamentali Photii supra enuntiato adversatur. Esse enim principium est proprietas hypostatica, quae nonnisi uni personae convenire potest. Si non esset proprietas hypostatica, sed naturalis seu essentialis, tunc tribus personis communis esset, et etiam Spiritui Sancto tribuenda esset (2).

5°) Demum Photius contra doctrinam Latinorum, ponentium Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere, hanc consequentiam urget: *Processionem etiam Filio tribuere est personarum Trinitatis consubstantialitatem destruere.* Est enim,

---

(1) *Myst.* 62, P. G., col. 340-341: « Si proxima causa Spiritus est Pater, quemadmodum et Filii (nam *immediate* tam generatio quam processio existit: neque enim medio aliquo Filius generatur, pariterque *immediate* Spiritus procedit), cum impiorum delirium asserat procedere etiam a Filio Spiritum, eadem ipsa causa, videlicet Pater, et *remota* et *proxima* causa dicenda erit eiusdem, quod neque in fluxa hac alterationique obnoxia natura cogitari potest ».

(2) Cf. *Mystag.*, 14, 42, col. 293 A, 320-321, etc. Cf. *Epist. ad Aquil.*, 8, col. 801: « Quod sanctissimus Spiritus a Patre Filioque dicatur procedere, duas omnino causas ac principia est introducere, eoque in sancta Trinitate monarchiam penitus abolere ».

inquit, aliquid Filio tribuere, quo caret Spiritus. Filius est fecundus et alteram personam producit. Spiritus Sanctus est infecundus, et ideo Filio inferior. Vel, inquit, dogma Latinorum partium studium in Deum inducit. Arbitrario enim Deus Pater hoc Spiritui denegat quod Filio largitur (1).

Ex hujusm,odi principiis ita declaratis Photius innumeras deductiones et absurditates contra doctrinam catholicam logice concludit; quas referre supersedemus (2). Neque enim adeo difficile est argumenta ad hominem novatori opponere, vel ostendere totam ejus contabulationem polemicam a fundamento ruere. Tota siquidem petitione principii innititur: Supponit quod probandum est, dum dicit *nihil in Trinitate inveniri quod duabus tantum personis congruat.* Hoc omnino negandum est, quandoquidem ex fontibus Revelationis adest in Trinitate aliquid duabus personis commune, tertia exclusa, scilicet ipsa προβολή seu *vis spirativa,* ex ipsa divina essentia, *prout est in Patre et Filio simul tanquam in principio unico et indiviso,* enascens seu profluens; vel si mavis, ex ipsa essentia, quae est Pater et Filius per *modum unius* considerati *sub ratione formali spiratoris.*

Ut axiomatum photianorum falsitas pateat, hanc simplicem distinctionem ponere sufficit: Spiritus Sanctus procedit a Patre, non quatenus Pater est — secus enim Spiritus esset ejus filius —, sed quatenus Pater est aliquid aliud, nempe *spirator.* Atqui Filius est etiam *spirator* una cum Patre; omnia enim Patris habet vi illius actus, quo a Patre generatur, praeter illam proprietatem hypostaticam qua Pater constituitur

(1) Variis modis hanc consequentiam exprimit. Cf. *Myst.,* 3, 8, 37, 38-40, 46; *Epist. encyc.,* 11, 14, 19.

(2) Harum deductionum photianarum brevem expositionem dedimus in t. I *Theol. Orient.,* p. 193-205.

ut talis, scilicet praeter *paternitatem* seu *generationem activam*. Est ergo Filius etiam spirator, non tamen spirator realiter distinctus a Patre, sed spirator unus cum Patre. Est ergo in Trinitate aliquid quod neque est *proprietas hypostatica* stricte dicta, id est constituens unam personam ut sic, neque est *attributum essentiale* tribus personis commune, sed quod quasi medium locum tenet inter proprietatem hypostaticam proprie dictam et attributum essentiale. Hoc aliquid est *spiratio activa* seu *haec immanens necessaria proprietas divinitatis relationibus paternitatis et filiationis jam notatae et in productionem tertiae personae seu Spiritus Sancti tendentis* ad Trinitatis complementum. Haec proprietas non est humanae mentis commentum. Non est humani ratiocinii partus, ut sunt Photii axiomata; sed est aliquid tum ex sacra Scriptura, tum ex antiqua traditione catholica clare emergens et ad plenam mysterii sanctissimae Trinitatis a Deo revelati notionem pertinens. Haeresis photiana in hoc tota consistit, quod hoc aliquid, *quatenus in Patre et Filio simul invenitur*, ex Trinitate expellit, soli Patri illud reservare volens; quod totam mysterii revelati oeconomiam conturbat. Inde haec falsa principia, quae doctrinae Patrum tum latinorum, tum praesertim graecorum aperte contradicunt. Etenim Patres latini unanimiter docent Spiritum Sanctum a Patre et Filio seu ab utroque tanquam ab uno principio procedere; Graeci vero Filium ut medium inter Patrem et Spiritum plerumque ponunt, atque haud semel dicunt Spiritum procedere ex *essentia Patris et Filii*, sicut concilium nicaenum I confitetur Filium *ex Patris essentia* generari. Falsum est ergo quod asserit Photius, nempe τὴν προβολὴν esse proprietatem hypostaticam solius Patris. Falsum est dicere Patrem esse principium per suam solam hypostasim, et non etiam per suam naturam, quasi in Deo esset

distinctio realis inter unamquamque personam et essentiam, quod argumentatio photiana supponit. Falsum est per doctrinam catholicam destrui monarchiam divinam et in Trinitatem introduci duo principia realiter ab invicem distincta.

4° *De formula « per Filium procedit » silentium servat Photius et Graecorum comparationes trinitarias mutat vel mutilat* — Conceptus quem sibi effingit Photius de mysterio Trinitatis necnon de relationibus personarum divinarum ad invicem diagrammati trinitario Patrum graecorum directe adversatur. Graeci dicunt: Spiritus Sanctus *a Patre per Filium* procedit. Photius vero docet: *A Patre solo* procedit. Oppositionem inter utramque formulam novator certo animadvertit. Non ausus est tamen Patrum loquendi modum *directe* carpere, sed *indirecte* tantum, *implicite* ac *subdole* eorum doctrinam evertit. De eorum formula « διὰ τοῦ Υἱοῦ » ne ullum habet verbum. Nullibi eam explicare tentat. Laboriosum hoc negotium suis discipulis reliquit. Mediationem tamen Filii in processione Spiritus Sancti non uno modo e medio tollere nititur.

Iam notavimus unum ex eius axiomatibus esse *Patrem exstare causam immediatam et proximam tum Filii tum Spiritus Sancti*; quod in sensu ab eo intento falsum est et Patrum graecorum, praesertim vero Gregorii Nysseni loquendi modo aperte contrait.

Notum est Patres graecos communiter dicere Spiritum Sanctum esse imaginem Filii, sicut et Filius est imago Patris, hac comparatione innuentes non solum personarum perfectam consubstantialitatem, verum etiam originis nexum eas invicem coniungentem. Quid Photius? Patristicae similitudinis sensum retinet quidem pro Filio relate ad Patrem; pro

Spiritu autem relate ad Filium eiusdem significationem arbitrario truncat ac restringit, ita ut *Spiritus, imago Filii,* nonnisi utriusque personae consubstantialitatem designet:

« Imago Patris, inquit, dicitur Filius, et quia ad illum ut causam refertur, et quia in seipso Patrem ostendit et figurat; qui olim Philippo dicebat: *Qui videt me, videt et Patrem meum.* Spiritus autem est imago Filii, non quod ad illum referatur, absit; sed quod possibile non est Filium aliter agnoscere, nisi Spiritus Sanctus ut conductor et cooperator sumatur » (1).

Item, ultimum fundamentum consubstantialitatis divinarum personarum in relatione originis inter eas vigente Patres Graeci communiter reperiunt. Photius vero hanc doctrinam non recipit nisi pro Filio et Spiritu Sancto relate ad Patrem, aliamque rationem consubstantialitatis Spiritus Sancti relate ad Filium e suo penu profert:

« Quando dicimus Spiritum esse Patris ac Filii, consubstantialitatem quidem eius cum utroque ex vocibus istis colligimus; *scimus autem Spiritum consubstantialem esse Patri quia ex ipso procedit, atque consubstantialem Filio, non quia procedit, absit! — nam nec Filius consubstantialis est Spiritui propter generationem — sed quia ex una indivisaque causa ab aeterno simul eodemque ordine prodiit* » (2).

Iuxta eorumdem Patrum communem conceptum, ordo relationum personarum Trinitatis ad creaturas ordinem processionum ad intra imitatur ac repraesentat; unde apud eos haec tritissima formula: *Pater omnia operatur per Filium in*

(1) *Quaest.,* 235 *ad Amph.,* P. G., t. CI, col. 1029 A.

(2) « Ὁμοούσιον μέν ἐστι τῷ Πατρί, διότι ἐξ αὐτοῦ ἐκπορεύεται· ὁμοούσιον δὲ τῷ Υἱῷ, οὐχ ὅτι ἐκπορεύεται, ἄπαγε·.. ἀλλ'ὅτι ἐξ ἑνὸς καὶ ἀμερίστου αἰτίου πρὸ αἰώνων τε καὶ ὁμοταγῶς ἑκατέρῳ ἡ πρόοδος ». *De Myst. Spir. Sancti,* 53. Cf. § 91: « καὶ γὰρ ὁμοούσιον τῷ Πατρί, διότι ἐκπορεύεται, οὐ διότι δὲ ὁμοούσιον, ἐκπορευτόν ».

Spiritu Sancto: διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι. Apud Photium vero novus loquendi modus occurrit, novo diagrammati Trinitatis aptatus. Pater dicitur operari, creare *per Filium et per Spiritum Sanctum*, διὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ διὰ τοῦ Πνεύματος (1).

Spiritus Sanctus Filio non amplius subordinatur, sed separatim ab eo agit creaturasque attingit, sicut et separatim ab eo existit, a solo Patre procedens.

Eamdem Spiritus Sancti a Filio separationem quantum ad originem insinuat Photius, ubi Patrum graecorum comparationes de Trinitatis mysterio resumit: V. g. Damascenus dicit: *Ex sole est tum radius tum illuminatio; sol enim radii et illuminationis fons est; per radium vero illuminatio nobis communicatur* (2). Photius vero simpliciter dicit ustionem et illuminationem esse eiusdem ignis effectus et productiones, quin ulla notetur organica subordinatio inter utramque operationem (3).

Patres Filium vocant dexteram Patris, Spiritum vero digitum Dei (4). Photius vero ab hac comparatione in eadem propositione abstinet, sed dicit: *Dei dextera est Filius; spiritus vero eius est Spiritus Sanctus* (5).

Suum conceptum haereticum rursus prodit Photius, ubi de ordine personarum agit, prout in formula baptismali enun-

(1) « Πατὴρ διὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ διὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος αὐτοῦ πάντα ὑπέστησεν ἐκ μὴ ὄντων » *Contra manichaeos*, III, 17. P. G., t. CII, col. 168 B: « Ὁρᾷς πῶς δημιουργῶν ὁ Πατήρ, διὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ Πνεύματος δημιουργεῖ ». *Quaest. Amphil.* 188, P. G., t. CI col. 909 B.

(2) *De fide orth.*, I, 8, P. G., t. XCIV, col. 833 A. Cf. supra, p. 126, n. 5.

(3) *Quaest.* 28 *ad Amphil.*, P. G., t. CI, col. 208 B: « Τὸ καυστικὸν καὶ φωτιστικὸν πῦρ οὐδείς ἐστιν ὃς ἀγνοεῖ ἐκ τοῦ αἰτίου λαμβάνειν τὴν πρόοδον· πυρὸς γὰρ ἄμφω ἔργα τε καὶ προβλήματα. »

(4) Cf. sup., p. 125, n. 4.

(5) *Quaest.* 188 *ad Amphil.*, P. G., t. CI, col. 909 C: « Καὶ γὰρ δεξιὰ μὲν αὐτοῦ ὁ Υἱός, πνεῦμα δὲ αὐτοῦ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. »

tiatur. Hunc ordinem insinuat esse mere extrinsecum, quantum ad Filium et ad Spiritum Sanctum, in manifestatione historica utriusque fundatum (1).

Revera in conceptu photiano nulla adest intrinseca ratio ponendi Filium ante Spiritum Sanctum, cum uterque proxime et immediate a Patre prodeat sine ulla unius ab altero dependentia. Eo usque autem devenit novator, ut Spiritui prae Filio aliquam naturae prioritatem tribuere videatur. Comparans enim Patrem ori humano, Filium verbo et Spiritum Sanctum voci, haec habet:

« Ex ipso ore humano tum verbum, tum vox profunduntur, et parvo quidem discrimine per eadem organa formantur et proferuntur. Profecto, dum caetera sunt communia, *verbum quidem a summitate linguae, vox autem potius ab eius radice creatur*; quodque maius est et magis mirandum, verbum sine voce prodire non potest; immo etiam verbi formam in ipsa eius conformatione suffulcit ac sustinet vox, quae simul advenit atque profertur » (2).

Vides haec longe esse a Patrum graecorum doctrina, qui Spiritum Sanctum vocant *flatum* vel *spirationem*, vel *sermonem* Filii!

---

(1) *Quaest.* 190 *ad Amphil.*, *ibid.*, col. 916 A: « Pater principium est ex se dimanantium, unius quidem per generationem, alterius vero per processionem; qui sane ad eum tanquam ad principium suae connaturalis processionis referuntur. *Atqui haec ipsa relatio perbelle ostendit Patrem praeponendum esse procedentibus ab ipso; non tamen eadem demonstrat praeponendum Spiritui Filium.* Ratio autem communior huius numerationis personarum in Trinitate ea est quae ex manifestatione et cognitione uniuscuiusque personae desumitur. Primo enim hominum cognitioni occurrit Pater, deinde Filius, et per Filium Spiritus Sanctus ».

(2) *Quaest.* 28 *ad Amphil.*, P. G., t. CI, col. 209 D: « καὶ τὸ μεῖζον καὶ θαυμασιώτερον, ὡς οὐδ'ἂν προέλθοι λόγος ἄνευ φωνῆς, ἀλλὰ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ διαμορφώσει ὑπερείδει τε καὶ ὑπερανέχει τὴν τοῦ λόγου μορφὴν ἡ φωνὴ συνυφεστῶσά τε καὶ προάγουσα. »

Ex his omnibus luce clarius constat Photium doctrinam catholicam revera negavisse, ut novam introduceret de processione Spiritus Sancti sententiam, qua Pater exhibetur ut solus auctor productionis Spiritus Sancti, quavis Filii participatione exclusa. In hoc novo mysterii Trinitatis conceptu, Filius et Spiritus Sanctus nullo nexu originis sibi invicem coniunguntur, sed a Patre solo hinc inde emittuntur ut duo unius stipitis rami, vel duo unius rami germina vel flores. Huius autem conceptus diagramma non est linea recta graecorum Patrum, neque triangulus Latinorum, sed quidam angulus, cuius summitatem tenet Pater, habens ad dexteram Filium, et ad sinistram Spiritum Sanctum. Verum est ergo Photium non solum in Ecclesiam, sed etiam in ipsam Trinitatem schisma invexisse, dum Spiritum Sanctum a Filio in ratione principii penitus separavit.

Notandum est demum Photium suam novam doctrinam non modeste proposuisse tanquam quoddam tentamen novum elucidandi Trinitatis mysterium, sed illam propugnare ut fidem Ecclesiae universae, ab omnibus Patribus et conciliis et apostolis et ab ipso Iesu Christo edoctam, tanquam orthodoxiae normam ab omnibus tenendam. Latinorum autem doctrinam tanquam impiam haeresim denuntiat, duroque stylo iniuriis variis referto, ut haeresiarchis mos est, in adversarios invehitur (1).

---

(1) In *Epist. encycl. ad orientales thronos,* doctrina Latinorum vicissim vocatur coronis impietatis, absurditas, sententia impia, furiosa, athea, blasphemia, cui par invenitur nulla, iniuriosa contra Spiritum Sanctum et totam Trinitatem; Latini autem appellantur novitii apostasiae praecursores, Antichristi administri, mortibus multis dignissimi, communis pestis, perfidi deceptores et Deo belligerantes. In *Mystagogia* autem haud dulcia sunt apposita et vocabula: Doctrina catholica denuntiatur ut ebrietas impietatis, adversus Deum pugna, subterfugium absurditatis, arrogantia, amentia, sententia sacrilega, vesania, opinio hae-

II. — Utrum de processione Spiritus Sancti eamdem sententiam Photius semper tenuerit.

Cum processio Spiritus Sancti ex Patre et Filio ad numerum illarum criminationum pertineat, quas Photius contra Occidentales movit, postquam a Nicolao papa I condemnatus est et eius presbyteri in Bulgariam missi exinde expulsi sunt — huius quaestionis enim mentionem primum fecit in *Epistola ad orientales sedes*, anno 867 conscripta —, quaerere opportunum est utrum ante hanc litem exortam, suam doctrinam haereticam iam conceperit; an, e contra, nonnisi sub polemico aestu adversus Occidentales illam primum excogitaverit.

Ex certis quibusdam indiciis huic quaestioni respondere possumus Photium primum quidem communem Ecclesiae graecae doctrinam tenuisse et antiquorum Patrum formulas adhibuisse; concepto autem in Latinos odio, cum haud ignoraret Graecos et Latinos iam antea de hac quaestione litigasse, eamdem resumere et omni ex parte investigare sibi proposuit. Illam autem non ex divinae Revelationis fontibus, sed potius, ex humano ratiocinio et dialecticae ope examinans ac perpendens, in conceptum haereticum mysterii Trinitatis sensim delapsus est, eo facilius quod tunc theologia graeca, ut supra vidimus, mediationem Filii in productione Spiritus Sancti in obscuro relinquebat, illud « διὰ τοῦ Υἱοῦ » non explicans

---

retica a diabolo commenta, systema iniquum, in quo impietas et stultitia in agone decertant, venenum pestiferum, apostasia a fide, sabellianismus, error fabulis gentium monstruosior. Qui autem hanc doctrinam tenent audiunt *garruli impii, serpentes suum venenum particulatim effundentes, impiorum et furiosorum principes, mendacii amatores*, etc.

et nomen *causae* seu *principii Patri reservans* (1). Inde ab anno 867, quo suae doctrinae haereticae prima delineamenta in *Epistola encyclica ad Orientales* exposuit, usque ad ultimum vitae suae tempus, quo *Mystagogiam Spiritus Sancti* conscripsit, de hac quaestione cogitare nunquam destitit. In *Questionibus ad Amphilochium*, intra annos 867 et 876, id est per totum sui primi exsilii tempus explicatis, de theologia trinitaria haud semel agit; et quamvis processionem Spiritus Sancti etiam a Filio nullibi directe repellat, haud semel tamen hanc doctrinam indirecte labefactat (2). Mortuo Ignatio, in sedem patriarchalem restitutus, primum quidem circa caput controversum altum servavit silentium. In ipsa sua synodo anni 879-880, satis habuit edere decretum de symbolo nicaeno-constantinopolitano sine ulla additione vel mutatione in sua genuina integritate servando, quin quaestionem proprie dogmaticam coram legatis romanis movere ausus fuerit. Mox vero, id est circa annum 883-885, hanc ex professo tractare rursus aggressus est in *Epistola ad Walpertum, archiepiscopum Aquileiensem*, nulla mentione facta suae *Epistolae encyclicae ad Orientales*, in qua doctrinam catholicam tanquam impiam haeresim primum denuntiaverat, sed ita controversiam auspicans, quasi tunc primum propositam quaestionem tangeret. Nec omnes ibi carpit Occidentales, ut in *Epistola encyclica* fecerat, sed ex eis quosdam tantum, quos durius increpat (3). Fingit enim nonnisi paucos in Occidente hanc doctrinam tenere, et quosdam ex ipsis Romanis Pontificibus laudare non

(1) In memoriam revoca verba Ioannis Damasceni: « μόνος αἴτιος ὁ Πατήρ. »

(2) Cf praesertim *Quaestiones* 28, 188, 190, 235.

(3) « Ἧκεν εἰς ἡμετέρας ἀκοὰς ὥς τινες τῶν ἀνὰ τὴν δύσιν τὸ θεῖόν τε καὶ πανάγιον Πνεῦμα οὐ μόνον ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρός, ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι παρεισάγουσι » P. G., t. CII, col. 797.

dubitat, tanquam qui ipsi suffragati fuerint in docendo Spiritum Sanctum a solo Patre procedere.

Illum autem communi Ecclesiae doctrinae adhaesisse, antequam suas polemicas contentiones adversus Occidentales auspicaretur, colligimus potissimum ex *Epistola ad Zachariam, Armenorum catholicum seu patriarcham* circa annum 861-862 conscripta, eo scilicet tempore quo Armeni cum Ecclesia byzantina unionem perficere tentarunt. In hac epistola, Photius quaedam habet, quae cum Patrum graecorum doctrina omnino congruunt et cum eius haeresi futura mire pugnant. Sufficiat haec pauca ob lectoris oculos ponere:

« A Patre sunt Filius et Spiritus Sanctus; neque tamen hi appellantur fratres, neque ambo filii sunt: veluti ab Adamo tum Seth tum Eva provenerunt, quin tamen vel fratres sint, vel ambo filii. Siquidem *Pater est generans, Filius genitus, Spiritus Sanctus procedens. Hinc Filius dicitur sedere ad Patris dexteram, Spiritus vero Sanctus ad dexteram Filii* (1). Etenim in psalmo CIX ait Pater Filio: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis.* Et mox Pater ait Filio: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech; Dominus a dextris tuis...* Non est genitus neque procedens Pater; non est genitor neque procedens Filius; non est genitor neque genitus Spiritus Sanctus, quia perpetuo procedit. Laetatur Pater gloria Filii; gaudet Filius ob honorem Patris; Spiritus demum Sanctus Patrem Filiumque glorificat; *quippe qui de illorum substantia accipiens,* creaturas renovat, ab ipsoque omnia facta sunt in caelis et super terra (2).

---

(1) Habes hic lineam rectam Graecorum, processionum divinarum figurativam.

(2) *Ad Zachariam patriarcham Armenorum,* 10, 11, P. G., t. CII, col. 710. Textus graecus huius epistolae deperditus est. Versionem armenam latine ex parte edidit A. Mai, *Spicilegium Romanum,* t. X, p. 449-459. A. Papadopoulos-Kerameus autem ipsum textum armenum integrum una cum versione russica publicavit in: *Pravoslavnyi palestynskii Sbornik,* t. XI, p. 179-210, 227-245, Pe-

Locutio: *Spiritus Sanctus de substantia Patris et Filii accipit* doctrinam catholicam perbelle exprimit, quatenus haud obscure innuit Spiritum *ab utroque* tanquam *ab uno principio* procedere: Spiritus Sanctus ab essentia divina procedit, quatenus haec essentia simul et indivise invenitur in Patre et in Filio per modum unius consideratis. Nihil autem directius opponitur haeresi, quam mox Photius conclamabit: *Spiritus Sanctus procedit a sola hypostasi Patris,* non vero ab essentia seu natura divina. Item, *si Spiritus Sanctus sedet ad dexteram Filii,* sicut et ipse Filius ad dexteram Patris, sequitur Filium esse medium inter Patrem et Spiritum Sanctum, ut vult ipse conceptus, ipsum diagramma Patrum graecorum. Photius vero, haereticus factus, mediationem Filii omnino expellit illumque

---

trogradi, 1892. Quamquam interpolationes quasdam huic epistolae irrepsisse merito suspicatur Hergenröther, *op. cit.*, t. I, p. 493, attamen ea quae de Trinitate dicuntur genuina omnino videntur; unde idem auctor existimat, *ibid.*, p. 482, doctrinam ibi expressam ulterioribus schismatici explicationibus de processione Spiritus Sancti propinquam esse. Hergenröther hoc opinatur praesertim ob comparationem ex processione Evae et Seth ab Adamo desumptam, quae revera in *quaestione amphilochiana* 28 pariter occurrit. P. G., t. CI, col. 208 C. Verum, ut recte animadvertit J. Slipyi, *Die Trinitäslehre des byzantinischen Patriarchen Photios,* Œniponte, 1921, p. 3, nota 3, praefatam comparationem Photius a Patribus Graecis mutuari potuit. Hanc enim proferunt Gregorius Nazianzenus, Orat., XXXI, 11, P. G., t. XXXVI, col. 145 B; Orat., XXXIX, col. 348 C; Gregorius Nyssenus, *Quid sit ad imaginem Dei,* etc., P. G., t. XLIV, col. 1329 C sg.; Pseudo-Basilius, *Contra Eunomium* lib. IV, P. G., t. XXIX, col. 681 B; Ioannes Damascenus, *De fide orthodoxa,* 1, 8, P. G., t. XCIV, col. 817 A. Illam usurpando, certe Patres non intendebant negare participationem Filii in processione Spiritus Sancti, sed solummodo indicare diversos originis ac productionis modos. Notandum est Armenos, anno 862, postquam scilicet epistolam Photii ad unionem eos invitantis, receperunt, Sciragavani synodum congregasse, quae in sequenti canone ipsa Photii verba ad exprimendam Spiritus Sancti processionem adhibuit: « Si quis non confitetur sacrosanctae ac vivificae Trinitatis unam naturam et tres personas; hoc est, Patrem a nullo principio, Filium a Patre, et *Spiritum Sanctum ab utriusque essentia* et utrique coaequalem, anathema sit ».

a Spiritu divellit, ita ut uterque *immediate* ac *proxime* a Patre seorsim prodeat.

Notandum est insuper novatorem, in *Quaest.* 94 *ad Amphil.*, Patrum axioma repetere: *Filius habet omnia quae Pater habet praeter innascibilitatem* (*seu esse ingenitum*); *et vice versa, Pater habet omnia, quae Filius, praeter generationem passivam* (*seu esse genitum*) (1). Atqui, hoc principium dogma photianum funditus evertit. Hinc mirum non est Photium postea Filio aperte denegasse, praeter innascibilitatem, etiam τὴν προβολήν, seu esse προβολέα.

III. — Utrum doctrina photiana de processione Spiritus Sancti theologis latinis saeculi IX innotuerit et ab Ecclesia catholica damnata fuerit.

Quantum scire possumus, tota theologia photiana de processione Spiritus Sancti a Patre solo, prout haec exponitur tum in *Epistola encyclica ad orientales thronos*, tum praesertim in *Epistola ad archiepiscopum Aquileiensem* necnon in *Mystagogia Spiritus Sancti*, latinos theologos saeculi IX prorsus latuit. Nihil aliud illi circa hanc quaestionem cognoverunt nisi quod ex *Epistola Nicolai I ad Hincmarum et caeteros episcopos in regno Caroli* (*Calvi*) *constitutos* didicerunt, scilicet

(1) « Ὅσα ἔχει ὁ Πατὴρ, πλὴν τῆς ἀγεννησίας, πάντα ἔχει ὁ Υἱός· ἀλλὰ καὶ ὅσα ἔχει ὁ Υἱὸς, πλὴν τῆς γεννήσεως, πάντα ἔχει ὁ Πατήρ. » P. G., t. CI, col. 681 A. Cf. col. 672 B: Υἱὸς ὁ πάντα τὰ τοῦ Πατρὸς ἔχων πλὴν τῆς ἀγεννησίας. Hanc doctrinam sanctus Ioannes Damascenus in *Fide orthodoxa* necnon in suis aliis operibus saepe exprimit.

quod Graeci negarent *Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere,* tenentes eum *ex Patre tantum procedere* (1). Cum autem Nicolaus I theologos Francos exhortatus fuisset, ut criminationibus Graecorum de hac quaestione, sicut et de aliis, responsiones conscriberent, quidam ex ipsis Romano Pontifici morem gesserunt. Ad nos usque tria responsa pervenerunt, responsum scilicet Aeneae Parisiensis († 870) (2), Ratramni, monachi Corbeiensis (3) et episcoporum Germaniae, Wormatiae in synodum adunatorum (a. 868) (4). Hi quidem de doctrina catholica quaedam optima tradunt. Eo autem tempore quo suas concinnant dissertationes, Photius prima suae doctrinae delineamenta in *Epistola ad orientales sedes* vix descripsit. Haec autem epistola, sicut et caetera novatoris scripta, Occidentalibus penitus ignota remansit. Unde si quid in huiusmodi dissertationibus Photii sophismatibus obviat, hoc nonnisi casu accidit.

Photius vicissim, qui responsa Latinorum mox memorata cognoscere potuisset, antequam tum *Epistolam ad arch. Aquileiensem,* tum *Mystagogiam Spiritus Sancti* conscriberet, ea etiam ignoravisse certum est; quae si legisset, a Ratramno didicisset Latinos non habere Patrem et Filium ut duo principia Spiritus Sancti, sed ut unum principium tantum (5).

(1) *Nicolai I epist.* 152 *ad Hincmarum et caeteros episcopos in regno Caroli constitutos,* P. L., t. CXIX, col. 1155-1157.

(2) *Liber adversus Graecos,* P. L., t. CXXI, col. 685-762.

(3) *Contra Graecorum apposita, P. L., ibid.,* col. 225-346.

(4) *Responsio episcoporum Germaniae Wormatiae adunatorum de fide S. Trinitatis contra Graecorum haeresim* (anno 868, mense maio), P. L., t. CXIX, col. 1201-1212.

(5) Nota Photium linguae latinae ignarum fuisse. De doctrina autem Latinorum hoc tantum compertum habuit, quod dicerent Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere, et quod hanc doctrinam auctoritate Patrum suorum, Augustini videlicet, Ambrosii et Hieronymi firmarent. Nomen Hieronymi ipse

Ad primum autem novatoris impetum in doctrinam catholicam, prout in *Epistola encyclica ad orientales sedes* adumbratur, neque Romani Pontifices, neque ipsi Byzantini animum attendisse videntur. De processione enim Spiritus Sancti post primam Photii depositionem usque ad eius redintegrationem in sedem patriarchalem post Ignatii mortem, altum silentium servarunt tum legati romani ad concilium oecumenicum VIII (869-870), tum Ignatiani byzantini, tum ipse Photius et eius amici. Intra ipsum concilium oecumenicum, ad hanc quaestionem nemo allusit; de ea nemo sermonem fecit. Haud semel quidem Photius appellatus est *mendacii inventor et perversorum dogmatum fabricator.* Patres illi anathema dixerunt *ut perversorum dogmatum inventori* (1). Non tamen certo affirmare possumus, dum huiusmodi appellationibus Photium Patres notant, eos de ipsius doctrina circa processionem Spiritus Sancti cogitare (2).

Ergo non solum inconfutata remansit Photii nova theologia de Trinitatis mysterio et Spiritus Sancti processione, sed etiam Latinis penitus incognita fuit. Primus inter Latinos novatoris *Mystagogiam* legit Hugo Eterianus circa finem sae-

videtur excogitasse. Latini enim ad auctoritatem huius doctoris vix provocare solent, ad processionem Spiritus Sancti quod attinet. Ignoravit autem Photius quod in doctrina catholica per Latinorum formulam expressa praecipuum est, scilicet quod Pater et Filius habentur non ut duo principia, sed ut unum principium Spiritus Sancti, sicut tres personae Trinitatis sunt unum principium creationis rerum.

(1) Cf. act. 7 et 8 concilii VIII, Mansi, *Coll. concil.*, t. XVI, col. 135, 143, 382, 390.

(2) Multo probabilius est illos alludere ad doctrinam de duabus animabus hominis, quae Photio tunc tribuebatur. Hanc doctrinam expresse damnavit concilium in suo canone XI. Mansi, t. XVI, col. 166, 404. Cf. art. *Constantinople (IVe concile de)*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. III, col. 1299-1301; M. Jugie, *Theologia Orient.*, t. II, p. 582-583.

culi XII; primus illam graecae et latine edidit Hergenröther anno 1857 (1).

IV. — Utrum Scotus Erigena photianus fuerit ante Photium.

Inter theologos latinos Photii coaevos, unus tantum, ut videtur, in theologia Graecorum sat bene versatus erat, scilicet Ioannes Scotus Erigena, qui in aula Caroli Calvi, Francorum regis, aliquamdiu degit. Haud pauca graecorum Patrum scripta legerat, immo etiam Maximi Confessoris *Dubia* et Pseudo-Dionysii Areopagitae opera latine reddiderat. Porro in suo opere inscripto *De divisione naturae*, anno 865 composito — ergo duobus annis antequam Photius in dogma catholicum primum inveheretur — quaedam habet de processione Spiritus Sancti quae cum doctrina catholica vix componi posse existimamus et photianae haeresi vicina apparent. Graecorum enim conceptu trinitario totus imbutus, et sancti Augustini doctrinae oblitus, quasdam de processione Spiritus Sancti difficultates solvendas sibi proponit, a quibus se expedire non valet sine veritatis catholicae detrimento. Probe quidem novit catholicam fidem esse Spiritum Sanctum *a Patre et Filio* vel *per Filium procedere* (2), illamque retinere semper intendit. Ex

---

(1) Hanc editionem cum eruditis editoris notis et animadversionibus habes in P. G., t. CII.

(2) In suo opere *De divisione naturae*, l. II, § 30-35, P. L., t. CXXII, haec inter alia habet: « *Fides catholica profiteur Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere* », col. 601 B. — « *Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere fides catholica nos praecipit confiteri* », col. 611 B. Item in *Commentario in Boetium*, post opus *De divisione naturae* conscripto, haec occurrunt: *Licet Graeci dicant a solo Patre procedere Spiritum Sanctum. Sed convincuntur auctoritate.*

modo autem quo eam explicare tentat, constat eum dogmatis falsam notionem in mente habere.

Prima difficultas quam in doctrina catholica detegit, illa ipsissima est quam Photius etiam atque etiam contra Latinos urget, scilicet: « Si Spiritus Sanctus a Patre procedit et Filio, duas *causas* (1) suae processionis videtur habere (2). Difficultati plane obviaverat Augustinus docendo Filium non esse principium Spiritus Sancti a Patre realiter distinctum, sed unum tantum cum eo principium. Mirandum autem omnino est quod Ioannes Scotus de hac vera solutione nullatenus cogitet, sed post multas et confusas explicationes ad hanc tandem conclusionem perveniat, haeresim redolentem:

« Quamvis Spiritum Sanctum a Patre per Filium credamus et intelligamus procedere, non tamen duas causas eumdem Spiritum habere debemus accipere, sed *unam eamdemque causam, Patrem* scilicet, *et nascentis de se Filii, et procedentis ex se per Filium Spiritus Sancti.* Ut enim propterea splendorem ex igne per radium procedere dicimus, quoniam ignis ipse totus in toto radio subsistit, ex quo per radium splendor emittitur, ita et Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere catholica fides praedicat, *quoniam ipse Pater, qui principalis causa est et sola processionis Sancti Spiritus,*

Haec autem haeresis nuper orta est, tempore scilicet Nicolai Papae, et, ut fertur, causa invidiae inventa. Praedictus enim papa Bulgros, qui sunt Graecis vicini, misso episcopo Formoso, convertit ad fidem Christi. Quare Graeci, ducti invidia, nescientes qualiter Romanis aliter derogarent, invenerunt hanc haeresim, fidei catholicae repugnantes, quasi Spiritus Sanctus a solo Patre procedat. Quam refert ipse papa in epistolis, quas per Gallias mittens, Graecos, utpote haereticos damnavit. Cf. E. Rand, *Ioannes Scottus,* Monaci, 1906, p. 25, qui putat Ioannem sententiam mutasse de processione Spiritus Sancti, postquam audivit Nicolaum papam Graecorum sententiam tanquam haeresim denuntiasse.

(1) *causas* (= αἰτίας): Ioannes terminum graecum usurpat.

(2) *Op. cit.,* col. 601 B C.

totus in toto Filio est, sicut et totus Filius in toto Patre, ex quo per Filium Spiritus Sanctus procedit... Et vide quomodo ipse Filius Spiritum Sanctum ad solum Patrem, unicam quippe sui causam, refert, dum dicit: *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Non enim dixit: quem mitto in nomine meo, sed quem mittit Pater in nomine meo, quamquam et alibi seipsum mittere Spiritum dicit, dum ait: *Si ego abiero, mittam eum ad vos.* Missio eius processio eius est; *processio autem eius a Patre solummodo est substantialiter...* verumtamen in nomine Filii, quoniam Spiritus Patris et Filii est » (1).

Ex his explicationibus apparet Ioannem Scotum a doctrina catholica recedere, dum Patrem praedicat *unicam causam* sive unicum principium Spiritus Sancti, Filio autem solummodo relinquit partes instrumenti seu canalis inertis, per quem virtus spirativa transit, sicut virtus ignea per radium. Non enim affirmat quod orthodoxia exigit, scilicet virtutem spirativam, quae virtuti igneae in eius comparatione respondet, Patri et Filio esse communem, sed illam soli Patri vindicat, a *quo solo,* iuxta ipsum, Spiritus Sanctus *substantialiter procedit.* Quamvis comparationem augustinianam ex mente humana desumptam noverit, illam tamen non ad mentem Augustini intelligit. Dicit enim:

« Mens et notitiam sui gignit, et a seipsa amor sui et notitiae suae procedit, quo et ipsa et notitia sui coniunguntur; et quamvis ipse amor ex mente per notitiam sui procedat, *non tamen ipsa notitia causa amoris est, sed ipsa mens, ex qua amor inchoat esse, et antequam ad perfectam notitiam sui mens ipsa perveniat. Nam et mens amat seipsam cognoscere,*

(1) Col. 612.

priusquam cognitionem suam de seipsa pariat velut prolem suam » (1).

Certe Iohannes Scotus aliquam praecedentiam Spiritus Sancti prae Filio hoc loco innuere videtur, sicut Photius facit, dum comparationem ex ore, verbo et voce petitam explannat (2). Hoc autem a mente sancti Augustini doctorumque catholicorum omnium alienissimum est.

Falsa theologi latini conceptio adhuc apparet ex his verbis:

« Quoquo modo quis ecclesiasticum symbolum pronuntiaverit, sine naufragio sanae fidei recipio, *hoc est, sive Spiritum sanctum a Patre solummodo procedere dixerit, sive a Patre et Filio, salva illa ratione, qua et credimus et intelligimus, eumdem Spiritum ex una causa, id est ex Patre substantialiter procedere. Est enim Pater causa nascentis de se Filii, et procedentis ex se Spiritus* » (3).

Alia quaestio, quam movet Ioannes, aliud axioma photianum in memoriam reducit:

« Adhuc velim, a te quaerere, inquit discipulus, ex essentiae Patris, an *ex substantia* (id est, *persona*) (4) et Filius natus et Spiritus Sanctus procedens est? »

---

(1) *Op. cit.*, col. 610 C.

(2) Vide supra, p. 298.

(3) *Op. cit.*, col. 612. Animadverte discrepantiam inter Augustinum et Ioannem. Augustinus dicit: *Spiritus Sanctus, quamquam ab utroque, a Patre tamen principaliter* (id est, originaliter seu primordialiter) procedit »; Ioannes Scotus vero docet: « Spiritus Sanctus, quamquam a Patre et Filio pocedere catholice dicitur, tamen a solo Patre, *qui sola causa est* in Trinitate, *substantialiter* (id est *vere* ac *realiter*, seu *tanquam a persona*) procedit; a Filio autem non procedit nisi instrumentaliter ac improprie, sicut splendor per radium ab igne effulget ».

(4) Nota apud Ioannem Scotum vocem *substantia* concrete sumi pro *persona seu hypostasi.*

Data autem utriusque termini, *essentiae scilicet* (οὐσία) et *substantiae* (ὑπόστασις) significatione, magister ad hanc vere photianam devenit conclusionem:

« Dixisti te dubitare ex *essentiae*, an *ex substantia* Patris et natus Filius et procedens Spiritus Sanctus. Ac si aperte diceres, utrum ex una atque communi essentia vel natura trium *substantiarum* vel *personarum* nascitur Filius et procedit Spiritus Sanctus, an ex propria *substantia* Patris vel *persona.* Essentia siquidem divinae bonitatis neque propria substantia est Patris, neque Filii, neque Spiritus Sancti, sed una atque communis substantiarum trium natura; Pater autem suam propriam habet substantiam (= ὑπόστασιν): similiter et Filius, similiter et Spiritus Sanctus suas possident substantias. Si igitur divina essentia, quia una est atque eadem, neque Pater est, neque Filius, neque Spiritus Sanctus, sed communis eorum natura, sequitur non ab ea nasci Filium, neque Spiritum Sanctum procedere... Non *igitur ex essentia, sed ex substantia Patris et Filius nascitur et Spiritus Sanctus procedit.* Nam et apud homines non dicimus ex communi natura, sed ex propria natura nasci filios; propriam autem naturam dico *uniuscuiusque personae individuam substantiam.* Nam si ex communi natura homines nascerentur, nullus pater proprium filium, sic nullus filius proprium patrem possideret » (1).

Latet ergo Joannem Scotum distinctio inter *principium quod* et *principium quo;* sublata autem hac distinctione, ad photianismum devenire necesse est. Si enim Spiritus Sanctus a sola persona Patris procedit, et non etiam a natura divina quatenus a Patre possidetur, quomodo etiam a Filio et a natura divina, quatenus in Filio est, procederet? Caeterum, nota sententiam Joannis Scoti symbolo Nicaeno aperte contradicere. In hoc enim de Filio dicitur: *Natum ex Patre, hoc est,*

(1) *Op. cit.,* col. 613-614.

de essentia Patris, γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρός ». Nec minus contraria est haec doctrina dictis Patrum Graecorum saepe saepius asserentium Spiritum Sanctum a Filio, sicut et a Patre, *substantialiter* seu *essentialiter,* οὐσιωδῶς, prodire, *ab essentia Patris et Filii esse.*

Optimo sane consilio Joannes Scotus utramque formulam: *a Patre per Filium procedit,* et *a Patre Filioque procedit,* explicare aggressus est, atque utriusque defectus sat acute vidit; at ejus tentamina omnino infelicia evaserunt, et non minus a Graecorum, ad quos manifestam propensionem habet, quam a Latinorum doctrina recessit *Photianusque* bonae fidei ante Photium, *ex parte saltem* (1), exstitit.

ART. II. — DE CONTROVERSIA INTER GRAECOS ET LATINOS CIRCA PROCESSIONEM SPIRITUS SANCTI A PHOTII MORTE USQUE AD SAECULUM XII.

Supra diximus Latinos per totum saeculum IX scripta Photii de processione Spiritus Sancti penitus ignoravisse. Eadem ignorantia perseveravit post Photii mortem usque ad schismatis consummationem sub Michaele Caerulario (a. 1054). Per totam hanc periodum et usque ad saeculi XII initium, Latini de quaestione controversa vix aliquid scripse-

(1) Dico: *ex parte,* quia multiplices sunt differentiae inter utriusque positionem: Ioannes enim utramque formulam, Latinorum scilicet et Graecorum, simul probat; Photius Latinorum loquendi modum dure increpat ac reiicit, de Graecorum formula silens. Ioannes locutionem « διὰ τοῦ Υἱοῦ » explicare tentat, etsi haud feliciter. Photius, e contra, hanc locutionem indirecte damnat et omnem Filii mediationem tollit. De doctrina Ioannis Scoti circa processionem Spiritus Sancti multi ante nos egerunt, inter quos nominandi sunt: 1° HERGEN-

runt (1). Notum est enim per hoc temporis intervallum, quo Ecclesia romana tristiorem historiae suae vitam duxit, inter utramque Ecclesiam rarum fuisse commercium. Ex parte autem Graecorum controversia haud sopita fuit, sed quaedam illius periodi scripta polemica contra doctrinam catholicam ad nos pervenerunt; ex quibus colligimus doctrinam photianam, prout in *Mystagogia Spiritus Sancti* exponitur, in Ecclesia byzantina, nemine reclamante, civitatem mox consecutam fuisse et ab omnibus receptam.

Hoc factum sane haud parvam movet admirationem. Vix enim capere possumus quomodo Ecclesia illa byzantina, antiquorum Patrum graecorum doctrinae circa alia fidei capita

RÖTHER, *Photius,* t. I, p. 637, qui notat Scotum ad doctrinam photianam propensionem ostendere; 2° E. K. RAND, *op. cit.,* qui contradictionis et mendacii theologum latinum arguit nunc Photio faventem, nunc illi aperte adversantem; 3° JOS. SLIPYI, *Die Trinitätslehre des byzantinischen Patriarchen Photios.* Œniponte, 1921, p. 84-88, qui Ioannem orthodoxum fuisse ostendere conatur; 4° D. M. CAPPUYNS, *Jean Scot Erigène, sa vie, son œuvre, sa pensée,* Parisiis, 1933, p. 334-340, qui quamvis pronus sit ad vindicandam orthodoxiam Ioannis Scoti, non audet tamen pronuntiare illum intra orthodoxiae limites remanere, ubi processionem Spiritus Sancti in libro *De divisione naturae* explicare aggreditur.

(1) In secundo dimidio saeculi XI, duos breves tractatus de processione Spiritus Sancti contra Graecos conscripserunt S. Petrus Damianus et S. Anselmus Cantuariensis. S. Petrus, cuius opusculum de hac quaestione habes in P. L., t. CXLV, col. 633-642, argumentis positivis ex Revelationis fontibus haustis fere unice innititur, ad infallibile Ecclesiae romanae magisterium etiam provocans. S. Anselmus vero ex certis principiis ab ipsis Graecis admissis dialecticae ope ad doctrinae catholicae confessionem eos adducere conatur. *De processione Spiritus Sancti contra Graecos,* P. L., t. CLVIII, col. 287 sq. Cf. de utriusque doctoris argumentis ea quae in *Theol. Orient.,* t. I, p. 354-367, scripsimus. Ante Petrum Damianum et Anselmum, cardinalis Humbertus, in ipso aestu contentionis adversus Michaelem Caerularium, brevem libellum de processione Spiritus Sancti Constantinopoli conscripsit, quem recenter edidit A. MICHEL, *Humbert und Kerullarios,* t. I, Paderborn, 1925, p. 97-111. Hanc dissertationem foedant quidam historici errores: Humbertus Cyrillum Alexandrinum cum Cyrillo Hierosolymitano confundit; Graecos accusat quod particulam *Filioque e symbolo absciderint.*

stricte addicta et, Iconomachorum haeresi tandem devicta, rigidi conservatismi tenax effecta, haeresi photianae aurem adeo facilem praebuerit! Verum quidem est Photium inter coaequales doctissimi viri fama potitum fuisse diuque professorsis munus praeclare gessisse. Fatendum est etiam eum callida arte contra catholicum dogma sophismata innumera excogitasse, multas absurditates coacervasse. Hoc tamen ad novae haereseos triumphum vix satis fuisset, nisi accessissent simultates in Latinos, quos Byzantini, cultu suo exquisito gloriantes, inde praesertim a saeculo IX, ut rudes barbaros habuerunt ac contempserunt.

Saeculo X ineunte, cum jam photianum schisma cessasset Photiusque mortuus esset, ex actis synodi Trosleianae, anno 909 habitae, comperimus Sergium papam III sollicitum fuisse de confutanda Photii doctrina circa processionem Spiritus Sancti, quam inter Byzantinos, semper vigere didicerat per suos legatos, ut videtur, Constantinopolim missos occasione quarti matrimonii Leonis imperatoris. In hac synodo Herivaeus, Rhemensis archiepiscopus, dixit:

« Sane quia innotuit (= notum fecit) Sancta Sedes Apostolica adhuc errores blasphemiasque cujusdam vigere Photii in partibus Orientis in Spiritum Sanctum, quo non a Filio, nisi a Patre tantum procedat, blasphemantis, hortamur vestram fraternitatem, una mecum, ut secundum domini Romanae Sedis monita singuli nostrum, perspectis Patrum catholicorum sententiis, de divinae Scripturae pharetris acutas proferamus sagittas potentis ad confodiendam belluam monstri renascentis » (1).

De facto scimus ipsum LEONEM imperatorem, qui Photium praeceptorem habuerat, illius errore prorsus imbutum

(1) *Acta concilii Trosleiani*, c. XIV. Mansi, t. XVIII, col. 304-305.

fuisse, ut constat ex ejus *Homilia de Spiritu Sancto*, in qua quaedam Photii argumenta contra dogma catholicum ad verbum fere repetit (1).

Alius Photii discipulus, NICETAS BYZANTINUS *Philosophus* dictus, *Capita syllogistica* 24 reliquit contra processionem a Patre et Filio (2). Axiomata photiana nova forma induit novoque modo proponit. Caeterum omnia ejus argumenta principii petitione laborant. Innituntur enim hac majore, quam pro axiomate inconcusso a priori statuit: *Pater est solus spirator*, προβολεύς, *sicut est solus Pater*. Sicut Photius fecerat, non Occidentalibus omnibus, sed quibusdam tantum tribuit doctrinam processionis Spiritus Sancti ab utroque; quam magistri instar ut impietatem habet et blasphemiam. De sacrae Scripturae et Patrum doctrina nihil fere profert. De formula *A Patre per Filium procedit* tacet, ad illos solos Patrum graecorum locos animum attendens, in quibus illi dicunt Spiritum Sanctum a *Patre procedere*, et *per Filium creaturis dari ac manifestari*: ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, δι' Υἱοῦ δὲ διαδιδόμενον καὶ μεταλαμβανόμενον ὑπὸ πάσης κτίσεως. In hoc Photium tantum superat, quod irenice loquitur, quod subtilius ac luculentius argumenta texit, et ad philosophiae principia saepius appellat; demum, quod adversariorum objectiones non semel prospicit sibique solvendas proponit. Ejus vero defectus praecipuus idem est ac ille, cui Photius obnoxius: scilicet, quod in quaestione omnino supernaturali ac humanae mentis vires excedente, posthabitis sacrae Scriptu-

(1) *Homilia XIII de Spiritu Sancto*, P. G., t. CVII, col. 136-152. Leo doctrinam Latinorum νεωτεροποιΐαν appellat. Filium et Spiritum Sanctum comparat duobus ramis ab aeterno a Patre ut radice pullulantibus.

(2) Haec capita edidit Hergenröther in *Monumentis ad Photium eiusque historiam pertinentibus*, p. 84-138.

rae ac traditionis Patrum testimoniis, ad ratiocinia humana confugit, et pro axiomate habet illud ipsum quod probandum est. Ejus opus ut nova editio correcta et ad usum scholae redacta Mystagogiae photianae censeri potest, nec dubium quin gravem influxum in coaevos et posteros habuerit.

MICHAEL CAERULARIUS, Ecclesiarum separationem consummare volens, quaestionem de processione Spiritus Sancti primum quidem praetermisit solasque liturgicas vel canonicas differentias praetendit. Postquam autem cardinalis Humbertus de hac quaestione libellum conscripsit et ad Constantinum imperatorem misit Graecosque accusavit quod, *sicut Pneumatomachi vel Theomachi, Spiritus Sancti processionem a symbolo abscidissent, tunc et ipse suo Edicto synodali* quaedam inseruit tum adversus additionem vocis *Filioque* ad symbolum tum in ipsam doctrinam hac additione expressam, ipsa Photii verba in *Epistola encyclica ad orientales thronos* mutuans (1).

Eodem tempore, NICETAS PECTORATUS seu STETHATUS, aliquam dissertationem polemicam de processione Spiritus Sancti composuit, nuper editam, in qua Photii exegesim locorum sacrae Scripturae quaestionem spectantium invenies cum quibusdam ejusdem sophisticis deductionibus. Hoc autem peculiare habet, quod inter processionem aeternam Spiritus a Patre solo et ejusdem missionem temporalem a Filio districte distinguit. Juxta Nicetam, missio temporalis, vi cujus Filius una cum Patre tum gratiam et dona Spiritus Sancti, tum *ipsam Spiritus personam* creaturis tribuit, a processione aeterna, qua Spiritus a Patre solo existentiam habet, omnino differt nec in ea fundamentum invenit. Hanc distinctionem po-

(1) *Edictum synodale* (die 20 iulii, anno 1054 promulgatum), P. G., t. CXX, col. 740-741. Inter alia hoc Latinis exprobratur « quod capere omnino nolint omne quod commune non est in Trinitate, unius tantummodo ex tribus esse ».

lemistae antilatini deinceps retinebunt, Latinique ignorantiae arguentur, quod inter processionem et missionem distinguere nesciant (1).

Petrus Antiochenus, in suo cum Michaele Caerulario litterarum commercio, vituperat quidem additionem vocis *Filioque* ad symbolum; de ipsa vero doctrina nihil clare decernit Latinosque excusare conatur:

« Convenit, inquit, ut nos ad bonam voluntatem respiciendo, praesertim ubi nec circa Deum nec circa fidem periculum est, propendeamus semper ad pacem et fratrum amorem. Illi quippe fratres nostri sunt, quamvis ex rusticitate vel imperitia contingat, ut saepe ab eo quod decet, excidant, dum suam sequuntur voluntatem. Neque postulare debemus in barbaris gentibus adeo accuratam disciplinam, τοσαύτην ἀκρίβειαν, ac a nobis in doctrina eductis exigitur. Magnum enim est si vel apud eos recte praedicetur vivifica Trinitas,

(1) Σύνθεσις κατὰ Λατίνων, ἐν οἷς βλασφημοῦσι εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον λέγοντες ἐκ τοῦ Υἱοῦ τοῦτο ἐκπορεύεσθαι. Apud A. Michel, *op. cit.*, t. II, Paderborn, 1930, p.371-409, graece tantum. In opusculo Nicetae probatio patristica fere nulla est. Illi satis est quemdam locum sat vagum Pseudo-Leontii Caesariensis recitare, quem refert Gelasius Cyzicensis, *Historia ecclesiastica*, ubi fabulosam narrat disputationem philosophorum cum Patribus nicaenis (cf. supra, p. 172, n. 1), et ad decretum synodi Ephesinae de fidei formulis provocare. Notanda est Nicetae responsio ad Latinos vicissim additionis arguentes Graecos, quod hi non simpliciter dicant: *Spiritus a Patre procedit*, sed profiteantur: *A Patre* solo *procedit*: « Si hoc, inquit Graecus, revera additio est, tu huius auctor es, quippe qui additionem veri nominis introducis, nempe illud *ex Filio*, meque ex necessitate coegisti illud *solo* addere ad convellendam additionem a te novatam. Quomodo autem additio dicatur additionis evulsio? Porro quare circa meam, ut dicis, additionem verbis rixaris? Tu aufer tuam additionem, si vis integram et incorruptam servare fidem, et ego non amplius egebo additione illam convellente ». *Loc. cit.*, p. 408. Vides sophisma in responsione Graeci latens: Additio vocis *Filioque* affirmationi symboli *ex se* non contradicit nec illam ullo modo mutat. Additio autem vocis *solo* propositionem symboli simpliciter affirmativam in exclusivam mutat.

necnon Incarnationis mysterium iuxta nostram sententiam teneatur » (1).

Saeculi XI finientis theologus praecipuus fuit THEOPHYLACTUS, Bulgariae archiepiscopus, Latinis haud infensus et ad unionem cum ipsis renovandam propensus. Ad processionem autem Spiritus Sancti quod attinet, totus Photianus est. Non audet quidem suam facere Photii interpretationem verborum Christi: *De meo accipiet.* Resumit tamen quaedam novatoris sophismata adversus catholicum dogma rigorosamque ponit differentiam inter processionem aeternam et missionem temporalem. De Patrum graecorum doctrina nihil habet, nec ullibi explicare aggreditur formulam: *A Patre per Filium procedit.* Si illi credas, vera orthodoxiae regula haec est: *Crede tu Spiritum a Patre quidem prodire, per Filium autem dari creaturae. Hic tibi erit orthodoxiae canon* (2).

Vides theologos byzantinos qui post Photium usque ad saeculi XII initium fuerunt, magistri vestigiis plerumque inhaesisse, nihil fere novi pro illustranda quaestione protulisse, de genuina Patrum graecorum doctrina tacuisse, et in Occidentales tanquam in barbaros ignaros majorem contemptum nutrivisse, a quibus accurata dogmatum notitia exigenda non sit. Vix tanquam aliquid proprium sibi vindicare possunt illam districtam distinctionem inter processionem aeter-

---

(1) *Epist. I ad Michaelem Caerularium,* P. G., t. CXX, col. 806-808.

(2) « Πίστευε σὺ τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς μὲν προϊέναι, δι᾽ Υἱοῦ δὲ χορηγεῖσθαι τῇ κτίσει, καὶ οὗτος ἔσται σοι κανὼν ὀρθοδοξίας » *Enarratio in Ioannis evangelium,* cap. III, 32-34, P. G., t. CXXIII, col. 1224 D. Suam de processione Spiritus Sancti doctrinam Theosphylactus potissimum exponit tum in *Epistola ad Nicolaum diaconum de iis quorum Latini incusantur,* P. G., t. CXXVI, col. 225-242, tum in *Enarratione in Ioannis Evangelium,* P. G., t. CXXIII, col. 1224; t. CXXIV, col. 213, 216, 297, tum etiam in *Vita S. Clementis, Bulgariae archiepiscopi,* P. G., t. CXXVI, col. 1209.

nam et missionem temporalem, quam excogitarunt contra manifestam antiquorum Patrum graecorum traditionem.

Art. III. — De controversia photiana a saeculo xii usque ad Constantinopolim a Turcis captam (a. 1453).

Praenotamina.

Inde a saeculo XII, prae frequentiori cum Latinis commercio unionisque tentaminibus fere continuis, Byzantini ad Patrum graecorum doctrinam, quam illatenus, ad Photii exemplum, silentio presserant, animum attendere illamque tandem sedulo investigare coacti sunt. Dum autem plerique, contentionis spiritu ducti praejudicatisque opinionibus obcaecati, rigido photianismo addicti remanserunt, incredibiles illius « διὰ τοῦ Υἱοῦ » explicationes excogitantes, quidam veram Patrum sententiam assecuti sunt scriptisque luculente explicarunt; qui *Latinophrones,* id est Latinis consentientes, a suis gentilibus audierunt. Quidam autem quasi viam mediam inter purum photianismum et doctrinam catholicam tenere conati sunt, aliquam Filio mediationem in actu productionis seu spirationis Spiritus Sancti tribuentes, quae tamen omni activo influxu sit vacua.

Habemus ergo in hac periodo tres theologorum classes, nempe *Photianos rigidos, Latinophrones* et mediae viae sequaces, quos *Photianos dissidentes* nuncupare possumus. De clarioribus uniuscujusque classis nominibus in hoc articulo aliquid dicere habemus.

Notandum est autem in hac periodo Byzantinos non solum in Patrum graecorum doctrinam explanandam sedulo in-

cubuisse, sed etiam aliquam Patrum latinorum ac praesertim S. Augustini notitiam jam adeptos fuisse theologorumque occidentalium positionem melius cognovisse. In duobus oecumenicis conciliis Lugdunensi II (a. 1274) et Florentino (a. 1439), doctrina catholica omnino clare explicata est ac definita; quam haud pauci ex Orientalibus amplexi sunt et calamo tuiti sunt, Thesis autem photiana ad traditionis antiquae lucem omni ex parte ruinosa apparuit.

I. — De praecipuis theologis huius periodi photianismo rigido addictis necnon de eorum variis explicationibus formulae « per Filium ».

Rigidos Photianos vocamus illos theologos qui thesim photianam absque ulla mutatione vel emendatione integram retinent, docentes Filium nullum influxum, nullam participationem quovis modo intellectam habere in actu quo producitur Spiritus Sanctus a Patre, Spiritum vero a *solo Patre* immediate et proxime procedere seu suum esse accipere, ita ut Filius et Spiritus Sanctus hoc tantum ab invicem distinguantur, quod ab eodem principio, id est a Patre, *diverso modo* seorsim prodeant. In periodo de qua agimur, theologorum byzantinorum maxima pars ab hac doctrina non recedit. Ubi autem interpretari tentant formulam Patrum graecorum: *Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedit seu* ἐκπορεύεται — de illis Patrum locis tantum agitur ubi in formula adhibetur verbum ἐκπορεύεται, non vero de illis ubi usurpantur verba synonyma: προέρχεται, πρόεισι, πέφηνε, προχεῖται, etc. (1) — non

(1) Quomodo theologi photiani locos Patrum intelligant in quibus formula *a Patre per Filium* occurrit non cum verbo ἐκπορεύεσθαι, sed cum aliis eiusdem significationis, iam supra diximus, p. 195-196.

unam et eamdem tradunt explicationem, sed in varias abeunt sententias.

1° *Prima explicatio.* — Tum tempore, tum eorum, qui illam tenuerunt, multitudine prima venit explicatio illa quae praedictam formulam (διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται) ad processionem temporalem seu missionem in omni casu refert; quod sane cum obvia et aperta saltem quorumdum locorum patristicorum significatione omnino pugnat. Dicunt quidam hujus sententiae tenaces verbum « ἐκπορεύεσθαι » duplicem sensum praeferre. Ubi simpliciter dicitur: *Spiritus Sanctus a Patre* « ἐκπορεύεται », vox de processione aeterna intelligenda est (πρόοδος εἰς τὴν ὕπαρξιν). Ubi vero ponitur: *Spiritus Sanctus a Patre per Filium* « ἐκπορεύεται », tunc Patres de processione temporali seu de egressu ad creaturas (πρόοδος εἰς τὰ κτίσματα) loqui intendunt. Hanc primam explicationem multi conjungunt cum una vel pluribus ex illis quae sequuntur. Palamitae specialem habent theoriam circa missionem temporalem, quae sub aliquo respectu *aeterna* dici potest, ut supra declaravimus (1). Quidam, ut Nicephorus Blemmides († 1272) et Gemistus Pletho († 1452), facultatem mittendi Spiritum Sanctum, quam Filius a Patre accipit, ut quid aeternum habent, *ad proprietatem hypostaticam Filii* pertinens: quod a photianismo genuino aliquatenus jam recedit (2).

(1) Cf. supra, p. 66-68.

(2) Hanc opinionem primum propugnavit N. Blemmides, antequam ad veram Patrum graecorum doctrinam perveniret: « Filius, inquit, *sicut creaturarum conditor est, ita et Spiritus dator a Patre genitus est.* Sint ergo natu posteriores quae sanctificationem accepturae sunt creaturae, *illius largitor est ab aeterno largitor, sicut et ab aeterno est conditor,* quamvis eo tantum tempore creaturas condiderit, quo eas creare statuit: « Τί γὰρ τῶν ἀδυνάτων προαιωνίως μὲν εἶναι τὸν Υἱὸν δοτῆρα τοῦ Πνεύματος καὶ ταύτην ἔχειν οὐσιώδη τὴν τελειότητα ; » *Curriculum vitae,* 15, ed. A. Heisenberg, *Nicephori Blemmidae curriculum vitae et carmina,* Lipsiae, 1896, p. 65-66. Gemistus Pletho, in suo opusculo: *Adversus librum lati-*

2° *Secunda explicatio.* — Alii dicunt formulam referri tum ad processionem aeternam, tum ad processionem temporalem. Refertur ad processionem aeternam in prima sui parte, qua dicitur Spiritus a Patre procedere, ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται; refertur vero ad processionem temporalem seu missionem in altera parte, qua dicitur: *Spiritus per Filium procedit,* διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται. Est quaedam compendiosa expressio ad utramque processionem significandam respondetque huic duplici propositioni: *Spiritus Sanctus ab aeterno a Patre procedit seu existentiam habet, et per Filium in tempore mittitur et creaturis communicatur*: ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται καὶ διὰ τοῦ Υἱοῦ χορηγεῖται seu μεταδίδοται· Ita Georgius seu Gregorius Cyprius († 1290) et Josephus Bryennius († circa 1425) (1).

---

num dogma propugnantem, P. G., t. CLX, col. 976 A, dicit: « Cum Filius *ab aeterno in se habeat virtutem mittendi Spiritum ad creaturam,* iure Spiritui Sancto numero seu ordine anteponitur ». Hanc Plethonis explicationem non probavit Georgius Scholarius, qui bene animadvertit eam cum doctrina photiana non quadrare: « Ansam haud parvam, inquit ille, adversariis ista ratio praebebit. Inde enim sequetur aut eamdem esse missionem et processionem, sicut illi opinantur, et palmam obtinebunt; aut utramque inter se differre, sicut nos putamus, et illis stolidi videbimur, quippe qui sive super virtutem aeternam sane, at Trinitati communem, sive super huius virtutis operationem temporalem ordinem aeternum unius personae divinae ad alteram fundare existimamus ». *Epistola ad Plethonem, Œuvres complètes,* t. IV, p. 139. Cf. P. G., t. CLX, col. 618 C D.

(1) Gregorius Cyprius, *Apologia,* P. G., t. CXLII, col. 258 D, 263 B, 265 A. Ubi Patres hanc formulam adhibent, ait Gregorius, in hanc vertenda est: « Τὸ ἐκ Πατρὸς ἐκπορευόμενον Πνεῦμα ἐκφαίνεται καὶ διὰ τοῦ Υἱοῦ φανεροῦται καὶ ἐκλάμπει καὶ πρόεισι » vel simpliciter tunc intelligendum est quod Patres alibi dicunt: « δι' Υἱοῦ ἐκλάμπει, φανεροῦται, πέφηνε, πρόεισι γνωρίζεται. » J. Bryennius hunc canonem interpretationis praepositionis « διά » tradit: « Ubicumque in Scriptura invenies Spiritum ex Patre προερχόμενον, ἢ χορηγούμενον, ἢ προϊόν, ἢ ἐκλάμπον, ἢ πεφηνός, ἢ παρεχόμενον, ἢ διδόμενον, ἢ τοιοῦτόν τι, ne putes haec dici de illa aeterna processione, sed de hac processione operativa et temporali... Ubi vero invenies praepositionem « διά » praepositioni « ἐκ » coniunctam circa processionem Spiritus, ne credas hic agi de ipsa processione hypostatica, sed

3° *Tertia explicatio.* — Haud pauci in dictione « διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται » merum vident loquendi modum ad exprimendam consubstantialitatem Filii et Spiritus Sancti: *Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedit,* id est: *eamdem ac Filius essentiam a Patre accipit;* procedit a Patre *ad Filii modum,* κατὰ τὸν Υἱόν, *substantialiter, non per creationem.* Inter eos qui hanc interpretationem amplexi sunt citari possunt plures polemistae saeculi XIII, ut Jobus Iasita, Manuel Moschopulus, Joannes Chilas (1), et Georgius Scholarius († post 1472) (2).

4° *Quarta explicatio.* — Alia via incesserunt alii, qui dixerunt illud διὰ τοῦ Υἱοῦ nihil aliud significare quam meram relationem Patris ad Filium, ut scilicet nomen Patris declaretur et explicetur. Si enim diceretur tantum: A Patre procedit, ratio cur Pater appelletur Pater non appareret. Nomen Filii interponitur, ut ratio paternitatis ostendatur; aliis verbis: *A Patre per Filium procedit* idem sonaret ac *A Patre Filii procedit.* Huic explicationi aliquando saltem indulsit Georgius (postea Gregorius) Cyprius, et alii ejus coaetanei, de quibus pluries loquitur Joannes Veccus, praesertim vero in suo opere *De unione Ecclesiarum*:

---

solam « ἐκ » referri ad processionem solique Patri tribui, et huic aeternae processioni convenire; praepositionem « διά» autem spectare ad communicationem Spiritus per Filium nobis factam crede ». *Sermo IX de Trinitate, Opera omnia,* ed. E. Bulgaris, Lipsiae, 1768, t. I, p. 166.

(1) Hos theologos confutat historicus Georgius Pachymeres in sua opella inscripta: *Adversus eos qui dicunt Spiritum Sanctum ideo dici Spiritum Filii, quod habeat eamdem ac ille naturam, vel quod dignis ab eo suppeditetur,* P. G., t. CXLIV, col. 923-930.

(2) Georgius Scholarius hoc peculiare habet, quod omnes fere explicationes a Photianis adinventas simul probat, contendens illas ab invicem non substantialiter discrepare. Cf. suum *Tractatum I de processione Spiritus Sancti, Œuvres complètes,* t. II, p. 184-217; item *Tractatum* II, ibid., p. 366-386.

« Erga Filium, inquiunt, Patris relationem dictio indicat. Quandoquidem enim, ubi dicimus Spiritum ex Patre procedentem, vocem Patris nomen significantem intelligere non possumus absque Filio — appellatio enim *Pater* relationem ad Filium manifestat — cum Spiritus a Patre per Filium procedere dicitur, hoc profertur propter relationem Patris ad Filium, non vero quod Filius essentialiter sit medius inter Patrem et Spiritum. Etenim mediationem ministerialem et subordinatam rejicimus ac anathemate icimus » (1).

5° *Quinta explicatio.* — Secundum aliam explicationem, quae praecedenti affinis est, ista locutio usurpatur tum ad *manifestandam distinctionem personarum ad invicem*, πρὸς τὴν διάκρισιν τῶν προσώπων, tum *coexistentiam Filii et Spiritus Sancti* et utriusque processionis, generationis scilicet et processionis, in eodem momento convenientiam. Unde, post Georgium Moschabarum (saec. XIII), qui primus hujus adinventionis auctor fuisse videtur, praepositionem διά in formula vertunt per praepositiones ἅμα, σύν vel μετά cum genitivo: *Spiritus per Filium procedit*, id est: Spiritus a Patre *cum* Filio, *una, simul cum* Filio *procedit*. Polemistae fere omnes, inde a saeculo XIV ad nostra usque tempora, hanc audacem praepositionum transmutationem probaverunt, hac facili via a locis Patrum sibi omnino incommodis se expedientes (2).

---

(1) *De unione Ecclesiarum*, 22, P. G., t. CXLI, col. 64 A B: « Ἐπεὶ γὰρ ὅταν λέγωμεν τὸ Πνεῦμα ἐκπορευόμενον ἐκ Πατρός, οὐ δυνάμεθα νοῆσαι αὐτὴν τὴν δηλοῦσαν τὸ τοῦ Πατρὸς ὄνομα λέξιν ἄνευ τοῦ Υἱοῦ· τὸ γὰρ Πατὴρ ὄνομα τὴν πρὸς τὸν Υἱὸν σχέσιν πάντως ἐμφαίνει· ὅταν ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ λέγηται τὸ Πνεῦμα ἐκπορεύεσθαι, διὰ τὴν τοῦ Πατρὸς πρὸς τὸν Υἱὸν σχέσιν εἴρηται τοῦτο, καὶ οὐ διὰ τὸ οὐσιωδῶς μεσιτεύειν τὸν Υἱὸν Πατρί τε καὶ Πνεύματι· τὸ γὰρ ὑπουργικῶς μεσιτεύειν εἰπεῖν καταργοῦμεν καὶ ἀναθεματίζομεν. »

(2) Praeter Georgium Moschabarum, hanc exegesim potissimum receperunt Gregorius Palamas, Nilus Cabasilas, J. Bryennius, Marcus Ephesius, G. Scholarius. Hanc interpretationem Gregorius Cyprius non solum ut quid ridiculum, sed etiam ut manifestam impietatem his verbis reiecit: « Hoc quidem ridiculum

6° *Sexta explicatio*. — Georgius Scholarius, omnium primus, docuit illud « διὰ τοῦ Υἱοῦ » indicare *ordinem processionum*, ita ut praepositio διά intelligenda sit in sensu praepositionis μετά cum accusativo: *Per Filium* procedit, id est: *Post Filium* procedit. Hanc interpretationem expresse damnaverant Nilus Cabasilas et Marcus Ephesius; aperte enim pugnat cum diagrammate photiano. Verum Scholarius non decernit utrum agatur de ordine processionum quoad nos, id est quoad personarum externam et historicam manifestationem, an de ordine immanenti ac necessario. Hanc ultimam sententiam propugnarunt quidam theologi moderni, de quibus infra loquimur.

7° *Septima explicatio*. — Secundum eumdem Scholarium, formula Patrum indicat etiam *unitatem principii in Trinitate*, τὸ ἑνιαῖον καὶ μοναρχικὸν τῆς θεότητος: quod concedi posset, si Scholarius ab hac unitate principii Filium non excluderet. Revera formula graeca insinuat, ut diximus, Patrem et Filium unum et idem esse principium Spiritus Sancti.

Vides quousque spiritus contentionis Photii discipulos duxerit! Sententiam magistri a Patrum antiquorum doctrina abhorrentem quoquo modo tueri volentes verborum sensum naturalem inverterunt, praepositionem διὰ mirum in modum

---

est quod huiusmodi acceptio est inusitata et inaudita et prorsus contra communem usum, quam et omnino ignorant grammatici neque qui dialecto graeca utuntur unquam usurparunt. Ubinam vero tu didicisti praepositionem διά in praepositionem σύν, μετά et his similes transmutari posse? Impium insuper hoc est, quia ex interpretatione huiusmodi sequitur Filium a Patre genitum una cum Spiritu procedere... Ubi enim dicis Spiritum Sanctum procedere cum Filio, vel una cum ipso, vel simul cum ipso, nihil aliud dicis quam quod ipse Filius ex Patre ἐκπορεύεται, quemadmodum et Spiritus Sanctus ». *Apologia tomi*, P. G., t. CXLI, col. 257. Nota Georgium Scholarium vertere etiam διά per οὐκ ἄνευ τοῦ Υἱου, οὐ δίχα τοῦ Υἱοῦ, οὐκ ἐκτὸς τοῦ Υἱοῦ.

torserunt, ut in ejus locum omnes fere alias praepositiones graecas sufficerent.

II. — De theologis latinophronibus.

Fortunate tamen per totam hanc periodum quosdam invenimus theologos, qui prae manifesta verborum significatione confiteri non dubitaverunt sententiam photianam cum antiquorum Patrum dictis aperte pugnare, Patres vero doctrinam catholicam revera docuisse. Inter illos quidam Ecclesiae catholicae publice nomen dederunt, quidam vero non; quorum testimonium contra dissidentes eo gravius est.

Saeculo XII, duo nobis occurrunt doctrinae catholicae testes, scilicet NICETAS NICOMEDIENSIS et NICETAS MARONENSIS.

Primus sub Joanne Comneno imperatore (1118-1143) metropolita Nicomediensis exstitit unusque fuit ex duodecim professoribus Universitatis patriarchalis. Hic quidem nullam dissertationem de processione Spiritus Sancti nobis reliquit; ejus tamen de hac quaestione sententiam ex scriptis duorum Latinorum, nempe Anselmi Havelbergensis et Hugonis Eteriani, novimus. Apud Hugonem loquitur ut Photianus (1). Apud Anselmum vero, quocum publice Constantinopoli, anno 1135, ipso Joanne Comneno praesente, disputavit, primum quidem trita polemistarum argumenta contra Latinos depromit; in fine autem disputationis ad doctrinam catholicam accedit, formulam Patrum graecorum *a Patre per Filium*, quam ignorabat Anselmus, recte explicans et ad doctrinam Augustini, asserentis Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere, sed a Patre *principaliter*, usque pertingens. Dicit enim:

(1) *De haeresibus Graecorum*, l. II, c. IX, P. L., t. CCII, col. 259 B; l. III, c. XI, col. 360 A.

« Pater a nullo est; Filius a Patre proprie est, Spiritus Sanctus ab utroque est; *a Patre tamen proprie est, quia Pater a nullo est; a Filio autem non ita proprie est, quia Filius non a nullo, sed a Patre est, et a Patre habet quod Spiritus Sanctus ab ipso est;* et ita concedo Spiritum Sanctum a Patre, qui a nullo est, *proprie procedere;* a Filio autem, quia et ipse a Patre est, *non ita proprie procedere;* et hoc est quod distinxerunt, sicut dixi, sapientissimi Graecorum... Porro verba haec: *Spiritus Sanctus procedit a Filio,* quoniam hactenus non sonuerunt publice in Ecclesia Graecorum, nequaquam subito possunt induci, ut sine aliquo scandalo plebis vel aliquorum minus prudentium publice doceantur vel scribantur; sed aliquod generale concilium occidentalis et orientalis Ecclesiae auctoritate sancti Romani Pontificis, admittentibus piis imperatoribus, celebrandum est, ubi haec et nonnulla aliae catholicae Ecclesiae necessaria diffinirentur, ne forte vos vel nos in vanum curreremus » (1).

Nicetas vero Maronensis, qui sub Manuele Comneno (1143-1180) Thessalonicae metropolitanam sedem aliquamdiu tenuit, veram Patrum graecorum doctrinam plenamque significationem formulae *a Patre per Filium* luculente aperuit in sex dialogis, ubi Latinus unus et Graecus alter, ex solis fontibus graecis, argumenta pro doctrina propria vicissim proferunt et in eamdem sententiam tandem conveniunt (2). Hanc autem ponunt reconciliationis utriusque Ecclesiae conditionem, scilicet ut Latini vocem *Filioque* symbolo fidei non amplius addant, Graeci autem expresse confi-

(1) *Dialogi,* l. II, c. XXIV, XXVII, P. L., t. CLXXXVIII, col. 1204-1205, 1209-1210.

(2) Horum dialogorum primum integrum habes in P. G., t. CXXXIX, col. 169-202, cum quibusdam excerptis caeterorum, col. 202-222. Secundum, tertium et quartum cum versione latina edidit N. Festa in commentario *Bessarione* (an. 1912-1916). Quintus et sextus nondum editi sunt; quos legere potes in *cod. Vaticano* 1115 (saec. XIV).

teantur Spiritum Sanctum *ex Patre per Filium*, vel etiam *ex Patre Filioque procedere*, « illud *ex Filio* sic intelligentes, ut Patres intellexerunt, nempe tamquam *ex principio immediato*, seu *ex Patre per Filium*, non vero tamquam *ex principio carente principio* (1).

Cum igitur, ait Graecus in fine, et apud nos et apud vos illud *ex Patre procedit* pie intelligatur et dicatur, praeter quod apud nos non *ex Filio* sed *per Filium*, apud vos vero *et ex Filio*, non *per Filium* usurpatur, formularum acceptione utrimque in idem recidente..., sacri symboli textus servandus est inviolabilis secundum sanctos Patres; concordia autem Latinorum et Graecorum in diversis loquendi modis, illam concordiam dico quae est de formulis *ex Filio* et *per Filium*, per commonitoria ex consensu redacta declaranda est, quae ostendant tum ambiguitatem et dissensionem quae hactenus viguit, tum in unum dogma pium unamque sententiam consensum, qui ex communi examine ac pervestigatione eluxit... Has syllabas (scilicet *ex Filio* in symbolo) donate nobis, et plures syllabas nos vobis vicissim donabimus, quae in commonitorio ostendent communem consensum et conspirationem et syllabarum scandalizantium abrogationem » (2).

---

(1) Bene explicat Nicetas Patrem et Filium simul non esse duo principia, sed unum tantum principium, in *Dialogo* IV: « Ex Patre enim et Filius et Spiritus; sed Spiritus etiam ex Filio quasi per Filium; et non altera sane, et altera processio, *neque duae unius emissiones, sed una et eadem immediate quidem ex Filio, mediate vero tanquam ex Patre per Filium*: Ἐκ γὰρ τοῦ Πατρὸς καὶ ὁ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα, ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ, ὡς διὰ τοῦ Υἱοῦ· καὶ οὐχ ἑτέρα μὲν καὶ ἑτέρα, οὐδὲ δύο προβολαὶ τοῦ ἑνός, ἀλλὰ μία καὶ ἡ αὐτή, ἀμέσως μὲν ἐκ τοῦ Υἱοῦ, ἐμμέσος δὲ ὡς ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ Υἱοῦ, καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ὡς διὰ τοῦ Υἱοῦ, καὶ ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ. »

(2) *Cod. Vatic. graec.* 115, fol. 46 *b*: « Χαρίσατε ἡμῖν ταύτας τὰς συλλαβάς, καὶ πλείονας συλλαβὰς ἡμεῖς ὑμῖν ἀντιχαρισόμεθα δηλούσας ἐν ὑπομνήματι τὴν κοινὴν συμφωνίαν καὶ σύμπνοιαν καὶ τὴν ἀναίρεσιν τῶν σκανδαλιζόντων συλλαβῶν. » Notandum est Nicetam suis de processione Spiritus Sancti dialogis Photianorum simultatem in se concitasse; qui ejus opus plerumque silentio presserunt, immo ejus nomen e publico catalogo seu *synodico* episcoporum Thessalonicae civitatis ex-

* * *

Saeculo XIII, praesertim in altero ejus dimidio, theologorum Latinophronum numerus crevit, occasione unionis in concilio II Lugdunensi pacta.

Ante hanc unionem, claruit NICEPHORUS BLEMMIDES († 1272), qui philosophi et theologi magnum nomen habuit. Primum quidem photianismo puro adhaesit; postea ad doctrinam catholicam aliquatenus accessit, dum Filio tribuit facultatem ab aeterno a Patre acceptam mittendi Spiritum Sanctum in tempore; quae facultas habetur ut *quaedam proprietas hypostatica* Filii, ut supra diximus (1). Demum, in duabus epistolis dogmaticis ad Jacobum, Bulgariae archiepiscopum et ad Theodorum Lascarim directis, eodem modo ac Nicetas Maronensis, ad cujus *Dialogos* semel saltem provocat, formulam *a Patre per Filium* interpretatus est, photiana axiomata evertens lucideque ostendens ea Patrum graecorum doctrinae directe adversari. Formulam autem Latinorum *ex Patre Filioque procedit* eatenus tantum rejicit, quatenus significaret Spiritum Sanctum procedere ex Filio tanquam ex *principio primo, principio carente* (2).

---

punxerunt. Ad solutionem autem ab eo propositam quod attinet, notum est Ecclesiam romanam *plerumque* illam *ex parte* practice probavisse, quatenus Graecis praescripto non imposuit, ut symbolum fidei cum additione vocis *Filioque* recitarent.

(1) Cf. supra, p. 321 n. 2.

(2) De doctrina Nicephori Blemmidae fuse agimus in *Theologia Orientalium*, t. II, p. 327-342. Ad ejus catholicam mentem demonstrandam, sufficiat haec pauca ex *Epistola ad Jacobum*, 23, ed. Lämmer, *Scriptorum Graeciae orthodoxae bibliotheca selecta*, t. I, p. 147-149: « Nos quoque asserimus Spiritum Sanctum non dici esse ex Filio *antecedenter* seu *principaliter* (προηγουμένως) sed *ex Patre per Filium*; confitendum est enim personam Patris esse principium et causam et Filii et Spiritus ejus; *solus namque Pater causa est, et Filius non est causa prima* (αἴτιον ἀρχικόν) eorum, quorum Pater ipse causa est, Patrem enim docemus *unum principium sine principio* esse tum creaturae, tum

Luculentius adhuc et fusiori calamo JOANNES VECCUS, qui sedem Constantinopolitanam tenuit post unionem Lugdunensem et anno 1298 dogmatis catholici martyr in carcere occubuit, veram Patrum graecorum doctrinam in multis scriptis aperuit. Photium ejusque praecipuos discipulos singillatim confutavit, ita ut ipsi, prae copia et evidentia testimoniorum ab ipso in unum collectorum, ad illas inanes interpretationes, quas mox retulimus, confugere debuerint (1).

A Joanne separandi non sunt ejus fideles, socii ac in doctrina catholica calamo tuenda commilitones, CONSTANTINUS MELITENIOTA et GEORGIUS METOCHITA († 1328); quibus adjungendus est etiam GEORGIUS ACROPOLITA (1217-1282) (2).

* * *

Saeculo XIV, tres eminent doctrinae catholicae defensores ex Ecclesia dissidenti ad Ecclesia catholicam conversi, scilicet BARLAAMUS CALABER († 1348), DEMETRIUS CYDONES († 1400) et MANUEL CALECAS († 1410), qui ordinis Praedicatorum habitum sumpsit.

---

divinitatis, creaturae efficiens, divinitatis naturale. Itaque qui Spiritum *ex Filio* dicit suspicionem ingerit quod teneat Filium *eodem modo habere virtutem spirativam* (τό προβλητικόν) *quo Pater habet virtutem generativam* (τὸ γεννητικόν); unde divinus ille vir (Joannes Damascenus scilicet) ait: *Ex Filio Spiritum non dicimus*. Qui vero dicit *Spiritum ex Patre per Filium*, manifesto confitetur Patrem solam esse causam processionis Spiritus; *omnia enim quae habet Filius, ea habet ut ea accipiens a Patre*, essentialiter scilicet et naturaliter, tanquam qui proprie Filius est ex eo qui proprie est Pater ».

(1) Joannis Vecci opera, quae fere omnia de processione Spiritus Sancti tractant, habes in P. G., t. CXLI, necnon in editione emendata H. Lämmer, *op. cit.*, t. I, p. 191-652.

(2) Quaedam Constantini et Georgii Metochitae opera habes in P. G., t. CXLI, post Joannis Vecci scripta; Metochitae *Historiam dogmaticam* in A. Mai *Nova Patrum bibliotheca*, t. VIII (2ª pars) et t. X. Georgii Acropolitae dissertationes tres pro dogmate catholico periere.

BARLAAMUS multa contra Latinos conscripsit, antequam photianismo valediceret; quae omnia fere inedita remanserunt. Catholicus factus, verbis brevia sed sententiis gravia opuscula pro veritatis defensione concinnavit (1).

DEMETRIUS CYDONES vero non solum propriis operibus, sed etiam Patrum et theologorum latinorum scriptis graece redditis rem catholicam in Oriente fovit. De ipsa Spiritus Sancti processione tres conscripsit tractatus, quorum unus est *Pro defensione sancti Thomae Aquinatis contra Nilum Cabasilam.* His tractatibus addenda est *Epistola ad Barlaamum de processione Spiritus Sancti,* quam scripsit cum inter utramque doctrinam, Graecorum scilicet et Latinorum, dubius adhuc haereret, positionem tamen Latinorum multo tutiorem ac consultiorem jam existimans, ut ex sequentibus verbis apparet:

(1) Haec opuscula leguntur in P. G., t. CLI, ubi etiam invenies titulos opusculorum decem et octo de processione Spiritus Sancti contra Latinos, qui omnes inediti sunt. In quadam dissertatione de eodem argumento sexdecim probationes pro dogmate catholico conficit, quarum quatuordecim ex S. Scriptura petuntur. Decima quinta autem ordinis moralis est nec omni vi vacat; quam ob oculos lectoris ponere juvat. Legitur autem in P. G., *t. cit.*, col. 1328: « Oportet, post haec, comparare huic factae per nos demonstrationi de processione Spiritus Sancti et ex Filio sermones eorum qui oppositum ostendere nitintur, et videre quantum interest. *Illi enim aut contumeliis et blasphemiis nos percutientes et tali specie sermonum utentes, aut supponentes verba nostra* vel quorumdam dictorum expositiones vel argumenta non sicut nos intelligimus et dicimus et exponimus, sed sicut ipsi dicere nos et intelligere putant; aut etiam fingentes ipsi nostra verba prout eis facile sit destruere, ita adversus nos sermocinantur... Nos autem in exposito hoc sermone *contumelia omni abstinentes et nihil calumniose supponentes, per ipsa sacra eloquia, nihil vanae scientiae assumentes, ostendimus quod ex Filio procedit Spiritus Sanctus.* Quare si quis non sufficere putat hanc nostram demonstrationem, sed adhuc dubitat et veretur conclusioni assentiri, multo magis talis debet dubitare et timere recipere quod ex solo Patre Spiritus est, cum hujus nulla talis possit esse demonstratio ».

« Deinde, supponens in parte utrumque falsum esse, et perquirens ubinam sit majus periculum, Latinorum dogma multo tutius invenio. Hoc enim, etiamsi falsum sit, addit ibi aliquid quod Deum deceat, nihil adimendo; Spiritui enim nihil detrahit; non enim ex hoc minoris dignitatis fit quam Filius. Filio vero nihil auferens, nec Patri de his quae habet detrahens, addit quod non solum ipse perfecte est spirator, verum etiam spiratorem genuit. Illud vero quod Graeci dicunt, si quidem falsum est, papae! quam magna blasphemia, addens quidem nihil, detrahens vero Filio quidem spirare Spiritum, Patri vero generare spiratorem. Et est simile ut si quidam, Scripturae addentes de miraculo erga quatriduanum Lazarum a Domino patrato, unus diceret non obiisse illum, sed passionem quamdam circa cor accidisse et visum esse mori, Dominum vero quarta die passione illa ipsum liberasse; alius rursus diceret trigina dierum mortuum, vel adhuc ultra, resuscitatum fuisse a Domino. Utraque enim falsa essent. Sed unum detrahit, alterum addit illi miraculo, ita ut non sit aequale peccatum » (1).

Ex Manuelis Calecae operibus editis tria ad processionem Spiritus Sancti, saltem ex parte, pertinent, quorum praecipuum inscribitur: *Contra errores Graecorum libri* IV, latine tantum editum (2). Tres primi libri integri de ipsa processione agunt; quarti vero bona pars additioni ad symbolum dicatur. Nostro judicio, opus istud inter illa, quae de

(1) P. G., t. CLI, col. 1299-1300. De operibus Demetrii Cydonii vide *Theol. Orient.*, t. I, p. 477-480; t. II, p. 377-379; J. Mercati, *Notizie di Procoro e Demetrio Cidone, di Manuele Caleca*, etc., Romae, 1931, passim.

(2) Invenitur in P. G., t. CLII, col. 17-258. Nota ad Manuelem pertinere opusculum inscriptum: *De processione Spiritus Sancti ad eos qui dicunt Filium Dei non esse ex substantia Patris,* quod sub nomine Demetrii Cydonii in P. G., t. CLIV, col. 863-958, falso venit. In hoc Manuel Palamitas potissimum confutat, qui realem distinctionem ponebant inter essentiam divinam, personas et proprietates hypostaticas. Eo ipso refellit axioma photianum asserens Spiritum Sanctum procedere a sola Patris hypostasi, non vero ab ejus essentia.

eodem argumento ab unionistis graecis conscripta sunt, primas tenet tum argumentorum copia ac robore, tum dicendi claritate cum brevitate conjuncta, tum quod non solum ex fontibus graecis, verum etiam et ex latinis auctoritates haurit (1). Quamvis theologiam scholasticam Latinorum bene noverit, praesertim vero *Summas* Aquinatis, methodo positiva semper utitur, utpote ad redarguendos Photianos magis accomodata. Ipsas sancti Thomae conclusiones Patrum munit testimoniis, ut eas ostendat non ex ratiociniis humanis, sed ex Revelationis fontibus firmitatem habere; quod praestat potissimum quoad axioma: *In divinis omnia unum sunt, ubi non obviat relationis originis oppositio* (2). Optime ostendit processionem Spiritus Sancti (τὴν προβολήν) necessario supponere mediationem Filii:

« Procedentis definitio est ex genitore esse per genitum... Per nativitatem enim processio est, quia et per Filium Spiritus, procedentisque terminus per genitum esse monstratus est. Quoniam vero Filius, in quantum Filius, paternorum bonorum omnium est haeres, et omnia quae Patris sunt nascendo accipit, gignendo profecto Pater Filio auctor est etiam ut sit Sancti Spiritus causa » (3).

In fine, Graeco quaerenti syllogismum concludentem etiam ex Filio esse Spiritum Sanctum, et ambas praemissas ex sacra Scriptura sumentem, offert sequentem:

« Filius, ex Patre accipiens et audiens, ab eo esse habet; atqui Sanctus Spiritus a Filio audit et accipit; ergo Spiritus Sanctus a Filio esse habet. Ista de principiis fidei est Salva-

(1) Ex latinis Patribus laudat Hilarium, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Fulgentium sub nomine Augustini, Leonem, Gregorium. *Op. cit.*, l. II, *loc. cit.*, col. 111-116.

(2) Cf. l. III, col. 144, 154-155.

(3) Ibid., col. 154-155.

torisque sententiis. Ita sancti, ut expositum est, sententiam exposuerunt » (1).

* * *

Saeculo XV, post concilium Florentinum, theologi byzantini qui doctrinae catholicae adhaeserint haud desunt; qui suorum antecessorum saeculi XII et saeculi XIV doctrinam sibi appropriantes illamque accuratiori theologiae latinae cognitione ditantes, axiomata photiana invictis argumentis convellerunt, praejudicatasque opiniones in dogma catholicum per saecula a polemistis congestas indubiis Patrum testimoniis necnon perspicuis doctrinae Latinorum explicationibus e medio sustulerunt.

Inter eos eminet BESSARIO cardinalis, qui saeculo XV tanquam Veccus alter apparuit, et suos antecessores unitos, si Demetrium Cydonem et Manuelem Calecam excipias, theologiae scholasticae et Patrum latinorum notitia superavit. Praeter illam dogmaticam orationem in decem capita distributam, quam ad conventum Graecorum habuit, brevem tractatum de processione Spiritus Sancti ad Alexium Philanthropinum scripsit, in qua opinionis haereticae praecipuum fundamentum evertit, ostendens solam paternitatem ut sic esse proprietatem constitutivam personae Patris (2). Hoc enim posito, totum ruit photianum aedificium. Dilucide etiam explanat utramque formulam: *a Patre per Filium*, et *a Patre Filioque*, earum differentiam in respectibus, convenientiam in summa doctrinae bene ostendens (3). Nec minus notanda

(1) Ibid., col. 186. Nota Manuelem Calecam non reprobare dictionem « συναίτιος » (= *concausa*) Filio tributam respectu professionis Spiritus Sancti, quam Joannes Veccus repudiabat. *De processione Spiritus Sancti,* c. X, P. G., t. CLIV, col. 921 A. Eam tamen orthodoxe explicat.

(2) P. G., t. CLXI, col. 425-426; cf. col. 361-366.

(3) *Ibid.*, col. 443-444; cf. col. 397-402.

est ejus interpretatio de tritis illis locis Dionysii, et Joannis Damasceni, quos Photiani in ore semper habent (1). In hoc opusculo, sicut et in *Confutatione capitum Marci Ephesii* (2), Bessario ad doctrinam sancti Thomae haud semel provocat.

Post Bessarionem nominandus venit JOSEPHUS METHONENSIS, qui tum in *Dialogo de differentiis inter Graecos et Latinos*, tum in *Confutatione libelli Marci Ephesii de synodo Florentina*, tum praesertim in capite I *Apologiae pro sancta et oecumenica synodo Florentina* (3), breviter, clarissime ac jucunde praecipuas dogmatis catholici probationes evolvit, in auctoritate Patrum potissimum insistens.

GREGORIUS MAMMAS tum Marci Ephesii confessionem fidei, tum ejus encyclicam litteram ad omnes orthodoxos validis confutat argumentis positivis (4). De Theodoreti et sancti Cyrilli Alexandrini contentione circa processionem Spiritus Sancti fuse disserit (5). Item sancti Joannis Damasceni veram mentem clare aperit, et sancti Epiphanii, de quo silere solent Photiani, dogmaticam auctoritatem extollit (6).

In *Explanatione decreti Florentini*, JOANNES ARGYROPULUS a theologia scholastica Latinorum, praesertim a sancto Thoma, multa mutuatur. Post quosdam alios theologos unitos, dicit Filium esse cum Patre συναίτιον Spiritus Sancti (7). Hanc dictionem omnino orthodoxe explicat.

Inter dogmatis catholici propugnatores aliquamdiu claruit GEORGIUS SCHOLARIUS, qui non solum intra concilium

(1) *Ibid.*, col. 442-446; cf. col. 396-402.

(2) P. G., t. CLXI, col. 137-244.

(3) P. G., t. CLIX, col. 959-1394.

(4) P. G., t. CLX, col. 14-228.

(5) *Refutatio confessionis fidei*, col. 48-58.

(6) *Responsio ad litteram encyclicam Marci*, col. 124.

(7) P. G., t. CLVIII, col. 1001 A.

Florentinum concives suos ad unionem cum Latinis praeclaris concionibus adhortatus est, atque doctrinae catholicae omnino explicite adhaesit, sed etiam paulo post concilium *Capita syllogistica Marci Ephesii de processione Spiritus Sancti contra Latinos* adeo sollerter ac perspicue evertit et diluit, ut theologum latinum in Schola enutritum ac diu magistrum audire credas (1). Infeliciter ad photianismum rigidum mox reversus est, ea amplexus sophismata quae prius in Marco Ephesio confutaverat et ad nihilum redegerat. Ejus palinodiae causas arcanas quis nobis aperiet? Ex ejus scriptis conjicere licet eum aegre tulisse tum quod in concilio Latini nullo officio honoreve illum provocaverint, cum ipse inter Graecos doctissimus esset ac pro unione adlaborasset (2); tum quod, post concilium, unionistis non satis curae fuerit eum ad suas partes blande ac comiter attrahere. Erat enim homo ad accipiendam offensam facilis, amore gloriae detentus et, ut doctis accidit, sua excellentia plenus ac proprii meriti nimis conscius. Hoc bene noverat Marcus Ephesius, qui blanditiis simul et improperiis ad suam factionem illum adduxit et ad rerum patriarum amorem excitavit. Notandum est enim

(1) Hanc confutationem habes tum in P. G., t. CLXI, col. 11-138, tum in *Oeuvres complètes de Gennade Scholarios,* t. III, p. 476-538. Etiam ante synodum Florentinam Georgius proprio studio invenit doctores latinos et graecos eamdem sententiam de processione Spiritus Sancti diversis formulis edocuisse. Ipse tunc pro Latinis quaedam conscripsit et a suis gentilibus *Latinophron* audivit. Cf. ejus scriptum *Adversus Bessarionis orationem,* initio et fine mutilum, e *codice autographo Paris. Suppl.* 618 nuper a nobis editum in t. III *Operum* ejus, p. 100-116.

(2) Hoc colligi potest ex iis, quae contra Bessarionis dogmaticam orationem conscripsit, *Oeuvres complètes,* t. III, p. 110-111, ac praesertim p. 112-113, ubi certe queritur se a Bessarione neglectum fuisse in procuranda unione: « οὓς δὲ ἐν μοίρᾳ διδασκάλων τὸν πρόσθεν ἔταττες χρόνον, καὶ οὓς μόνους ἀκριβεστάτους τῶν ὄντων ἐπιστήμονας ἡγούμενος καὶ καλῶν, λύσεις τῶν ἀπορουμένων ἐζήτεις..., τούτους τοίνυν ἔχων καὶ χρῆσθαι δυνάμενος, οὐκ ἠθέλησας. »

dogma photianum a multis jam saeculis Byzantii ita invaluisse, ut tanquam quid ad patriam pertinens habitum fuerit. Unde videmus Scholarium illud passim vocitare dogma patrium, sententiam patriam, πάτριον δόγμα, δόξαν πάτριον.

III. — De Photianis dissidentibus.

Photianos dissidentes vocamus theologos illos qui a conceptu photiano processionum divinarum recedentes, ad veram doctrinae catholicae notionem nondum pertingunt. Admittunt quidem aliquam Filii mediationem in actu quo Spiritus Sanctus a Patre procedit; ei tamen non tribuunt esse una cum Patre verum et activum Spiritus Sancti principium.

In periodo de qua agimus, duos theologos ad hanc classem referre possumus, qui sub saeculi XIII finem vixerunt, scilicet THEODORUM MUZALONEM et GEORGIUM CYPRIUM († 1290).

THEODORUS MUZALON locutionem *per Filium*, διὰ τοῦ Υἱοῦ, de mera *mediatione ministeriali* seu *organica* Filii interpretatur. Si illi credas, virtus spirativa Patris, cujus terminus est Spiritus Sanctus, per Filium transit quasi per instrumentum, quin Filius ullo modo *active* concurrat ad productionem Spiritus Sancti: « Si enim, aiebat ille, illud per Filium constiterit, secum trahens existentiam, de proposito argumento jam totum actum est, nec aliud ultra quaerendum, sed hic standum est » (1), significare volens Joannes Veccum,

(1) G. Metochita, *Hist. dogmatica*, l. III, apud Mai-Cozza-Luzi, *loc. cit.*, p. 349: « Εἰ τὸ δι' Υἱοῦ συσταίη τὴν ὕπαρξιν ἀπαιτοῦν, μηκέτι πρὸς ἄλλο τι τοῦ λοιποῦ λόγον ἔχειν, ἀλλ'ἐνταῦθα στῆναι τὸ τέλεον. » Cf. ibid., 99, p. 366, ubi Theodorus Muzalon exhibetur tanquam hujus sententiae patronus: « Τὴν δι' Υἱοῦ ἐκπόρευσιν ἐξηγούμενος καὶ μὴ τὸν διάφορον τρόπον τῆς ὑπάρξεως ἐντεῦθεν διευλογεῖσθαι παραδεχόμενος, τὸ ἥκειν τε καὶ διήκειν δηλοῦν ἀποφαίνεται. »

hoc concesso, jam vicisse. De hac theoria haud semel loquitur Veccus in suis scriptis. Ita in *Libro III ad Constantinum* haec habet:

« Potest, dicunt illi, processionem et existentiam per Filium dici, sed eo sensu, quod pertranseat per Filium; hujusce enim dictionis ipsi sunt adinventores » (1).

Et in *Oratione II de depositione sua*:

« Quid enim est quod nunc demum omnium postremum commenti sunt? Ex Patre per Filium Spiritum Sanctum procedere asserunt non notare ex Patre per Filium existentiam Spiritus, *sed significare ipsum Spiritum ex Patre procedentem* transire per Filium. Ego vero, quid sit *illud pertransire*, τὸ διήκειν, nondum novi, et undenam hujus pertransitus notio illis in mentem advenerit, ignoro; omnia vero animo circumvolvens, ut vel obscuram illius intelligentiam assequar, nihil invenio, semper dubius haerens, nisi ipsi fluxum quemdam divinitatis intelligant, secundum quem ex Patre per Filium Spiritum procedere dicant; quod asserentium prudentiae evidenter adversatur. Fateor enim illos viros prudentes esse, licet improbitate eorumdem prudentia vere obscuretur » (2).

In hac ergo conceptione, Filius erit quasi instrumentum processionis aeternae Spiritus Sancti, vicesque geret cujusdam conditionis sine qua non ejus existentiae ex Patre.

---

(1) *Ad Constantinum*, l. III, 3, P. G., t. CXLI, col. 388-389: « Δύνασθαι φήσωσι καὶ ἐξ Υἱοῦ καὶ δι'Υἱοῦ ἐκπόρευσιν λέγειν καὶ ὕπαρξιν, πλὴν κατὰ τὸ διήκειν διὰ τοῦ Υἱοῦ· καὶ ταύτης γὰρ αὐτοὶ τῆς λέξεως πλαστουργοί. »

(2) *De depositione sua oratio* II, 9, ibid., col. 981: « Τὸ δ'ἐκ Πατρὸς δι'Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐ φασὶ τὴν ἐκ Πατρός δι'Υἱοῦ ὕπαρξιν σημαίνειν τοῦ Πνεύματος, ἀλλὰ τὸ διὰ τοῦ Υἱοῦ διήκειν αὐτὸ ἐκπορευόμενον τοῦ Πατρός. Ἐγὼ δὲ τί ἐστι τὸ διήκειν οὐκ οἶδα, καὶ ὅθεν αὐτοῖς ὁ τοῦ διήκειν τούτου ἔννοια ἧκε, διαπορῶ. » Cf. *ibid.*, 11, 986; *Ad Constantinum*, l. III, 3, col. 388-389; *Testamentum*, col. 1029 C.

Inter hanc Muzalonis explicationem et Georgii Cyprii theoriam aliqua subtilis differentia intercedit. Secundum Georgium, illud διὰ τοῦ Υἱοῦ intelligendum est de *quadam manifestatione aeterna* Spiritus Sancti per Filium (ἔκφανσις αἰώνιος). Mediatio Filii non respicit processionem Spiritus *in fieri,* quasi actio qua Pater emittit Spiritum per Filium tanquam per instrumentum transeat antequam ad suum terminum, qui est ipsa persona Spiritus, perveniat — quod videtur fuisse ipsa Theodori Muzalonis theoria — sed hujusmodi mediatio respicit ipsam personam Spiritus Sancti, jam a Patre perfecte existentem. Aliis verbis: A solo Patre perfectam existentiam jam habens simul cum Filio, *transit per Filium, et per eum progreditur, apparet, illucescit ut ab aeterno existens, et etiam ut per eum creaturis dandus in tempore.* Rem ipse sic explanat:

« Nos dicimus et immediate existere Spiritum *ex Patre,* et *per Filium.* Et non, secundum quod adversarii autumant, *immediate* dicentes, illud *per Filium convellimus,* neque *per Filium confitentes,* illud *immediate* negamus. *Immediate* enim profitemur, quandoquidem existentiam secundum hypostasim et ipsum esse ex ipso Patre habet Spiritus, et non *ex Filio,* nec *per Filium;* secus enim Filius Paracleti causa evidenter esset, quod pietati non congruit nec ullus unquam sanctorum aut dicere aut scribere visus est. Per Filium autem Spiritum dicimus et nostram confessionem de immediata processione inde non tolli, *quandoquidem Spiritus procedens et in suo esse constitutus ex Patre, ex quo et Filius gignitur, per ipsum Filium progreditur et exsplendet, perfectum esse ab ipso Patre jam habens, eodem prorsus modo, quo lumen dicitur per radium ex sole, habens quidem solem tanquam fontem et sui esse causam et principium sui naturale, transiens attamen et prodiens et splendens per radium, ex quo neque existentia neque subsistentia lumini obvenit, sed per eum ap-*

paret, ut dictum est, minime vero sui esse principium per eum aut ex eo tenet, sed pure et immediate ex sole, ex quo est et ipse radius, per quem lumen ut prodiens manifestatur » (1).

Hoc imaginationis Georgii Cyprii commentum rigidis Photianis haud placuit; quod ut haeresim sapiens damnare voluerunt. Prae eorum reclamatione, sede patriarchali se abdicavit Georgius, ea tamen conditione, ut in publico coetu episcoporum, clericorum, monachorum et populi, senatoribus cum imperatore praesentibus, illum ab omni errore in fide immunem publice declararent; quod et praestarunt, *oeconomia* pro bono pacis erga illum utentes.

Caeterum paucos habuit Georgius suae theoriae sequaces. Unum tantum certum est, videlicet theologos dissidentes illius temporis illam ut orthodoxiae minus consonam habuisse, quanquam ejus auctori orthodoxiae libellum inviti concesserunt. Revera Georgius a genuino photianismo aliqua ex parte recedit. Vult enim ille graecorum Patrum diagramma trinitarium tenere, et Filii mediationem in processionibus divinis servare. Dum autem hujus mediationis veram rationem tollere conatur, in merum proprii ingenii incidit commentum, cui sapienter explicando impar semper exstitit. Hoc unum ex omnibus, quae pro manifestatione aeterna adstruenda conscripsit, colligitur, scilicet Filium in processione aeter-

(1) ʽΟμολογία, P. G., t. CXLII, col. 250-251: « ʼΕπειδὴ ἐκ Πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ ὑφιστάμενον ἐξ οὖ δὴ καὶ ὁ Υἱὸς γεννᾶται, δι'αὐτοῦ δὴ τοῦ Υἱοῦ προέρχετα καὶ εκλάμπει, τέλειον πλὴν ἔχον τὸ εἶναι παρ'αὐτοῦ τοῦ Πατρός, καθ'ὃν δὴ τρόπον καὶ τὸ φῶς εἴρηται διὰ τῆς ἀκτῖνος ἐκ τοῦ ἡλίου. » Paulo superius, col. 250 C, dixerat: Dictio « ἐκ Πατρὸς δι'Υἱοῦ ἐκπορεύεται » σημαίνει αὐτὴν τοῦ Πνεύματος τὴν διὰ τοῦ Υἱοῦ ἀΐδιον ἔκφανσιν, συντρέχουσαν καὶ συνεπινοουμένην τῇ ἐκ Πατρος αὐτοῦ εἰς τὸ εἶναι προόδῳ. » Processio ergo et aeterna manifestatio se invicem includunt, una in altera latet, sub altera subintelligitur, parallelae sunt.

na Spiritus Sancti ex Patre aliquo modo inexplicabili partem suam habere, quamvis Spiritus a Patre solo existentiam teneat (1).

ART. IV. — DE PRAECIPUIS POLEMISTIS GRAECO-RUSSIS A SAECULO XVI USQUE AD COLLATIONES BONNENSES (1874-1875).

Praenotamina

Per totam periodum modernam usque ad saeculum XIX circa finem vergens, id est usque ad illas Collationes, quae Bonnae in Germania inter Anglicanos, Veteres Catholicos et Graeco-Russos annis 1874 et 1875 de processione Spiritus Sancti habitae sunt, polemicae contentiones Graecorum, et (inde a saeculo XVIII) etiam Russorum contra doctrinam catholicam haud cessarunt. Vix tamen in eorum scriptis aliquid novi invenies quod apud theologos byzantinos periodi praecedentis non occurrat. Plerique polemistae rigido photianismo adhaerent eaque repetunt sophismata violentasque atque arbitrarias locorum Scripturae et Patrum interpretationes, quas apud Photium, Nilum Cabasilam et Marcum Ephesium praesertim leguntur, nec ullum tentamen vere scienti-

(1) De vita, scriptis et doctrina Georgii Cyprii erudite disserit F. B. M. de Rubeis in opere: *Dissertationes duae historicae et dogmaticae cum epistola ejusdem Cyprii ad amicum, et Moschamberis exchartophylacis ad ipsum, queis byzantina Georgii Pachymeris historia illustratur,* Venetii, 1753; quas invenies in t. CXLII P. G., col. 17-234. Paulo confuse tamen ac prolixius de ipsa Gregorii doctrina loquitur; nec ei in hoc assentimur quod, post Lequien, Cyprium habet ut Palamae praecursorem. Nihil enim profert ille quod palamismum proprie dictum sentiat, et utrumque systema ex diverso oritur principio. Theoria tamen de manifestatione aeterna monachis hesychastis arridere debuit, quod in hac de lumine divino sub aliquo respectu sermo erat, quidquid autem ad lumen spectabat, illos delectabat. De facto videmus monachum Marcum et ipsum Meletium Galesiotam novae theoriae suffragantes.

ficum antiquorum Patrum mentem explorandi et objective exponendi deprehenditur. Apud Russos Kiovienses, Lutheranus quidam ad orthodoxiam orientalem conversus, scilicet Adamus Zernikavius, circa finem saeculi xvii opus mole ingens, farraginosa eruditione notabilem, auctoritate vero minimum conscripsit (1); ex quo tanquam ex quodam armamentario ab eo tempore Russi omnes et quidam etiam Graeci argumenta contra Latinos haurire consueverunt. Unde de hoc opere, quo usi sunt theologi Kiovienses ac potissimum Theophanes Procopovitch, antequam prelo mandaretur, quaedam speciatim dicenda erunt. De aliis opusculis, dissertationibus fere innumeris vel theologiae dogmaticae compendiis vix aliquid excerpere habebimus, cum trita tantum nobis referant.

I. — De quibusdam theologis graecis hujus periodi.

Inter theologos graecos hujus periodi tres aliquam mentionem merentur scilicet Maximus Margunius († 1602), Cyrillus Lucaris (†1638) et Eugenius Bulgaris († 1806).

Maximus Margunius hoc peculiare habet quod de processione Spiritus Sancti tractavit non polemico sed irenico animo, aliquam conciliationis viam quaerens inter Graecos et Latinos. Jam supra notavimus ejus opionem omni fundamento historico carentem de origine vocis *Filioque* ad symbolum (2). Ejus conciliationis tentamen item parum felix

---

(1) *De processione Spiritus Sancti ex solo Patre dissertationes theologicae decem et novem*, ed. Samuel Mislavskii, Regiomonti (= Königsberg) 1774-1776. Versionem graecam hujus operis duobus voluminibus constantem paravit et edidit Eugenius Bulgaris, Petropoli, 1797: Ἀδὰμ Ζοιρνικαβίου Βορούσσου περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς πραγματεῖαι θεολογικαὶ ἐννέα καὶ δέκα.

(2) Vide supra, p. 240, n. 1.

apparet. Nihil enim aliud revera est quam iteratio secundae explicationis illius « διὰ τοῦ Υἱοῦ » a quibusdam Photianis periodi praecedentis adinventae et supra memoratae (1); cui adjungit Margunius aliquam theoriam omnino vicinam illi, quam Nicephorus Blemmides et Gemistus Pletho excogitarunt circa potestatem mittendi Spiritum Sanctum, quam Filius ab aeterno a Patre acceptam habet ut quid ad proprietatem suam hypostaticam pertinens. Dum enim Nicephorus et Gemistus hanc potestatem in Filio considerant, Margunius illam sumit in Spirito Sancto. Secundum ipsum, missio seu processio qua Spiritus *tanquam donum a Patre et Filio creaturae dandum prodit seu procedit, est vera proprietas hypostatica Spiritus Sancti,* qua ad Patrem et Filium simul refertur, ab utroque distinguitur et ejus cum Patre et Filio consubstantialitas manifestatur. Spiritus enim duplici ratione a Patre distinguitur: 1° propter processionem hypostaticam, qua a Patre solo ab aeterno suum esse, suam existentiam accipit; 2° propter alteram processionem, qua a Patre et Filio tanquam donum amborum creaturae largiendum procedit: quae in suo fundamento pariter aeterna est. A Filio item Spiritus Sanctus dupliciter distinguitur: 1° quatenus a Patre diverso modo, id est ἐκπορευτῶς, emanat, dum Filius per generationem ab eo prodit; 2° quatenus a Filio prodit seu procedit ut ab eo et a Patre simul mittendus et tanquam donum creaturae communicandus. Haec Spiritus Sancti a Filio processio a Patribus per verbum « πεφηνέναι » quandoque significatur. Hujusmodi apparitio seu manifestatio Spiritus per Filium non solum in tempore fit, sed *aeterna* etiam dicenda

(1) De hac Margunii theoria vide ea quae scripsimus in *Theologia Orientalium,* t. II, p. 421-426.

est, per quam et Spiritus, ut dictum est, a Filio distinguitur (1).

Ad processionem missivam seu donativam refert Margunius pleraque Patrum latinorum dicta, praesertim vero sancti Augustini textus. Juxta ipsum, sanctus doctor inter utramque processionem perspicue distinguit, ubi docet Spiritum Sanctum a Patre procedere *principaliter*, ἀρχοειδῶς. Haec processio *principalis*, quae soli Patri congruit, processioni hypostaticae seu *ad existentiam* (= τῇ ἐκπορεύσει, προέσει καθ' ὕπαρξιν) respondet (2). De theoria augustiniana circa Spiritum Sanctum ut Patris et Filii mutuum amorem longe disserit, ostendere volens hanc appellationem non necessario includere processionem Spiritus ab utroque quoad existentiam sed ad hoc ab Augustino usurpatam fuisse, ut ea significaretur tum Filii cum Patre, tum Spiritus Sancti cum utroque consubstantialitas.

Hoc pacto hisque distinctionibus putat Margunius unioni Ecclesiarum facilem viam aperiri. Si illi credas, schismatis culpa refundenda est in theologos posteriores qui unam et alteram Spiritus processionem confuderunt nec veram Patrum utriusque Ecclesiae doctrinam rite intellexerunt. Aliquid novi invenisse sibi conscius est quod « et sapientissimum Scholarium et sanctissimum Ephesi Marcum latuit (3) »; et hoc quidem illi concedendum. Aliquid tamen simile saltem ex parte jam dixerant tum Nicephorus Blemmides tum Gemistus Pletho (4). Caeterum tentamen hujusmodi conci-

---

(1) Cf. A. Demetracopulum, Προσθῆκαι καὶ διορθώσεις εἰς τὴν νεοελληνικὴν φιλολογίαν Κ. Σαθᾶ, Lipsiae, 1871, p. 26.

(2) *Ibid.*, p. 23.

(3) *Ibid.*, p. 25-26.

(4) Cf. supra, p. 321, n. 1.

liationis a Catholicis probari nequaquam poterat; aperte enim pugnat cum vera mente Patrum, qui hanc districtam distinctionem inter duas Spiritus Sancti processiones prorsus ignorant. Nec puris Photianis arrisit, quamvis illis magis quam Catholicis faveat. Ab eorum enim mente prorsus alienum est processionem temporalem Spiritus Sancti seu missionem habere ut proprietatem hypostaticam Spiritus, quae proinde aeterna sit et tum personarum distinctioni, tum earum ordini immanenti fundamentum praebere possit (1).

Cum in primo articulo suae *Confessionis fidei* Cyrillus Lucaris simpliciter professus esset *Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere* ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ προερχόμενον, ut haereticus et *latinophron* a theologis graecis habitus est; quod sat mirum est, cum Cyrillus eadem formula, qua Tarasius in septima synodo oecumenica, usus fuerit (2).

In sua *Disquisitione de Nicephoro Blemmida,* quam tomo III operum Josephi Bryennii a se editorum inseruit, Eugenius Bulgaris concedit formulam Patrum *A Patre per Filium* ad processionem aeternam Spiritus Sancti revera referri, et praepositionem *per* seu « διά » non sane significare Filium esse causam existentiae Spiritus Sancti, bene vero indicare mediationem naturalem Filii in processione aeterna ejusdem Spiritus, ita ut verum sit dicere eum non procedere

(1) Notandum est Margunium a Gabriele Severo haeresis bis insimulatum fuisse; a quo crimine tamen absolutus fuit a synodo constantinopolitana anni 1593, apologia ad synodum missa, in qua tacet ea quae a communi Photianorum sententia recedunt.

(2) Cf. Meletium Syrigum, Κατὰ τῶν καλβινικῶν κεφαλαίων, Bucarestii, 1690, p. 3 b: « Adhuc quod dicat Spiritum Sanctum *procedere ex Patre per Filium,* seu habere existentiam ex Patre per Filium; quod non est dogma proprium confessionis orientalis, quandoquidem ob hoc ab Ecclesia occidentali separati sumus, quia docebat Spiritum Sanctum ex duabus hypostasibus Patris et Filii procedere secundum aeternam processionem ».

immediate a Patre, exclusa mediatione Filii, sed procedere a Patre per Filium (1). Fatetur etiam Patrem non qua Patrem emittere (προβάλλειν) Spiritum Sanctum (2). Quidquid ipse Bulgaris in contrarium dicat (3), hi loquendi modi ab usu theologorum photianorum prorsus alieni sunt, et non solum ab usu, sed etiam ab eorum mente discrepant, quatenus cum diagrammate photiano Trinitatis revera componi non possunt. Cum enim haec Filii in processione Spiritus mediatio ab aeterno sit, etsi ut mera ac nuda mediatio cogitetur (ψιλὴ μεσιτεία), jam personarum divinarum ordo naturalis est, necessarius et immanens. Angulum photianum relinquimus, et lineam rectam Patrum graecorum rursus invenimus, quamvis horum Patrum vera doctrina non retineatur et hujusmodi nuda mediatio omni principii ratione vacua vix intelligi possit.

II. — De Adamo Zernikavio.

Adami Zernikavii *Dissertationes theologicae* XIX *de processione Spiritus Sancti ex solo Patre*, quas supra memora-

---

(1) Ἀνάκρισις περὶ Νικηφόρου τοῦ Βλεμμίδου, in tomo III *Operum J. Briennii*, Lipsiae, 1784, p. 398: « Καὶ ὅτι ὁ μὲν Υἱὸς ἀμέσως παρὰ τοῦ Πατρὸς γεννᾶται τὸ δὲ Πνεῦμα παρὰ τοῦ αὐτοῦ Πατρὸς, μεσιτεύοντος τοῦ Υἱοῦ, ἐκπορεύεται, καθότι γε οὐδ' ἂν ὁ Πατήρ ᾗ Πατὴρ νονθείη, μὴ τοῦ Υἱοῦ συνεπινοουμένου αὐτῷ, δι' οὗ καὶ Πατὴρ εἶναι γνωρίζεται..., ὁμολογεῖται. » Cf. p. 337-338.

(2) Ibid., p. 398: Καὶ « Πατὴρ ὢν, οὐχ ᾗ Πατὴρ ὅμως προβάλλειν τὸ ἅγιον Πνεῦμα πιστεύεται. »

(3) Ibid., p. 337: « Πάντες οἱ εὐσεβεῖν αἱρούμενοι τὴν τοῦ Υἱοῦ ἐπιγιγνώσκουσι, μεσιτείαν ἐπὶ τῆς προόδου τοῦ Πνεύματος παρὰ τοῦ Πατρός. » Atqui hanc mediationem negant Photiani fere omnes. Unde Andrutsus, Δογματική, p. 84-85 in nota, sententiae Bulgaris censuram agit nec illi suffragatur. Zikos Rhosis, e contra, qui diagrammati photiano valedixit, dicta Bulgaris omnino probat, Σύστημα δογματικῆς, p. 281-283, in nota.

vimus, omni momento scientifico vacant (1). Nihil enim aliud sunt nisi congeries eorum omnium, quae rigidi Photiani per decursum temporum contra dogma catholicum adinvenerunt; quibus Zernikavius e suo penu quaedam addidit circa praetensas interpolationes, quas in operibus Patrum cum graecorum, tum latinorum Latini perpetrarint. Revera pleraeque hujusmodi interpolationes vel commenticiae sunt, vel nullius momenti et bona fide in textuum graecorum versione factae; vel etiam quoad quosdam locos, non ex parte Latinorum, sed ex parte Graecorum fraus se tenet et historice probari potest, v. g., quantum ad locum sanctii Basilii in principio *libri III contra Eunomium* positum, vel quantum ad vocem *Filioque* in symbolo Athanasiano dicto.

Ut de historica auctoritate Zernikavianae molis judicare possis, scias illum:

1° Docere omnes Patres, cum latinos tum graecos, decem priorum saeculorum, non exceptis Epiphanio, Cyrillo Alexandrino et Augustino ipso, tenuisse dogma photianum de processione Spiritus Sancti a Patre solo (2);

2° Habere axiomata photiana de Trinitate, prout illa supra exposuimus, ut principia inconcussa, quibus innituntur pleraque ejus argumenta (3);

---

(1) In quinque primis dissertationibus, Patrum doctrina examini subjicitur. Auctor Latinos accusat quod haud paucos locos deprevaverint vel interpolarint. In tractatu sexto, axiomata photiana suo modo exponit. Tractatus septimus est de additione ad symbolum. In tractatibus VIII-XIV, photiana via ac ratione exploduntur Latinorum argumenta ex sacra Scriptura petita. Tractatus XV et XVI huc spectant ut auctoritates patristicae a Latinis laudatae enerventur ac convellantur. Demum in tribus ultimis dissertationibus, Zernikavius in concilia oecumenica Lateranense IV, Lugdunense II et Florentinum invehitur.

(2) *Tractatus I*, in versione graeca Eugenii Bulgaris, Petropoli, 1797, t. I, p. 2-207.

(3) *Tractatus VI*, t. I, p. 475-503. Sua epicheremata Zernikavius paulo aliter quam Photius quandoque proponit,, quamvis doctrina sit eadem. Ita

3° Tribuere Ecclesiae Patribus doctrinam palamiticam de missione Spiritus Sancti, juxta quam non persona ipsa Spiritus, sed ejus dona tantum fidelibus communicantur (1);

4° Formulam *A Patre per Filium procedit* in hunc sensum explanare: *Filio genito, Spiritum produci,* id est: *non ante Filium,* vel: *post Filium;* vel: *cum, una cum Verbo procedit* (2);

5° Detorquere omnem locum Patrum doctrinae catholicae aperte suffragantem, ut v. g., dictum Athanasii appellantis Filium fontem Spiritus Sancti, vel ad processionem quam vocant temporalem, vel ad meram consubstantialitatem personarum significandam » (3).

Ut jam diximus, momentum operis Zernikavii non est in intrinseco ejus pretio, sed in singulari influxu, quem in posteros theologos dissidentes ad nostra usque tempora habuit, quibus fontis loco vere exstitit (4).

---

secundum epicherema, p. 485, sic enuntiatur: *Omnia quae in Deo producuntur ad intra uni soli personae conveniunt, et non pluribus.*

(1) *Tractatus VIII, De missione,* t. II p. 1-70: « Οἱ πατέρες κοινῇ διδάσκουσιν, ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐ πέμπεται κατὰ τὴν οὐσίαν, ἀλλὰ κατὰ τὰς ὁρατὰς μορφὰς δι' ὧν ἐπεφάνη... καὶ κατὰ τὰς διὰ τῆς χάριτος ἐνεργείας, » p. 49-51.

(2) *Tractatus* XV, t. II, p. 243-442: « Ἦ που δέ τοι ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ προβάλλεσθαι οὐ κατ' ἄλλην ἔννοιαν οἱ πατέρες διδάσκουσιν ἢ καθ' ὅτι, τοῦ Υἱοῦ γεννηθέντος, τὸ Πνεῦμα προβάλλεται .. τὸν Πατέρα ἐκ τῆς ἰδίας οὐσίας πρῶτον μὲν προαγαγεῖν τὸν Υἱόν· μετὰ δὲ τὸν Υἱόν, καὶ τὸ Πνεῦμα, μὴ πρὸ τοῦ Υἱοῦ δὲ προβληθῆναι τὸ Πνεῦμα ὡς πρὸ Πνεύματος τὸν Υἱόν. » P. 245, 248, 250.

(3) *Tractatus* XV, t. II, p. 304-435.

(4) Inter theologos recentiores qui pleraque sua argumenta ex Zernikavii armamentario hauserunt, notandus est Macarius Bulgakov in sua *Theologia dogmatica orthodoxa,* ed 4, t. I, Petropoli, 1883, p. 268-349; quem confutavit Franzelin, *Examen doctrinae Macarii Bulgakov de processione Spiritus Sancti,* Romae, 1876.

III. — De Theophane Procopovitch.

Inter primores Zernikavii discipulos numerandus est Theophanes Procopovitch, cujus *Tractatus de processione Spiritus Sancti* veluti compendium operis Zernikavii habendus est, additis tamen quibusdam influxum theologiae lutheranae arguentibus. Theophanes enim, ut notum est, Lutheranorum discipulus exstitit. Unde haud uno sui tractatus loco auctoritatem Patrum nimis deprimit, a sola Scriptura quaestionis solutionem quaerens; quod a Zernikavii methodo alienum est. Audi illum de Patrum testimonio disserentem:

« Illud quod est proprie *theologicum* scire non possumus aliunde quam ex verbo Dei... Quare nunquam satis mirare possum incredibilem plerorumque levitatem, qui unum alicujus Patris dictum, quod nostrae vel Latinorum sententiae favere videtur, vel proferre in adversarium, vel ab adversario prolatum audire satis sibi ducunt, et nisi ad hoc occurrat responsio, rem esse confectam putant. At ad tam arduae quaestionis resolutionem, *si ex omnibus omnium aetatum doctoribus verba clarissima et sibi consona proferrentur, et nihil tamen proferretur ex Scriptura, profecto nullum momentum esset.* Quaererem enim: *Unde rem adeo arcanam homines illi sciverint?* Si dixisses illis a Deo singulis revelatum esse (quod quidem dici non potest), tum Patrum scripta nihilo sacris Scripturis inferiora esse, immo ipsam esse Scripturam sacram statuendum foret. Cum autem tanta levitas in unoquoque privato homine plane mirabilis sit, quis eam satis demirabitur in toto concilio Florentino, tanto scilicet hominum illustrium, tantum doctorum (si Deo placet) conventu? Joannes ibi rabula rem aggreditur a quodam dicto Epiphanii, tum variis tricis sese et aures concilii excarnificans, illabitur in Basilium, non sponte sed vento delatus. Locus Basilii mirum in

modum vexatur, multas Joannes offucias exspuit, multa garrit, quae ad rem non faciunt, nec vel grammaticum sensum habent. Frustra ad Scripturam contendit Ephesius et ad alios ex ordine Patres: non dimittit Basilium Joannes, et in hoc jurgio totum annum sedetur! » (1).

Rem ex sola Scriptura dirimere volens, in verbis Christi: *Qui a Patre procedit* potissimum insistit. Videt tamen, ut supra notavimus (2), fundamentum huiusmodi non esse omni ex parte inconcussum. Caeterum, quamvis Patrum auctoritatem parvi pendat, in eorum locis interpretandis Zernikavii vestigia proxime premit doctoresque omnes, cum occidentales tum orientales, Epihanio, Cyrillo Alexandrino et Augustino non exceptis, ad Photii sententiam sua exegesi trahit (3).

Ad formulam autem *A Patre per Filium* quod attinet, ea potissimum interpretatio illi arridet, quam polemistae byzantini fere omnes, praeter Scholarium, repellebant, nempe quae « διά » in « μετά » cum accusativo mutat, ita ut sensus sit: « *A Patre post Filium procedit* ».

« Nullum est amplius dubium, inquit, τὸ διὰ τοῦ Υἱοῦ, *per Filium*, idem Patribus esse ac μετὰ τὸν Υἱὸν, *post Filium*. Lexicon illud praeclarum graeco-latinum ex officina Hieronymi Curionis inter multos praepositionis διὰ usus ostendit etiam

(1) *Tractatus de processione Spiritus Sancti*, ed. Damasceni Semenov Rudnev, Gothae, 1772, c. II, p. 22-24. Nota Procopovitch injurias et convicia in adversarios, ut haeretici solent, in ore semper habere. Ita, in hoc tractatu, concilium Florentinum audit *synodus asinorum* (p. 219), Rutka est *leviculus et delirus senex, omnium maxime ineptire sciens* (p. 350), Nicolai Cikhovsky theologia est *asinina* (p. 351), ejusdem *vana est vitulabunda petulantia* (p. 367), Joannes de Monte Nigro est *rabula, vecors, protervus, saevissima phrenesi laborans* (p. 373-374), alii Latini sunt *impudentes rabulae, quorum audacia nullos habet vagandi limites, nullis repagulis cohibetur* (p. 405), etc.

(2) Supra, p. 77, n. 1.

(3) Cf. c. IV, p. 119, 125, 130.

eam usurpari pro *post* pluribus exemplis, et inter alia adducit *Marc.*, II, 1, ubi *post dies aliquot* graece sonat: « δι' ἡμερῶν » (1).

Si quis vero locus patristicus occurrat, qui cum doctrina catholica manifesto congruat, Procopovitch, caeterorum polemistarum photianorum instar, de missione temporali eum statim interpretatur (2).

Praeter argumenta positiva, provocat etiam Procopovitch ad quaedam principia theologica numero novem, quae ex Zernikavio transcripsit, axiomatibusque photianis quoad sensum fere respondent. Primum sic sonat:

« In sancta Trinitate duplicia sunt praedicata tantum, substantialia et personalia. Illa sunt omnibus tribus personis communia, haec singulis propria... Vel ita: Quidquid non dicitur de omnibus tribus personis, non potest dici nisi de una » (3).

ART. V. — DE CONTROVERSIA INTER THEOLOGOS RUSSOS ET VETERES CATHOLICOS A COLLATIONIBUS BONNENSIBUS AD ANNUM 1907.

Praenotamina.

Collationes theologicae inter Veteres Catholicos, Anglicanos et Graeco-Russos, Bonnae, annis 1874 (14-16 sept.) et 1875 ((10-16 aug.), habitae eo spectabant ut unionem in fide communi inter illos tres dissidentium coetus perficerent. In utraque Collatione disputationum obiectum unicum

(1) Op. cit., c. XVII, p. 347-348; Probat etiam Procopovitch mutationem praepositionis « διά » in « σύν » vel « ἅμα ».

(2) Cf., v. g., quae de formula « δι' ἀμφοῖν » vel « δι' ἀμφοτέρων » apud Cyrillum et Epiphanium occurrente profert, p. 350.

(3) Op. cit., c. v., p. 153, 155.

fuit quaestio de processione Spiritus Sancti. Et in prima quidem de legitimitate additionis vocis *Filioque* ad symbolum nicaeno-constantinopolitanum sermonem fecerunt. Post multas disceptationes et tres varias formulas vicissim confectas, de hoc tandem inter se convenerunt:

« Confitemur modum, quo additio *Filioque* in Nicaenae fidei symbolum introducta est, secundum legem non fuisse, et optandum esse, ut pro bono pacis et concordiae universa Ecclesia ex animo videat utrum restitui forsitan possit symboli fidei forma primitiva absque detrimento verae doctrinae, *qualiscumque sit,* in praesenti forma occidentali expressae » (1).

In Collatione autem anni 1875, quaestionem dogmaticam proprie dictam aggressi sunt, et postquam varii oratores per longas sessiones sententias inter se pugnantes protulerunt, nihil aliud pro concordiae tessera invenerunt nisi sex propositiones ex operibus sancti Joannis Damasceni, nulla adiecta explicatione, ad verbum exscriptas, scilicet:

1. Spiritus Sanctus procedit ex Patre tanquam principio, causa et fonte divinitatis.

2. Spiritus Sanctus non procedit (οὐκ ἐκπορεύεται) *ex Filio,* quia in divinitate unum tantum est principium et causa, ex qua procedit omne quod est in divinitate.

---

(1) De Collationibus Bonnensibus variae relationes editae sunt: Reusch, *Bericht über die Unions-Conferenzen,* Bonnae, 1874 et 1875; Zikos Rhosis, Ἔκθεσις πρὸς τὴν ἱερὰν σύνοδον, Athenis, 1874 et 1876; N. M. Damalas, Ἔκθεσις πρὸς τὴν ἱεράν σὺνοδον περὶ τῶν ἐν Βόννῃ πεπραγμένων καὶ κρίσις περὶ αὐτῶν (agitur de Collatione anni 1875), Athenis, 1876. Publicae relationes de sessionibus utriusque Collationis russice prodierunt in *Sbornik protokolov obchtchestva liubitelei dukhovnago prosviechtcheniia* (*Collectio auctorum Societatis amatorum culturae ecclesiasticae*), t. III et IV, Petropoli, 1875 et 1876. Cf. Zikum Rhosim, Σύστημα Δογματικῆς, p. 279-280.

3. Spiritus Sanctus procedit ex Patre per Filium.

4. Spiritus Sanctus est imago Filii, qui est imago Patris.

5. Spiritus Sanctus est quid substantiale procedens et productum, ex Patre quidem emanans, Filii vero et *non ex Filio*, tanquam spiritus oris Dei, Verbi declarativus.

6. Spiritus Sanctus est medius inter Patrem et Filium, et Patri per Filium coniungitur.

Cum autem huiusmodi propositiones, praesertim quartam, aliter intelligerent Anglicani et Veteres Catholici, aliter Graeco-Russi, unio somniata mox evanuit. Hunc autem felicem exitum habuerunt Collationes Bonnenses, quod Graeco-Russis ansam praebuerunt doctrinam Patrum de processione Spiritus Sancti iterum atque accuratius quam prius investigandi; item, quod Ecclesia russica, post sat longam colloquiorum cum Veteribus Catholicis intermissionem (inde ab anno 1877), anno 1892 cum iisdem in eumdem scopum rursus commercium inivit. Inde copiosa litteratura polemica de controversa quaestione, ut olim apud Byzantinos tentaminum unionis tempore, prodivit. Et Graeci quidem in hac nova concertatione exiguam partem habuerunt parumque vel nihil profecerunt, antiquorum polemistarum vestigia semper prementes et ab eorum veri nominis scientiae opposita via declinare nolentes. Quidam autem Russi inter clariores non ita, sed liberius atque secundum scientiae historicae regulas quaestionem per tot saecula agitatam examinare inceperunt, Veteribusque Catholicis urgentibus, veram Ecclesiam suae dogmaticam positionem circa hanc quaestionem necnon circa alia capita controversa detexerunt. Nec in unam sane eamdemque sententiam ipsi convenerunt, sed omnes fere explicationes, quas apud Byzantinos invenimus, rursus innovarunt, tacentibus vel

etiam aperte suffragantibus auctoritatibus ecclesiasticis. Unde Ecclesia graeco-russica qualicumque quaestioni solvendae vel liti finiendae omnino impar visa est (1).

I. — De doctrina theologorum russorum post Collationes Bonnenses usque ad editionem thesium B. Bolotovi (1898).

Post Collationes Bonnenses, theologi russi quaestionem de processione Spiritus Sancti ad traditionis antiquae lumen diligentius investigare inceperunt. Plerique rigido photianismo addicti remanserunt usque ad editionem thesium Basilii Bolotovi (a. 1898); inter quos nominandus est SYLVESTER MALEVANSKI († 1908). Fatetur quidem ille quosdam Occidentales, inde a saeculo V, Augustino duce, doctrinae catholicae favisse. Subdit vero Augustinum hanc doctrinam proposuisse non ut fidei dogma, sed ut meram opinionem, alios vero Latinos ita fuisse locutos, ut eorum dicta ad missionem temporalem Spiritus Sancti a Filio referri possint. De formula vero *A Patre per Filium*, prout apud Damascenum et Tarasium occurrit, haec habet:

« Damascenus, quamvis de Spiritu Sancto dixerit quod a Patre per Filium procedit, huic tamen formulae nullam aliam significationem praefixit quam istam, nempe *quod Spiritus Sanctus, quando ex Patre ab aeterno procedit, suam existentiam ab eo mutuans, eodem momento pariter per Filium temporaliter procedit*, quatenus scilicet in mundum descendit ad creaturas [sanctificandas]. Existimare licet sanctum Tarasium, patriarcham Constantinopolis, simili formu-

(1) Haec praenotamina ex tomo II *Theologiae Orientalium*, p. 449-450, excerpimus.

lae de Spiritus Sancto eumdem sensum tribuisse, dum in sua *Epistola ad patriarchas orientales* articulum symboli de Spiritu Sancto ita exposuit: *Credo et in Spiritum Sanctum Dominum vivificantem, ex Patre per Filium procedentem,* ἐκ τοῦ Πατρὸς δι' Υἱοῦ ἐκπορευόμενον. Septima synodus oecumenica, in qua haec epistola examinata est, contra tarasianam formulam de Spiritu Sancto nihil protulit » (1).

Vides Sylvestrum communiori inter Photianos byzantinae periodi illius διὰ τοῦ Υἱοῦ interpretationi adhaerere; quem secuti sunt plerique recentiores compendiorum classicorum theologiae dogmaticae auctores. Ab illo discrepat S. V. Kokhomskii, qui negat quidem Filium esse principium Spiritus Sancti, concedit tamen generationem Filii in se includere *quasi quamdam conditionem sui generis ad processionem absolutam Spiritus Sancti et animo concipitur ante hanc processionem* (2). Alii verbis, theologus russus fatetur Patres graecos docuisse ordinem personarum divinarum, prout in Evangelio refertur, esse intimum et immanentem contra sententiam oppositam Photianorum rigidorum, qui volunt hunc ordinem respicere tantum manifestationem historicam uniuscuiusque personae.

Alius Russus, N. M. Bogorodskii nuncupatus, S. Ioanni Damasceno tribuit interpretationem formulae « διὰ τοῦ Υἱοῦ » a Georgio Moschabaro primum excogitatam: Spiritus *per Filium* procedit, id est: *eodem tempore* ac Filius, *una, simul*

(1) *Tentamen orthodoxae dogmaticae theologiae* (russice), t. II, ed. 3, Kioviae, 1892, p. 544. Cf. ejus articulum in commentario *Trudy Academiae ecclesiasticae Kioviensis,* t. III, 1874, p. 182-302, inscriptum: *Responsio Orthodoxi ad schema de Spiritu Sancto a Veteribus Catholicis propositum.*

(2) *Doctrina Ecclesiae antiquae de processione Spiritus Sancti,* (russice), *Petropoli,* 1875, p. 26.

cum Filio procedit (1), dum A. NEKRASOV putat eumdem Damascenum docuisse theoriam transitus mere instrumentalis Spiritus Sancti per Filium a Theodoro Muzalone propugnatam (2).

II. — Doctrina Basilii Bolotovi.

Cum hae variae de sensu dictionis *per Filium* opiniones, ex polemistis byzantinis Medii Aevi repetitae, inter Russos circumferrentur, anno 1898, in commentario: *Revue internationale de théologie,* theses numero viginti septem de processione Spiritus Sancti cuiusdam theologi russi, cuius nomen tacebatur, germanice editae sunt sub hoc titulo: *Thesen über das « Filioque ». Von einem russischen Theologen* (3). Auctor autem erat BASILIUS V. BOLOTOV, in Universitate Petropolis historiae ecclesiasticae professor celeberrimus, qui adhuc inter vivos degebat et nonnisi post mortem suam († 1900) ut harum thesium parens omnibus innotuit.

Antequam suas *Theses* ederet, Bolotov tria alia opuscula anno 1893 conscripserat, in quibus novam interpretationem doctrinae Patrum cum graecorum tum latinorum proponebat

(1) *Doctrina S. Joannis Damasceni de processione Spiritus Sancti comparata cum thesibus Collationis Bonnensis anni* 1875 (russicae), Petropoli, 1879, p. 31, 57, 165-171.

(2) *Doctrina S. Joannis Damasceni de relatione personali Spiritus Sancti ad Filium Dei,* in commentario *Pravoslavnoi Sobiesiednik,* 1883, t. I, p. 217-234, 307-328; iterum dissertatio edita est Kazanii, 1888, ut supplementum IV ad opus inscriptum: *Lectio graeci textus sanctorum Evangeliorum,* p. 163-200.

(3) *Revue internationale de théologie,* 1898, p. 681-712. Thesium versio germanica ex russico ab A. Kireev facta est. Bolotov tamen ipse quaedam in linguam germanicam transtulit. Unicuique thesi quaedam criticae animadversiones subnectuntur ad earum verum sensum exponendum. In hac editione germanica, theses sunt tantum numero 27; 32 vero habentur in *Epistola Bolotovi ad ar-*

et sententiam in thesibus expressam aperte iam propugnabat. Haec sententia his paucis contrahi potest:

1° Ecclesia russica orthodoxa hanc veritatem tantum tanquam dogma de fide credendum habet, scilicet quod Spiritus Sanctus ex Patre procedit et est Patri et Filio consubstantialis (Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται καὶ ὁμοούσιόν ἐστι τῷ Πατρὶ καὶ τῷ Υἱῷ) (1).

2° Conceptus mysterii sanctissimae Trinitatis, ex quo Spiritus dicitur *ex Patre per Filium procedere, prodire splendere* (διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται, πρόεισι sive ἐκλάμπει) non est quidem dogma proprie dictum, sed *theologumenon* maximae auctoritatis, *theologumenon oecumenicae auctoritatis* tum ob illius frequentem usurpationem in scriptis Patrum, ac praesertim Ioannis Damasceni, tum quod legitur in *synodica epistola sancti Tarasii,* cuius orthodoxia a synodo oecumenica septima probata est. Nec illa dictio « per Filium » ad missionem temporalem Spiritus Sancti in mundum semper referri potest, quin aliquibus Patrum dictis vis inferatur; sed hoc saltem concedendum est: quod huiusmodi dictio « indicat aliquod momentum arcanum actionis aeternae, vitae aeternae, relationum aeternarum Spiritus Sancti ad Patrem et Filium, momentum quod nuncupatur etiam *mansio aeterna, requies aeterna* Spiritus Sancti in Filio ». Hoc autem momentum non est tantum figurata expressio consubstantialitatis Spiritus Sancti cum Patre et Filio, sed significat etiam hanc veritatem hu-

chiepiscopum Antonium (9-10 febr. 1893). Hae quinque, quae additae sunt, spectant ad additionem vocis *Filioque* ad symbolum necnon ad doctrinam de processione Spiritus Sancti apud Veteres Catholicos. Theses cum aliis Bolotovi opusculis de processione Spiritus ab A. Brilliantov, in opere inscripto: *K voprossu o Filioque* (*De quaestione circa Filioque*), Petropoli, 1914, editae sunt, praemissis praefatione et introductione ipsius auctoris (russice).

(1) *Thesis I, ed. Brilliantov, op. cit.,* p. 62.

manae quidem rationi imperviam, sed in Evangelio revelatam, scilicet quod Spiritus Sanctus est tertia persona, Filius vero secunda Trinitatis persona (1).

3° Ordo enim personarum divinarum, prout in Evangelio traditur, non est tantum *extrinsecus* et manifestationis historicae singularum personarum indicativus, sed est vere *intimus, immanens, aeternus; siquidem ordo manifestationis historicae respondet ordini aeterno processionum illumque imitatur ac repraesentat, secundum Patrum doctrinam* (2). Contrarium asserere est sancto Gregorio Nazianzeno ac praesertim sancto Basilio (*Epist. LII, P. G.*, t. XXXII, col. 396) contradicere. Filius ergo *logice*, et non chronologice tantum, Spiritum Sanctum praecedit.

4° Hoc ergo saltem significat formula *A Patre per Filium procedit*, quod Filius ante Spiritum Sanctum ab aeterno *logice* venit seu generatur. Filius quidem non est neque principium (αἰτία), neque *coprincipium* (συναίτιος) existentiae Spiritus Sancti; est tamen *conditio necessaria, conditio sine qua non* huius existentiae, ita ut Spiritus Sanctus non procedat a Patre nisi praeintellecto Filio generato; seu dici potest *Spiritum procedere a Patre iam possidente Filium* (ὑπάρχοντος, ὑφεστῶτος τοῦ Υἱοῦ, ἐκ Πατρὸς ἐκπορεύεται τὸ Πνεῦμα το ἅγιον), sicut halitus procedit per vocem, vel sicut *solaris radius per vitrum apparet, effulget, elucet.* Et in hunc sensum illa aeterna effulgentia seu manifestatio Spiritus Sancti per Filium, ἔκλαμψις, ἔκφανσις αἰώνιος, de qua loquuntur quidam Patres, ac-

(1) *Theses* 6 *et* 8, p. 68-69. — *Praefatio ad theses*, p. 29-60.

(2) *Thesis* 8, *Animadversiones*, p. 69, et *Praefatio*, p. 53-60. De Gregorio Nysseno dicit, p. 58: « Ille haud semel omittit occasionem asserendi Filium esse coprincipium seu cofontem Spiritus Sancti. Tale silentium haud parvum habet momentum, nec omni caret vi probativa ».

cipienda est. Filius quidem nihil *positive* confert ad constituendum Spiritum Sanctum in suo esse hypostatico, sed Spiritus *a Patre per Filium semper procedit.* Haec ultima formula significat processionem Spiritus consideratam in *actu primo* seu *in fieri.* Ubi vero eadem processio consideratur in facto esse, exprimitur hac formula: *A Patre procedit et in Filio quiescit,* καὶ ἐν τῷ Υἱῷ ἀναπαύεται.

Ergo Bolotov a dictione διὰ τοῦ Υἱοῦ excludit omnem significationem causalem proprie dictam; fateri tamen cogitur hanc interpretationem probari non posse testimoniis *positivis* Patrum graecorum, sed tantum *negative,* quatenus illorum quidam dicunt Patrem solum esse principium, μόνος αἴτιος ὁ Πατήρ, et eorum nullus expresse dixit Filium esse causam seu concausam (αἴτιος ἢ συναίτιος) Spiritus Sancti.

5° Spiritus Sanctus procedit a Patre solo, ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, si vox ἐκπορευτῶς stricto sensu sumatur. Sed propositio ista est solummodo *theologumenon, non dogma*; et hoc theologumenon, quod nulla synodus oecumenica sancivit, nullus Patrum expresse protulit (1), hunc auctoritatis gradum non obtinet, quo theologumenon « διὰ τοῦ Υἱοῦ » gaudet. Hanc thesim probat Bolotov tum Patrum silentio, qui nunquam dicunt a Patre solo procedit, vel: solus a solo procedit, tum testimonio librorum symbolicorum Ecclesiae russicae (*Confessionis orthodoxae P. Moghilae, Confessionis Dosithei, Cathechismi Philareti,* immo *Enchiridii theologiae dogmaticae Macarii Bulgakov, Professionis fidei episcopo ordi-*

(1) Si nullus Patrum hoc dixit, ergo juxta ipsius Bolotovi definitiones, positio ista non est *theologumenon* veri nominis, sed *mera opinio theologica.* Juxta ipsum enim *theologumenon* est *opinio theologica edocta ab uno vel a pluribus Patribus Ecclesiae antiquae,* ab illis praesertim qui *doctores oecumenici* audiunt. Atqui nullus ex illis unquam dixit Spiritum Sanctum *ex solo Patre* procedere.

nando recitandae (1). Nec dictio *a Patre solo* ita intelligenda est, ut excludatur sequens propositio, aut alia ei similis: *Spiritus procedit quidem a Patre solo, prodit vero per Filium* ἐκ μόνου μὲν τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, δι' Υἱοῦ δὲ πρόεισιν.

6° Formula: *Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit,* prout a sancto Augustino explicata est et ab Ecclesia occidentali retinetur, est *theologumenon,* quod sane non eundem sensum habet ac dictio graecorum Patrum *a Patre per Filium,* cum Occidentales, post Augustinum, habeant Filium ut cum Patre *spirantem* Spiritum Sanctum, quod nullus Graecorum ad verbum dixit; nec eadem auctoritate insignitur, qua theologumenon Orientalium διὰ τοῦ Υἱοῦ, a septima synodo approbatum. Attamen est *theologumenon veri nominis,* quod multi Occidentales longe ante Photium (saltem inde a sancto Augustino; opinari enim licet theologumenon occidentale, *ante Augustinum,* non fuisse nisi versionem parum accuratam illius « διὰ τοῦ Υἱοῦ », et eumdem sensum praetulisse) tenuerunt ac docuerunt, quin ab Ecclesia orientali damnarentur et ab eius communione segregarentur, quamvis aliqua reclamatio ex parte Orientis tempore Martini papae audita fuerit. Unde mirum non est Occidentales ut depositum sacrum habere sententias suorum Patrum, quos et ipsa Ecclesia orientalis veneratur. Caeterum, quaestio de *Filioque* nec in negotio monachorum hierosoymitanorum, quod saeculo IX ineunte, Leone Papa III sedente, accidit, nec Photii tempore, discidii Ecclesiarum causa fuit. Photius eiusque successores cum Ec-

(1) *Thesis* 7, p. 68-69; *Relatio de quaestione vetero-catholica,* p. 115-117. Hoc loco Bolotov praecipua Patrum graecorum testimonia subjicit, quibus revera probatur hos Patres dogma catholicum docuisse, praesertim testimonia Athanasii, Cyrilli, Epiphanii, Anastasii Antiocheni, qui expresse dicit: Spiritus ex Filio existit, ἐξ αὐτοῦ ὑπάρχει.

(2) *Animadversiones in thesim* 7, p. 69.

clesia occidentali communionem servaverunt, quin ab ea reciperent, immo, ut videtur, quin ab ea exigerent explicitam renuntiationem formulae huiusmodi. Unde haec quaestio nec causa exstitit separationis Ecclesiarum, nec haberi potest tanquam *impedimentum dirimens* instaurationis communionis inter Ecclesiam orthodoxam orientalem et Ecclesiam vetero-catholicam (1).

His positionibus Bolotov pleraque evertit argumenta, quibus polemistae photiani per saeculorum decursum usi sunt ad impugnandam doctrinam catholicam. Ipsius operis Photii *De mystagogia Suiritus Sancti* inscripti censuram agit in opusculo inscripto: *Relatio de quaestione vetero-catholica,* ignorantiae traditionis latinae illum arguens et ostendens eius argumenta contra additionem vocis *Filioque* omni fundamento carere. Insuper illos errare dicit qui putant Theodoretum doctrinam de processione Spiritus Sancti a Patre *per Filium* vel *ex Filio* negasse, cum ad haeresim macedonianam tantum alluserit; aut Ioannem papam VIII cum Photio consensisse contendunt (2).

Haec theologus russus, cuius theses a doctrinae catholicae integritate longe sane distant, a positionibus vero consuetis theologrum photianorum longius adhuc recedunt atque in confitenda veritate historica, omnibus qui partium studio non indulgent manifesta, notabilem progressum arguunt. Caeterum Bolotov nullo modo demonstrat suas de doctrina Patrum hypotheses circa significationem utriusque formulae: *a Patre et Filio* et: *a Patre per Filium.*

---

(1) *Theses* 9-27, p. 70-73. *Epistola ad Antonium archiepiscopum,* 74-78; *Relatio de quaestione vetero-catholica,* p. 116-122, 131-136.

(2) *Relatio de quaestione vetero-catholica,* p. 122-138.

III. — Controversia inter theologos russos circa theses Bolotovi. Publicae responsiones Commissionis synodalis russicae.

Ubi theses Bolotovi, cuius nomen adhuc ignorabatur, in Russia innotuerunt, magnam ibi procellam excitarunt. Theologi russi in duas factiones invicem adversas mox divisi sunt, factionem scilicet Photianorum et factionem eorum qui Bolotovi vestigiis inhaerentes, unionem cum Veteribus Catholicis totis votis expetebant eamque planam facere satagebant (1).

Inter primae factionis asseclas emicuerunt A. Th. Gussev, Academiae Kazanensis professor († 1904) et V. A. Kerenskii.

Doctrina Gussevi a rigido photianismo vix differt. Contendit enim sententiam photianam de processione Spiritus Sancti a *Patre solo* esse verum dogma Ecclesiae graeco-russicae, ab antiqua Ecclesia indivisa iam creditum, quamvis a conciliis oecumenicis *ad verbum* nunquam fuerit propositum. Quemadmodum, inquit, haec propositio: *Filius a Patre solo generatur* est verum Ecclesiae dogma, quamvis a nullo concilio oecumenico unquam definitum fuerit, ita haec altera propositio: *Spiritus Sanctus a solo Patre procedit* ad fidem pertinet. Vix concedit quosdam Occidentales, inter quos Augustinus, Spiritum a Patre et Filio procedere edocuisse. Si illi credas,

(1) Haec controversia innumeras dissertationes, articulos, responsiones in diversis commentariis russicis ecclesiasticae indolis editas parturivit. Brevem illius conspectum conscripsit A. Brilliantov in *Introductone ad opuscula Bolotovi de «Filioque»*, *op. cit.*, p. 1-27. Praecipuas dissertationes indicamus in tomo II *Theologiae Orientalium*, t. II, p. 467-478, ubi varia controversiae momenta per singula delineamus.

formula Latinorum principii dualitatem necessario includit, sententia autem Bolotovi, ponentis Filium *prioritate logica* praecedere ab aeterno Spiritum Sanctum, coaeternitatem necnon consubstantialitatem personarum divinarum evertit. *Praecedentia enim logica in praecedentia chronologica non fundata est merum phantasiae figmentum.* Ordo personarum divinarum, prout in Evangelio refertur, earum ad extra revelationem solummodo respicit nec immanentem processionum ordinem nos edocet (1).

V. A. Kerenskii easdem fere positiones tuitus est ac Gussev. Concessit tamen quosdam Orientales, ut Origenem et Didymum, doctrinam catholicam edocuisse, et formulam « διὰ τοῦ Υἱοῦ », prout apud Patres occurrit, de sola missione temporali non posse semper intelligi. Nullo autem pacto thesi de processione Spiritus Sancti *a Patre solo* meri theologumeni auctoritatem tribuere consensit, sed hanc doctrinam a Patribus graecis edoctam fuisse ostendere conatus est (2).

Contra Gussev et Kerenskii doctrinam in thesibus Bolotovi expressam tuiti sunt tum ipse Bolotov, tum Alexander Kireev, tum P. Svietlov et alii, qui ultra ipsum Bolotovum progressi, nullam differentiam substantialem inveniunt, quantum ad significationem, inter utramque formulam: *A Patre per Filium* et *A Patre Filioque.* Notanda sunt Bolotovi verba in quadam epistola ad redactorem commentarii *Revue internationale de théologie* missa, anno 1899:

---

(1) Suam de processione Spiritus Sancti sententiam Gussev in pluribus dissertationibus et articulis exposuit, praesertim vero in suis *Thesibus de procesione Spiritus Sancti necnon de transsubstantiatione,* numero 56, quas thesibus Bolotovi opposuit, in commentario *Pravoslavnyi Sobiesiednik,* t. I, 1901, p. 3-39.

(2) Provocavit praesertim ad quosdam locos Epiphanii, Gregorii Nysseni et Michaelis Syncelli a Zernikavio jam laudatos, quos supra memoravimus, p. 146, n. 1; 192, n. 4; 193.

« M. Gousseff et les théologiens de son école ont le grand tort non seulement d'identifier leurs idées avec celles de l'Eglise entière, mais encore d'accuser d'infidélité vis-à-vis de l'Eglise et de trahison tous ceux qui se permettent d'avoir des idées différentes des leurs. « Tout ce que nous avons dit « et tout ce que nous disons sur le *Filioque* et la transsubstan- « tiation, affirment ces messieurs, doit être affirmé et répété « par tous les Orthodoxes, s'ils connaissent la doctrine de leur « Eglise et s'ils ne veulent pas être des traîtres à leur foi ». Non; c'est le contraire qui est vrai; ce sont ces messieurs qui, en voulant *per fas et nefas* donner raison au particulier, au local et au temporaire contre le général, l'universel et l'éternel dans l'Eglise, ce sont eux, dis-je, qui tombent dans l'erreur et qui sont infidèles à l'Eglise universelle et à la vérité » (1).

Alexander Kireev vero positionem Bolotovi, ante et post eius mortem, acriter ac indefesse defendit in pluribus articulis in commentariis theologicis. P. Svietlov, ulterius progressus, in suo opere inscripto: *Doctrina christianae fidei apologetice exposita*, haec habet:

« Defectio [Ecclesiae romanae], quantum ad doctrinam de processione Spiritus Sancti *et a Filio* (*vel per Filium*) revocanda esset, quia theologo russo turpe est pro haeresi adhuc habere illud *Filioque*, postquam ex contentionibus, quae inter duas factiones oppositas de quaestione vetero-catholica penitus habitae sunt, in plenam lucem prodivit factum existentiae huiusmodi doctrinae, *qua piae sententiae theologicae*, apud multos Patres et Ecclesiae doctores tum in Occidente, tum in Oriente, v. g., apud Tertullianum, Athanasium Magnum, beatum Augustinum, Epiphanium Cyprium, Didymum, Ambrosium Mediolanensem, Gregorium Nyssenum, Cyrillum

(1) *Revue internationale de théologie*, 1899, p. 585. Hanc epistolam, sicut et suas theses sine nomine dedit Bolotov, ne censurae ecclesiasticae rigorem in se concitaret.

Alexandrinum, Ioannem Damascenum... Discrepantia Ecclesiarum circa *Filioque,* sicut et lis de azymis, fuit tantum praetextus, non causa separationis Ecclesiarum. Vera separationis causa exstitit contentio praesulum Ecclesiarum de papalibus primatus expostulationibus » (1).

Non solum theologi privati, sed etiam ipsa Synodus Dirigens per Commissionem pro quaestione vetero-catholica constitutam de thesibus Bolotovi iudicium tulit. Tres fuerunt huius Commissionis publicae responsiones, quarum prima, anno 1893, die 23 februarii data, expresse quidem doctrinam catholicam reiiciebat, aliquatenus vero a photianismo classico deflectebat, dum speculationi et investigationi theologorum russorum proponebat « explicationem sententiae apud quosdam Patres et doctores Ecclesiae occurrentis de effulgentia Spiritus Sancti per Filium (τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς δι' Υἱοῦ φανεροῦται, ἢ ἐκλάμπει, ἢ πρόεισιν, ἢ ἐκπορεύεται) utrum scilicet haec ex Patre per Filium effulgentia referatur tantum ad missionem temporalem Spiritus Sancti in mundum, ad beatificandas creaturas, an possit etiam concipi in vita aeterna divinitatis » (1).

In secunda autem responsione, anno 1897, die 8 augusti data, eadem fere leguntur ac in prima. Expressius tamen reiicitur dictio a Veteribus Catholicis usurpata de Filio ut *causa secundaria* vel *concausa* (συναίτιος) Spiritus Sancti, « quia, nedum ad elucidandum dogma sanctae Trinitatis aliquid conferat, labefactat potius doctrinam de principio unico seu unica causa in Trinitate, paternitatem quadamtenus miscens cum filiatione, et quartae propositioni in Collatione

(1) *Op. cit.,* ed. 2, Kioviae, 1910, p. 188-189; cf. p. VIII-IX.

(2) Cf. A. Brilliantov, *K voprossu o Filioque* (ed. opusculorum Bolotovi) Petropoli, 1914, p. 3, n. 2.

Bonnensi anni 1875 communiter receptae contradicens: « Omnem reiicimus conceptionem vel expressionem, in qua continetur acceptio duorum principiorum et duarum causarum in sancta Trinitate ». Item Commissio adhuc manifestius significat se proclivem esse ad intelligendam dictionem patristicam « διὰ τοῦ Υἱοῦ » de aliquo momento aeterno vitae divinitatis, exclusa tamen quacumque significatione, ex qua sequeretur Spiritum Sanctum suam existentiam etiam a Filio, et non a Patre solo, accipere.

« Theologorum examini, inquit, proponimus, utrum conceptus de exsplendescentia, manifestatione, etc., Spiritus Sancti per Filium apud Patres et doctores occurrens etiam ad vitam aternam Trinitatis referatur, non quidem huiusmodi ἔκλαμψιν interpretantes de communicatione existentiae (ὕπαρξις) quae apud Patres et doctores ut non a Filio, sed a Patre dependens ponitur, sed sistentes intra limites doctrinae Revelationis de aeternitate vitae trinitariae necnon de *aeterna praefinitione creationis mundi et dispensationis mundi et dispensationis salutis cum participatione trium personarum Trinitatis* » (1).

Horum verborum obscuritatem discussit tertia responsio, anno 1907, die 19 iulii ad Veteres Catholicos missa, qua Commissio synodalis suam faciebat doctrinam Bolotovi supra expositam. Huius enim responsionis articulus tertius his verbis concipitur:

« Orientales etiam nunc existimant appellationem *causa secundaria Spiritus Sancti* Filio tributam admitti non posse quantum ad vitam intimam divinitatis, quatenus proprietatem hypostaticam Patris ad Filium aliquo modo transfert, nec cum doctrina de Patre, quatenus est sola causa Filii et Spiritus,

---

(1) Hanc secundam responsionem refert *Tserkovnyi Viestnik* (*Nuntius ecclesiasticus*), 1897, n. 39, col. 1256-1257).

congruit. *Bene vero Orientales admittunt Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere,* huic dictioni eam significationem tribuentes, *qua Filius exhibetur ut mera conditio* (*uslovie*), *non vero ut causa producens seu emittens Spiritum Sanctum in eius esse hypostatico* » (1).

In aliis articulis, praecipuae Bolotovi theses referuntur. Commissio synodalis expresse fatetur quaestionem de *Filioque* separationem utriusque Ecclesiae, orientalis et occidentalis, non genuisse, nec hodie haberi posse ut impedimentum prohibens instaurationem unionis inter Ecclesiam russicam et Veteres Catholicos, dummodo ut mera opinio theologica defendatur. Vides quantum haec positio distet a photianismo classico per saeculorum decursum et nostris adhuc diebus a plerisque theologis graecis propugnato.

Art. VI. — De vera positione Graeco-Russorum circa processionem Spiritus Sancti ex publicis Ecclesiae graeco-russicae documentis necnon ex dictis theologorum ejus recentiorum.

Praenotamina.

Ex variis et oppositis theologorum graeco-russorum sententiis circa processionem Spiritus Sancti, quas supra retulimus, satis iam constat hanc quaestionem per tot saecula agitatam in Ecclesia graeco-russica nondum definitive solutam esse, sed in dubio adhuc pendere et in incerto esse; quod satis mirari non possumus. Cum enim quaestio huiusmodi maximum fuerit controversiae caput, quo innixi schismatis byzantini coryphaei, Ecclesiam orientalem ab Ecclesia romana et catholica divulserunt, hoc saltem, ut videtur, a theologis dissi-

(1) In commentario *Bogoslovskii Viestnik* (*Theologicus Nuntius*), 1908, t. III, p. 428.

dentibus exspectandum erat, ut in una eademque sententia ac doctrina contra illos, quos ut haereticos denuntiabant, unanimes ac concordes inter se apparerent. E contra, videmus illos ab invicem plerumque discrepare et in diversas ac prorsus arbitrarias abire interpretationes, praesertim ubi agitur de vera Patrum graecorum doctrina elucidanda. Exinde certo colligitur, quidquid in contrarium contendere velint plerique polemistae antilatini, sententiam photianam de processione Spiritus Sancti a Patre solo, *exclusa quavis Filii participatione, ut dogma proprie dictum* Ecclesiae graeco-russicae haberi non posse, sed esse tantum *opinionem theologicam,* seu ut dicunt quidam theologi russi recentiores post B. Bolotovum, merum *theologumenon* infimae auctoritatis, a maiori parte theologorum huius Ecclesiae receptum.

Idem aliunde probari potest. Nostris enim diebus, praesertim post controversias et colloquia Russorum cum Veteribus Catholicis, hoc ut axioma inconcussum a maiori theologorum graeco-russorum parte recipitur, scilicet quod nihil aliud ad fidem ab omnibus tenendam pertinet, nihil aliud pro dogmate proprie dicto habendum nisi quod ab uno vel pluribus ex septem prioribus conciliis oecumenicis expresse definitum fuerit. Atque doctrina photiana certo ad ea non pertinet, quae a septem conciliis oecumenicis solemni iudicio decreta sunt; quin immo, ut ostendimus, in horum conciliorum Actis quaedam occurrunt cum ea aperte pugnantia.

Praeterea si conciliis oecumenicis semotis ea documenta adeamus quae apud Graeco-Russos maiori auctoritate donantur, utpote quae non a privatis theologis prolata sunt, sed ab auctoritatibus ecclesiasticis publice promulgata sunt vel publico et quotidiano usu commendantur, ut liturgici libri, vel libri quas *symbolicos* nuncupare consueverunt, non solum

in illis non invenimus doctrinam photianam expresse propositam, sed insuper haud pauca in eisdem detegimus, quae dogmati catholico aperte favent et tanquam fidei antiquae vestigia habenda sunt. Verum quidem est alia exstare documenta publica recentioris aevi, in quibus processio Spiritus Sancti a Patre solo edocetur; haec vero minoris auctoritatis communiter aestimantur, utpote quae ab una tantum vel pluribus Ecclesiis particularibus edita fuerunt nec ab omnibus recipiuntur.

Demum, quosdam habemus theologos russos nostri aevi, qui photianismo aperte valedicentes et consuetas polemistarum positiones derelinquentes, de hac quaestione sicut Catholici publice sentiunt, auctoritatibus ecclesiasticis non reclamantibus, immo vero quandoque haud dubie suffragantibus.

Unde in hoc ultimo articulo loquemur:

1° De processione Spiritus Sancti ex libris liturgicis Graeco-Russorum;

2° De eadem processione ex libris symbolicis dictis;

3° De doctrina quorumdam aliorum documentorum publicae auctoritatis;

4° De positione quorumdam theologorum russorum ex recentioribus circa eamdem quaestionem.

I. — De processione Spiritus Sancti ex libris liturgicis Graeco-Russorum (1).

In libris liturgicis Ecclesiae byzantinae nihil invenies quod doctrinae photianae directe suffragetur. Si quis autem

(1) De eodem argumento egimus tum in commentario *Echos d'Orient*, t. XIX, 1920, p. 257-277: *Où en est la question de la procession du Saint-Esprit dans l'Eglise gréco-russe*, tum in t. II *Theologiae Orientalium*, p. 482-484.

in illis aliquid venari velit, quod aliquatenus ei favere videatur, ad triadicos hymnos confugere debet, qui in *Octoecho* sub nomine Metrophanis Smyrnensis, Photii coaetanei veniunt. In illis enim quaedam occurrunt, quae photiano diagrammati Trinitatis primo aspectu suffragari videntur. Ita in canone officii matutini Dominicae, ad *echum II*, Pater dicitur « fons et radix, *tanquam causa*, divinitatis consubstantialis, quae in Filio et in Spiritu Sancto est » (1). Item in canone officii matutini Dominicae, ad *echum III*, Filius et Spiritus Sanctus comparantur *duplici stipiti ex Patre tanquam radice germinanti*, et vocantur germina connaturalia ex Deo nascentia floresque aeterni (2). Huiusmodi dicta et comparationes, quae a Dionysio hymnographus mutuatus est, nihil sane habent quod processioni Spiritus Sancti per Filium vel a Filio directe contradicat, atque ad significandam Filii et Spiritus Sancti consubstantialitatem adhibita fuisse videntur; possunt tamen in sensum heterodoxum facile detorqueri.

Caeterum ex libris liturgicis duo certe probari possunt, scilicet: 1° Personam Spiritus Sancti, et non tantum eius gratiam et dona, per Filium mitti et fidelibus communicari; quod est contra communem sententiam discipulorum Photii, inde praesertim a Gregorio Palama; 2° Spiritum Sanctum ab aeterno procedere a Patre per Filium, quod ab iisdem communiter item negatur.

---

(1) « Ἡ πηγὴ καὶ ῥίζα πεφυκώς, ὁ Πατὴρ ὡς αἴτιος τῆς ἐν Υἱῷ καὶ ἁγίῳ σου Πνεύματι συμφυοῦς θεότητος ».

(2) « Στέλεχος διττὸν ἐκ Πατρὸς ὡς ῥίζης ἐβλάστησεν ὁ Υἱὸς καὶ Πνεῦμα τὸ εὐθές, οἱ συμφυεῖς βλαστοὶ καὶ θεόφυτοι καὶ ἄνθη συνάναρχα, ὡς τρία εἶναι φῶτα τῆς θεότητος. » Mirandum omnino est quod in septem hymnis triadicis Metrophanis in *Octoecho* contentis nihil occurrat, quod ad relationem Spiritus Sancti ad Filium directe alludat, nec semel ibi legatur formula a Patre per Filium. Forsitan Metrophanes ab influxu photiano haud plane immunis fuerit.

I. — Primum caput arguunt sequentia dicta, inter alia multa selecta:

1° In Dominica Pentecostes, ad vesperas, in prima oratione quam intra santuarium alta voce recitat sacerdos, hic locus occurrit:

« Exaudi nos, Domine, in hac praesertim die Pentecostes, in qua postquam Dominus noster Iesus Christus ad caelos ascendit, et ad dexteram tuam, Deus et Pater, consedit, in sanctos eius discipulos et apostolos misit Spiritum Sanctum, *qui et super unumquemque eorum sedit, et omnes indeficiente eius gratia repleti sunt* » (1).

Ex his apparet donum increatum seu ipsam personam Spiritus Sancti esse distinctam a dono creato, seu gratia.

2° Item in officio vespertino feriae quintae post Pentecosten legitur.

« Spiritus Sanctus, charismatum distributor, in terram advenit, non ut prius sub umbra legis in prophetis elucens; *sed Christi mediatione nobis nunc substantialiter datus est...* Spiritus Sanctus, fons omnis bonitatis, *substantialiter* descendit, ut terrae fines per apostolos caelesti repleret fortitudine » (2).

Vides distinctionem inter personam Spiritus et eius dona adhuc expressius hic significari, et tum illam, tum haec per mediationem Filii nobis communicari.

---

(1) « Κατέπεμψε τὸ ἅγιον Πνεῦμα ἐπὶ τοὺς ἁγίους αὐτοῦ μαθητὰς καὶ ἀποστόλους· ὃ καὶ ἐκάθισεν ἐφ' ἕνα ἕκαστον αὐτῶν, καὶ ἐπλήσθησαν ἅπαντες τῆς ἀκενώτου χάριτος αὐτοῦ ».

(2) « Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ διαιροῦν τά χαρίσματα, ἐπὶ γῆς ἐπεδήμησεν, οὐχ ὥσπερ τὸ πρότερον τῇ σκιᾷ τοῦ νόμου λάμψαν ἐν προφήταις, οὐσιωδῶς δὲ νῦν τῇ μεσιτείᾳ Χριστοῦ δεδώρηται .. Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, πηγὴ πάσης ἀγαθότητος, οὐσιωδῶς ἐπεδήμησε, τῆς γῆς τὰ πέρατα οὐρανίου σθένους διὰ τῶν ἀποστόλων πληρῶσαι ».

II. — Ad processionem aeternam Spiritus per Filium quod attinet, non uno loco haec innuitur. In eodem officio vespertino feriae quintae post Pentecosten haec habemus:

« Spiritus Sanctus est Deus; consubstantialis et consessor Patris et Filii agnoscitur, lumen praestantissimum, *quod e luce effulsit, ex perfecto Patre principio carente et per Filium procedens* » (1).

Ibi certo agitur de processione aeterna. Nota etiam verbum « ἐκλάμπειν » ad significandam processionem aeternam usurpari; immo unitatem principii insinuari verbis: *Lumen e lumine effulgens,* quae ex contextu tum Patrem, tum Filium respicere videntur; item praepositionem « ἐκ » Patri, praepositionem « διά » Filio reservari.

III. — Utrumque autem, et Spiritus Sancti, qua personae, missionem, et aeternam ipsius per Filium processionem simul significant haec sancti Ioannis Damasceni verba in canone *anastasimo,* qui in *Octoecho* legitur:

« Matris tuae precibus, Christe, misericorditer concedas nobis Spiritum, *bonitatis largitorem, ex Patre per te procedentem* » (2).

Notanda sunt etiam haec verba officii vespertini feriae quartae post Pentecosten, quibus ὁ Θεάνθρωπος, id est Filius Dei homo factus, ut fons aeternus Spiritus Sancti depingitur:

---

(1) « Τὸ Πνεῦμα το ἅγιον Θεός, συμφυὲς καὶ σύνθρονον Πατρὶ καὶ Λόγῳ γνωρίζεται, φῶς ὑπερτέλειον ἐκ φωτὸς ἐκλάμψαν, ἐξ ἀνάρχου τελείου Πατρὸς καὶ δι' Υἱοῦ προερχόμενον ». Alia formula occurrit in officio Dominicae Pentecostes, I Vesp.: « Τὸ παράκλητον Πνεῦμα, τὸ ἐκ Πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ ἐν Υἱῷ ἀναπαυόμενον: qui ex Patre procedit et in Filio requiescit ».

(2) « Ἵλεως νέμοις ἡμῖν Πνεῦμα μεταδοτικὸν ἀγαθότητος, ἐκ Πατρὸς διὰ σοῦ προερχόμενον. » Ad haec verba jam provocabat Nicephorus Blemmides, *Epist. ad Jacobum Bulgariae,* § 23.

« Fons aeterne, fluvium ineffabilem bonitatis ab aeterno emanans, aquam vivam semper fluens et connaturaliter profundens, tuis [vel eius] rivulis animam meam irriga » (1).

Fluvius ineffabilis bonitatis, aqua viva, ex sacra Scriptura, est Spiritus Sanctus (cf. Joa., VII, 38; Apoc., XXII, 1).

Ex libris liturgicis probari potest non solum verbum ἐκλάμπειν sed etiam alia, ut προϊέναι, προάγεσθαι, προέρχεσθαι, adhiberi ad significandam processionem aeternam Spiritus Sancti ex Patre, vel per Filium, in eodem prorsus sensu ac ἐκπορεύεσθαι; immo hoc verbum ἐκπορεύεσθαι quandoque referri ad missionem temporalem (2).

II. — Doctrina librorum symbolicorum Ecclesiae graeco-russicae.

Praeter definitiones dogmaticas septem priorum conciliorum, Ecclesia graeco-russica nullos habet libros *symbolicos veri nominis*, libros scilicet qui *ab omnibus* sine ulla controversia recipiantur tanquam fontes divinae Revelationis, dogmata fide necessario tenenda continentes. Exstant sane documenta quaedam tum antiqua, tum moderna, quibus multi theologi graeco-russi auctoritatem vere oecumenicam tribu-

(1) « Ἡ πηγὴ ἡ ἀΐδιος, ἀενάως ἡ βρύουσα ποταμὸν ἀνέκφραστον ἀγαθότητος, ὕδωρ τὸ ζῶν ἀεὶ βλύζουσα, συμφύτως προχέουσα, ταῖς αὐτοῦ ἐπιρροαῖς τὴν ψυχήν μου κατάρδευσον. »

(2) *Officia Dominicae Pentecostes*: 1° *Ad Matutinum, trop*: Τὸ Πνεῦμα κόλπων πατρικῶν « προηγμένον » — Τὸ πανάγιον Πνεῦμα, τὸ « προϊὸν » ἐκ τοῦ Πατρός. — Πνεῦμα ἐκ Πατρὸς « ἐκπορευθὲν » καὶ δι' Υἱοῦ πιστοῖς ἡμῖν πεφηνός. **Hoc loco verbum** ἐκπορευθέν **significat: Spiritus qui ex Patre *profectus est*, ad homines venturus. Hymni auctor verba Evangelii:** ὃ ἐκ Πατρὸς ἐκπορεύεται **ad missionem temporalem Spiritus directe refert, sicut et nos supra fecimus.**

unt; at vero alii multi talem auctoritatem eisdem denegant, ita ut nullum aliud documentum, praeter septem conciliorum definitiones, *liber symbolicus proprie dictus* Ecclesiae graeco-russicae dici possit.

Inter documenta autem quae ad libri symbolici dignitatem et auctoritatem propius accedunt, primum illa venit fidei professio omnium solemnissima, quam *Synodicum Dominicae Orthodoxiae* vocant, qua variae haereses, etiam illae, quae Medio Aevo exortae sunt, multiplicibus profligantur anathematismis. Atqui, quod omnino mirum est, huic nihil fuit insertum contra processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio, vel a Patre per Filium. Item, in utraque fidei professione ab episcopo ordinando recitanda meram habes processionis Spiritus Sancti a Patre affirmationem; siquidem in prima legitur: « Filius a *Patre solo* generatur et Spiritus Sanctus *procedit ex Patre*; et ita unum principium profiteor et unam causam agnosco Filii et Spiritus, nempe Patrem » (1); in altera vero adhuc brevius: « Credo in Spiritum Sanctum, *ex ipso Patre procedentem* » (2). Nec formula *a Patre solo* in sententia synodi Blakhernarum contra Ioannem Veccum (1285) ad verbum occurrit, quamvis doctrina catholica terminis aequalem vim habentibus ibi anathemati subiiciatur (3); neque in *Officio reconciliationis Latinorum* a synodo constantinopolitana anni 1484 sub Simeone Trapezuntio patriarcha constituto, ubi symbolum nicaeno-constantinopolitanum absque ulla additione recitatur, concilium Florentinum

(1) « Ὁ δέ Υἱὸς γεννᾶται ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς, καὶ τὸ Πνεῦμα το ἅγιον ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ Πατρός. » Cfr. Goar, *Euchologium Graecorum*, ed. Venet., 1730, p. 253.

(2) « Πιστεύω εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ ἐξ αὐτοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον ». Ibid. p. 255.

(3) Cf. *P. G.*, t. CXLII, col. 240 B: « Τοῖς διαβεβαιουμένοις ὡς διὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχει ἐκ τοῦ Πατρὸς ὁ Παράκλητος... καταδίκην ἐπάγομεν ».

abrogatur ac pro nullo habetur, doctrina quae tenet Spiritum Sanctum procedere ex Filio *quemadmodum et ex Patre* tanquam error ineptus reiicitur (1).

In periodo moderna *libri symbolici* potissimum vocantur *Confessio orthodoxa fidei Ecclesiae orientalis, Confessio Dosithei* et, speciatim pro Russis, *Catechismus maior Philareti* (2). Atqui satis mirum est haec tria documenta non habere formulam *a Patre solo*, sed tantummodo repetere verba Christi in Evangelio: *Spiritus a Patre procedit*, vel, ut fert *Confessio orthodoxa*: « Spiritus Sanctus *procedit ex solo Patre tanquam ex fonte et principio divinitatis* » (3).

Haec ultima verba dogmati catholico non aperte contradicunt et cum eo componi possunt. Unde Döllinger, in Collationibus Bonnensibus anni 1875, ea, prout iacent, ab Occidentalibus admitti posse iure declaravit (4), praesertim si illa conferas cum iis, quae alibi (I p. q. IX) in eadem Confessione dicuntur (5). Verum quidem est aliquam difficultatem circa eorum catholicam interpretationem inde moveri posse, quod

(1)Rhallis et Potlis, Σύνταγμα τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων, t. v, Athenis, 1855, p. 144-147. Cf. L. Petit, *L'entrée des catholiques dans l'Eglise orthodoxe*, in commentario *Echos d'Orient.*, t. II (1899), p. 129-131. Occurrit tamen dictio *a Patre solo* in quibusdam abjurationis formulis a Catholicis ad *Orthodoxiam byzantinam* conversis recitandis. Cf. v. g. *Synodicas constitutiones Callisti patriarchae, P. G.*, t. CLII, col. 1354-1355.

(2) De horum documentorum auctoritate apud Graeco-Russos vide quae dicuuntur in tomo I *Theologiae Orientalium*, p. 671-680; item in commentario *Echos d'Orient, La confession orthodoxe de Pierre Moghila*, t. XXVIII (1929), p. 414-430.

(3) I p. q. LXXI: « Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύται ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ὡς πηγῆς καὶ ἀρχῆς τῆς θεότητος. »

(4) Cf. N. Damalam, Ἔκθεσις πρὸς τὴν ἱερὰν σύνοδον περὶ τῶν ἐν Βόννῃ πεπραγμένων καὶ κρίσις περὶ αὐτῶν, Athenis, 1876, p. 6.

(5) Ibi auctor Confessionis lectorem remittit ad *Expositionem fidei orthodoxae Joannis Damasceni, P. G.*, t. XCIV col. 829 A: « Ὁ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον εἰς αἰτίαν, τὸν Πατέρα, ἀναφέρονται ».

in *Quaest. LXXI Iae partis*, ubi leguntur, pseudo-Athanasii sequens locus ponitur:

« Deus Pater ipse solus est causa duobus et ingenitus. Filius autem ex solo Patre causatus et genitus, et Spiritus Sanctus *ex solo Patre causatus et procedens, sed per Filium in mundum missus* » (1).

Habemus sane hic formulam stricte photianam. Illam tamen auctores Confessionis non faciunt *directe* suam, ut constat ex iis quae sequuntur:

« Satis igitur nunc nobis est, ut firma fide teneamus credamusque quod ipse nos Christus docuit, quod orientalis Ecclesia catholica et orthodoxa credit et in secundo concilio oecumenico professa est, et approbavit symbolum sine additione *et ex Filio* ».

Nolunt ergo Confessionis auctores vocem *solo* ad symbolum addere, quamvis dubium non sit quin mente tenuerint doctrinam hac additione significatam.

Non magis notanda est circumspecta dictio Dosithei, qui verbis Cyrilli Lucaris confitentis *Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere*, haec tantum opponit: *Credimus Spiritum Sanctum ex Patre procedentem*, ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον·

Ad *Catechismum* autem *Philareti* quod attinet, doctrinam de processione Spiritus Sancti hoc modo exponit:

« *Quaestio*: Undenam scimus Spiritum Sanctum a Patre procedere?

« *Responsio*: Hoc scimus ex sequentibus ipsius Iesu Chri-

(1) *Quaestio* IV inter XX, P. G., t. XXVIII, col. 777 B: « Καὶ αὐτὸ τὸ Πνεῦμα ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς αἰτιατὸν καὶ ἐκπορευτόν, διὰ δὲ τοῦ Υἱοῦ ἐν τῷ κόσμῳ ἀποστελλόμενον. »

sti verbis: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*, etc.

« *Quaestio*: Doctrina de processione Spiritus Sancti a Patre postetne alicui mutationi vel complemento obnoxia esse?

« *Responsio*: Non potest: Primo, quia orthodoxa Ecclesia circa hanc doctrinam ipsissima ipsius Iesu Christi verba repetit. Atqui eius verba absque dubio sunt expressio veritatis sufficiens et perfecta; secundo, quia secunda synodus oecumenica, cuius praecipuus scopus fuit veram doctrinam de Spiritu Sancto statuere, congruenter atque sufficienter hanc doctrinam sine controversia in symbolo fidei exposuit, et Ecclesia catholica hanc adeo presse recepit, ut tertia synodus oecumenica septimo suo canone novum symbolum fidei componere vetuerit.

« Ideo sanctus Ioannes Damascenus scribit: « Spiritum Sanctum et ex Patre esse dicimus et Spiritum Patris nominamus; ex Filio vero Spiritum esse nequaquam dicimus, sed proprium Filii Spiritum appellamus »».

Vides Philaretum nihil ultra Christi et symboli verba de hac quaestione admittere velle. Repellit quidem additionem vocis *Filioque;* non audet tamen processionem a Patre *solo* expresse profiteri (1).

III. — De doctrina quorumdam aliorum documentorum publicae auctoritatis.

A cauta loquendi ratione trium librorum symbolicorum supra dictorum haud semel recesserunt in periodo moderna

(1) In *Officio reconciliationis Latinorum ad Ecclesiarum russicam accedentium* apud Russos usitato, dictio *a Patre solo* item omittitur et formula symboli: *Qui a Patre procedit* sine ulla additione sufficiens declaratur. Cf. L. Petit, *art. cit.*, p. 136-137.

sive patriarchae Constantinopolitani seorsim, sive etiam quatuor patriarchae orientales in synodum adunati in dogmaticis encyclicis ad suos fideles missis. In quibusdam documentis huiusmodi, patriarchae graeci expresse statuunt Spiritum Sanctum *a Patre solo procedere,* ita ut in sensum catholicum nullo pacto accipi possint. Inter haec veniunt:

1° *Secundum et tertium Responsum Ieremiae II patriarchae Constantinopolitani ad theologos Tubingenses,* in quibus sententia photiana variis modis proponitur, adhibita praesertim explicatione palamitica. In secundo expresse legimus *processionem* (τὴν ἐκπόρευσιν) *esse existentiam Spiritus Sancti ex solo auctore Patre immediate provenientem* (1); in tertio vero Ieremias Reformatos ita alloquitur:

« Miramur quod vos, manifesta et perspicua tum Scripturae, tum Patrum dicta relinquentes, diserte clamantia et declarantia *ex solo Patre procedere* Spiritum Sanctum, quaedam Patrum testimonia aliter se habentia et in alium sensum ab eis accepta ad vestrum scopum transferatis » (2).

2° *Epistola quatuor patriarcharum Orientis ad Russos* sub Nicone (anno 1663), in qua Spiritus Sanctus dicitur *produci et procedere a solo Patre,* αἰτιατὸς καὶ ἐκπορευτὸς παρὰ μόνου τοῦ Πατρός (3).

3° *Encyclica dogmatica patriarcharum Orientis ad Orthodoxos Antiochenos,* a synodo Constantinopolitana anno

(1) « Ἡ μὲν ἐκπόρευσις φυσική ἐστιν ὕπαρξις ἁγίου Πνεύματος, ἀμέσως ἐκ μόνου τοῦ Πατρός. *Secundum Responsum,* c. I, ed. Gedeonis Cyprii, Κριτὴς τῆς ἀληθείας, t. I, Lipsiae, 1758, p. 131.

(2) *Tert. Respons.,* c. I loc. cit., p. 218: « τὰ προφανῆ καὶ σαφῆ ῥητά .., τὰ διαρρήδην βοῶντα καὶ παριστῶντα ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι Πνεῦμα. » Caeterum nota Jeremiae *Responsa* sola ipsius auctoritate firmari nec haberi posse ut documentum publicum totius Ecclesiae graecae.

(3) Delicanis, Πατριαρχικὰ ἔγγραφα, Constantinopoli, t. III, p. 93.

1722 approbata, qua dogma photianum fuse exponunt, omnemque participationem Filii in producendo Spiritu omnino reiiciunt:

« Cum igitur, inquiunt, sacrae oecumenicae synodi ac singuli sancti Patres id cecinerint, tenuerint, docuerint Sanctum Spiritum *ex solo Patre*, non ex Filio procedere, nec tamen ita sentientes haeretici fuerint et ab universa Christi Ecclesia segregati, neque nos ergo quotquot credimus ac sentimus quemadmodum dicti beatissimi Patres, schismatici ac haeretici sumus... Testimonia quotquot nobis a Latinis obiiciuntur, quibus Ecclesiae Patres videntur dicere Spiritum Sanctum a Filio procedere, scaturire, donari, ea omnia a sanctis Patribus accipiuntur pro Spiritus Sancti gratia, largitione, operatione, non vero pro eius hypostasi » (1).

4° *Confessio fidei in sexdecim articulos divisa* a patriarchis orientalibus in synodo constantinopolitana anno 1727 promulgata, cujus articulus quintus haec habet:

« Credo Spiritum Sanctum *ex solo Patre procedere*, non autem et ex Filio; id enim Latinorum est additio et innovatio... Solus Pater est causa et principium divinitatis, quae in Filio est et in Spiritu Sancto, in Filio quidem per generationem, in Sancto autem Spiritu per processionem... Spiritus Sanctus ex Patre solo procedit..., qui a Patre et Filio separari nequit, utpote ex Patre per processionem existentiam habens et in Filio requiescens, *quin Filius ut auctor existentiae Spiritus ullo modo mente concipiatur* » (2).

(1) **Mansi-Petit, *Ampl. coll. conciliorum*, t. XXXVII, col. 165:** « οὕτως ἔψαλλον καὶ οὕτως ἐπίστευον καὶ ἐδίδασκον, ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς μόνου ἐκπορεύεται, καὶ οὐκ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ».

(2) **Mansi, ibid., col. 897:** « Ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, ἀλλ' οὐ καὶ τοῦ Υἱοῦ ὡς ἐκ τοῦ Πατρὸς τὴν ὕπαρξιν ἔχον ἐκπορευτῶς καὶ ἐν Υἱῷ ἀναπαυόμενον, μὴ συνεννοουμένου τοῦ Υἱοῦ ὡς αἰτίου τῆς τοῦ Πνεύματος ὑπάρξεως καθ' οἱονδήτινα τρόπον.»

5° *Epistola encyclica quatuor patriarcharum orientalium ad omnes fideles orthodoxos*, anno 1848 data, qua Pio papae IX ad unionem cum Ecclesia catholica illos invitanti responderunt, in qua processio Spiritus Sancti ab utroque tanquam haeresis denuntiatur haereticique appellantur qui hanc doctrinam profitentur, quamvis ibi expressis verbis non legatur Spiritum Sanctum a solo Patre procedere:

« *Haeresis est* et dicitur, inquiunt, et qui ita sentiunt haeretici sunt secundum sententiam sancti Damasi, papae Romae: *Si quis de Patre et Filio bene sentiens, de Sancto Spiritu non credit orthodoxe, haereticus est* » (1).

IV — De hodierna positione quorumdam theologorum russorum.

Vidimus supra sententiam B. Bolotovi ejusque sectatorum asserentium doctrinam photianam ut meram opinionem theologicam habendam esse, Patres graecos vero docuisse Filium esse *conditionem sine qua non* processionis Spiritus Sancti, ab ipsa Commissione Synodi Dirigentis pro quaestione vetero-catholica constituta ultimo receptam et approbatam fuisse. Ultra hanc novam positionem mox progressi sunt quidam theologi russi, qui repagula inter utrumque *theologumenon*, occidentale scilicet et orientale, a Bolotovo excogitata prorsus arbitraria esse haud aegre detexerunt, inter quos jam supra nominavimus archipresbyterum P. Svietlov, ipsius verba referentes. Jam anno 1904, dum Photiani et Bolotovistae acerrime in-

---

(1) Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XL, col. 383 D: « Ἔστι καὶ λέγεται αἷρεσις, καὶ οἱ οὕτω φρονοῦντες αἱρετικοὶ κατὰ τὴν ἀπόφασιν τοῦ ἐν ἁγίοις Δαμάσου πάπα Ῥώμης· « Εἴ τις περὶ τοῦ Πατρὸς παὶ τοῦ Υἱοῦ καλῶς φρονήσει, περὶ δὲ τοῦ ἁγίου Πνεύματος οὐκ ὀρθῶς ἔχει, αἱρετικός ἐστι. »

ter se pugnabant, Petrus Leporskii confessus fuerat nullam adesse substantialem differentiam inter doctrinam Occidentalium de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio et doctrinam a Patribus graecis expressam per formulam a Patre per Filium. In sua enim dissertatione *De articulis* 39 *Ecclesiaes anglicanae,* postquam inter dogmaticas differentias Anglicanos ab Orthodoxis russis separantes, illam recensuit, quae est de processione Spiritus Sancti, in quadam nota haec addidit:

« Caeterum prae oculis habendum est occidentales theologos illi *Filioque* eumdem prorsus sensum tribuere, quem formulae « διὰ τοῦ Υἱοῦ » apud multos orientalis Ecclesiae Patres occurrenti agnoscunt, ita ut discrepantia inter Orthodoxiam orientalem et Confessiones occidentales de isto capite indolem amittat cujuscumque substantialis differentiae » (1).

Occasione itineris, quod plures episcopi anglicani anno 1911 per Russiam fecerunt, Petropoli constituta fuit quaedam Societas zelatorum unionis cum Ecclesia anglicana, quae die 17 januarii 1912 a Synodo Dirigente publice probata est. Porro, mense maio ejusdem anni, Pater F. V. Puller, Societatis anglicanae S. Joannis Evangelistae (2) religiosus, Eulogio Chelmensi archiepiscopo et Societatis zelatorum unionis praeside invitante, quatuor habuit publicas collationes de doctrina Ecclesiae anglicane in ipsa domo summi procuratoris Synodi, Sabler, diebus 3, 7, 9 et 11 maii. Praeter has publicas collationes, Puller duo habuit colloquia cum theologis russis, Academiae ecclesiasticae petropolitanae professoribus et membris consilii Societatis zelatorum unionis, inter quos erant J. J. Lo-

(1) *De articulis* 39 *Ecclesiae anglicanae,* in *Khristianskoe Tchtenie,* 1904, t. II, p. 635, in nota.

(2) Haec Societas anno 1865 a Benson fundata est.

dygenskii, J. P. Sokolov, A. Brilliantov. Die 9 maii, colloquium circa processionem Spiritus Sancti versabatur in ipsa domo archiepiscopi Eulogii, qui aderat. A. Brilliantov interrogavit Puller de additione vocis *Filioque* ad symbolum nicaeno-constantinopolitanum in Ecclesia anglicana recepta. Puller, postquam de professione fidei Tarasii in septima synodo oecumenica lecta et approbata mentionem fecit, declaravit Anglicanos unum tantum principium (ἀρχὴν) divinitatis agnoscere, Patrem scilicet, ex quo procedunt et Filius et Spiritus Sanctus; Filio tamen tribuere aliquam participationem seu mediatam cooperationem in aeterna spiratione Spiritus Sancti, ita ut Spiritus Sanctus a Patre *per Filium* procedat, et sub hoc respectu verum sit quod Spiritus Sanctus a *Patre per Filium procedat;* unde Anglicanos formulam a *Patre Filioque procedit* habere ut respondentem, quoad sensum, formulae *a Patre per Filium procedit.* Puller haec locuto respondit A. Brilliantov hanc explicationem cum doctrina Ecclesiae graeco-russicae plene congruere.

« Quod autem gravius est, ait commentarius publicus Synodi Dirigentis, cui titulus *Tserkovnyia Viedomosti* (*Nuntia ecclesiastica*), archiepiscopus Eulogius, qui colloquio praeerat, in fine theologo anglicano dixit: « Licentiam tibi do publice decarandi in collatione, quam hodie habiturus es (1), colloquium hodie fuisse de processione Spiritus Sancti, et quidem omnes communiter agnovisse formulam, qua processio Spiritus Sancti olim edocebatur, non eamdem fuisse in Oriente et in Occidente; attamen, post datas explicationes, omnes ad hanc devenisse conclusionem, scilicet quod quantum ad ve-

(1) Revera paulo post cum professoribus Academiae privatum colloquium Puller, vespere diei 9 maii, publicam habuit collationem coram plus quam ducentis auditoribus de doctrina Ecclesiae anglicanae.

ritatis summam seu substantiam, *utraque sententia in idem recidit* » (1).

Licentia concessa Puller large usus est, et tum in Russia, tum praesertim in Anglia, ubi illuc reversus est, professoris Brilliantov et Eulogii archiepiscopi verba tam verbis quam scriptis vulgavit (2); et, quod omnino notandum est, commentarii ecclesiastici russici, imprimis *Tserkovnyia Viedomosti,* collationum de hac materia, quas Puller in Anglia habuit, relationes scripserunt, de industria, ut videtur, hanc novam theologorum russorum positionem omnibus notam facientes (3).

Inter hanc positionem et ultimam responsionem Commissionis synodalis pro questione vetero-catholica supra relatam perspicis differentiam, quam magna sit. Revera, anno 1912, theologi russi, cum haud dubia Synodi Dirigentis approbatione, veritatem decreti Florentini de consensu Patrum quum latinorum tum graecorum circa processionem Spiritus Sancti publicae agnoverunt. Hoc autem facientes, Joannis Kronstadiensis, viri inter Russos nostri temporis fama sanctitatis ac miraculorum gloria celeberrimi († 1908) (4), exemplum secuti sunt. Joannes enim, in suo opere inscripto: *Mea vita in Christo,* processionem aeternam Spiritus Sancti a Patre per Filium aperte profitetur:

« Verbum, inquit, in homine manifestat ejus cogitationes ac animi sensus; per verbum autem nobis innotescit spiritus

(1) *Tserkovnya Viedomosti,* 1912, n. 42 (20 octobris), p. 1707. Cf. commentarium *Tserkovnyi Viestnik,* 1912, n. 21, col. 644.

(2) Cf. ejus opus, *The continuity of the Church of England.* Londini, 1912, p. IX-XV.

(3) Cf. *Tserkovnya Viedomosti,* 1913, n. 33 (17 aug. 1913) ,p. 1414; *Tserkovnyi Viestnik,* 1912, n. 31 (2 aug.), p. 977.

(4) Fama caeterum nimis aucta et, ad miracula quod attinet, non probata. Cf. t. IV *Theologiae Or.,* p. 562-563.

ejus invisibilis, dominator, artifex, verboque ex spiritu seu cogitatione hominis generato halitus spiritus ejus illum manifestat. Hoc idem in Deo aliquatenus contingit. Verbum enim seu Sermo Dei nobis revelat Patrem, spiritum nempe supremum, totius creationis auctorem; *per Verbum autem ab aeterno ex Patre procedit et nobis apparet Spiritus Sanctus, omnia vivificans* » (1).

Item in alio loco ejusdem operis:

« Quando bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum (Luc., VI, 4), hoc repraesentat Spiritum Sanctum, *qui a Patre per Filium procedit* » (2).

Recentissime autem archipresbyter Sergius Bulgakov, Academiae theologicae russicae Parisiensis professor, novam de processione Spiritus Sancti theoriam protulit, quae ad explicationem augustinianam et thomisticam *sub aliquo respectu* appropinquat, nedum photianismo suffragetur. Ipsum Spiritum Sanctum habet ut *mutuum amorem Patris et Filii* docetque Patrem et Filium unum effici in actu quo Spiritus procedit a Patre per Filium. Haud pauca vero profert, quae prorsus mira et inaudita sunt meraque phantasiae figmenta apparent. Ipsius verba referimus:

« Deus non est dualitas, sed trinitas Patris, Filii et Spiritus Sancti, qui est gaudium amoris seipsum abnegantis, ejus beatitudo ac effectus. Pater, gignendo Filium et in hac generatione ex seipso exiens, nondum habet *Genitum* tamquam

(1) *Moia gizn vo Kristê*, Mosquae, 1894, t. I, p. 109-110: *tchrez Slovo ge vietchno iskhodit i iavliaetsia liudam ot Otsa Dukh sviatyi givoriachtchii.* Cf. A. Staerk, *Ma vie en Jésus-Christ par le Père Jean de Kronstadt*, ed. 2, Parisiis, 1902, p. II, p. 194.

(2) Op. cit., ed. russ., p. 298: « *to eto est obraz iskhogdeniia sv. Dukha ot otsa tchrez Syna* ». Cf. Staerk, *op. cit.*, p. 196.

Natum, tamquam amoris et gaudii objectum; eodem modo ac partus humani dolores ad gaudium ducunt, sed in seipsis considerati hoc non videntur esse. Ideo relatio Patris ad Filium duplex est: Filius illi est non tantum ut *Genitus*, sed etiam ut *Natus dilectus Filius unigenitus*. Et vicissim duplex est relatio Filii ad Patrem. Pater illi est non solum *generator*, sed etiam *Pater*, in quo propria ejus vita absconditur: *Qui videt me, videt Patrem — Ego in Patre, et Pater in me est — Ego = tu et tu = ego et ego = Nos. Haec identificatio Patris et Filii, eorum in amore unificatio efficitur actu hypostatico in processione Spiritus Sancti ex Patre versus Filium* (*seu per Filium*). Quatenus Pater et Filius *mutuo se cognoscunt in amore quo unusquisque sibi ipsi renuntiat*, in amore considerato ut actu consummato, eorum mutua existentia unius ad alterum characterem idealem tantum habet. Haec existentia realitatem obtinet tantum in actu perfecto *generationis — nativitatis*. Porro haec naturae divinae realitas, in paternitate Patris et filiatione Filii jam idealiter revelata, *efficitur a Spiritu Sancto ex Patre egrediente et in Filio quiescente et ambos uniente*. Hic est *mutuus amor Patris et Filii* ad invicem et gaudium hujus amoris, perficiens actum quo divinitas seipsam revelat in sua natura non solum in Veritate, sed etiam in Pulchritudine.... *In actu hypostatico processionis Spiritus Sancti definitur relatio Spiritus Sancti non solum inter Patrem et ipsum Spiritum Sanctum, sed etiam inter Patrem et Filium. Hypostatica haec relatio est eorum mutuus amor.* Spiritus Sanctus amat Filium, quia in illo requiescit et simul cum illo in indivisa dualitate Patrem revelat et amat Patrem tamquam fontem amoris, *causam primordialem* (russice: *Pervovinovnika*). Spiritus Sanctus ipse non revelat nec Filium Patri, neque Patrem Filio, *sed illos coadunat in realitate divinae naturae*. In hoc sensu, quantum ad ejus processionem attinet, dici potest hanc processionem neque esse activam, neque passivam: Spiritus Sanctus exit, emanat. Ipse neque seipsum revelat, quia nihil in se habet quod sit ipsi proprium. Annuntiat ea quae loquitur Filius in nomine Patris. Est Spi-

ritus Veritatis, et non ipsa Veritas. In ipso et per ipsum consistit pellucida abyssus divina ut Veritas et Pulchritudo omne quod est comprehendens » (1).

Haec sane obscuriora sunt, sicut ea fere omnia, quae de fidei christianae dogmatibus hactenus scripsit novus theologus russus (2). Exinde tamen constat illum a photiana doctrina longe discurrere, *et quantum ad hanc quaestionem*, in linea catholicae veritatis potius philosophari. Caeterum ejus *orthodoxia* valde suspecta est. Laxissimis enim habenis phantasiae relictis, tum philosophari tum theologizare solet.

---

(1) *Agnets Bogii. O Bogoceloviecestvie*, Parisiis, 1933, p. 122-123. Brevius et obscurius eamdem speculationem auctor adumbrat in suo opere *L'Orthodoxie*: « L'amour de Dieu, l'amour du Père pour le Fils et celui du Fils pour le Père n'est pas une simple qualité on une relation: il possède lui-même une vie personnelle, une vie hypostatique. *L'amour de Dieu est l'Esprit- Saint, qui procède du Père au Fils et qui repose sur lui.* Le Fils n'existe pour le Père que dans l'Esprit-Saint, qui repose sur lui. De même, le Père manifeste son amour au Fils par l'*Esprit-Saint, qui est l'unité de vie du Père et du Fils* ». *L'Orthodoxie*, Parisiis, 1932, p. 2.

(2) De ejus nova mysterii Incarnationis explanatione vide ea quae scripsit Th. *Spacil, Nova opinio auctoris « orthodoxi » de unione hypostatica*, in commentario *Orientalia christiana periodica*, t. I, (1935), p. 53-92. Multae Bulgakovi speculationes de incarnatione Verbi haeresim sapiunt et modernismo vicina sunt, neque unquam in Ecclesia graeco-russica auditae fuerant.

CAPUT QUINTUM.

Doctrina Nestorianorum et Monophysitarum de processione Spiritus Sancti.

Praenotamina

Eo tempore quo Nestoriani et Monophysitae ab Ecclesiae unitate recesserunt, id est saeculo quinto, de processione Spiritus Sancti hoc tantum fide explicita ab omnibus credebatur, quod in symbolo nicaeno-constantinopolitano legitur, scilicet quod *Spiritus Sanctus a Patre procedit.* Ut supra diximus, relatio Spiritus Sancti ad Filium nondum explicite definita fuerat. Unde mirum non est hanc quaestionem tum apud Nestorianos, tum etiam apud Monophysitas, theologorum attentionem vix sollicitasse. Neque unquam apud illos de hoc capite mota est controversia. Decursu tamen temporum, sub Graecorum dissidentium influxu et occasione consuetudinis cum Latinis occidentalibus, ex ipsis quidam vel additionem vocis *Filioque* ad symbolum vituperarunt, vel etiam quaestionem dogmaticam tetigerunt, doctrinam photianam aperte amplectentes. Hanc positionem plerique Monophysitae, post concilium Florentinum, propter rationes polemicas tenuerunt et adhuc retinent, quin hujusmodi quaestioni unquam multum attenderint.

Ea omnia, quae de eorum doctrina colligere potuimus, in duobus articulis breviter referemus. Sermo erit:

1° De processione Spiritus Sancti apud Nestorianos;

2° De eadem processione apud Monophysitas.

Art. I. — De processione Spiritus Sancti apud Nestorianos.

Cum praecipui Ecclesiae nestorianae doctores fuerint Diodorus Tarsensis, Theodorus Mopsuestenus et Nestorius, qui ad Scholam antiochenam pertinent et de relatione Spiritus Sancti ad Filium, ut diximus (1), vix aliquid habent, mirum non est theologos nestorianos tum antiquos tum recentiores de hac relatione plerumque tacere, processionem Spiritus Sancti a Patre praedicare satis habentes.

In suo *De unione* libro, Babaeus Magnus († circa 628) in uno loco explicite docet Spiritum Sanctum *ex Patre solo procedere* (2). Haec verba tamen in *sensu photiano* protulisse non videtur, sed ut errorem Macedonii excluderet, quam Cyrillo Alexandrino tribuebat (3). Aliunde quaedam habet, quae

(1) Supra, p. 167 sq.

(2) « Spiritus est procedens essentialiter et in aeternum, *et non existit alius spiritus sanctus procedens ex Patre modo processionis, sicut non est alius genitus modo generationis ex Patre.* Spiritus Sanctus, *qui ex Patre solo procedit,* non est posterior, quemadmodum Pater non est prior Filio, qui ex eo ab aeterno natus est ». *De unione,* ed. Vaschalde, Romae, 1915, p. 25. De professione fidei synodi Seleuciae-Ctesiphontis anno 410 sub catholico Isaaco habitae, ad quam theologi catholici diu provocarunt, ut ostenderent christianos regni Persarum jam saeculo v ineunte processionem Spiritus Sancti *a Patre et Filio* explicite tenuisse, vide ea quae diximus supra, p. 119, n. 2.

(3) Babaeus Cyrillum vocat nothum Macedonii propter ejus doctrinam de processione Spiritus Sancti ab utroque, quasi Spiritus esset creatura Patris et Filii: « Que cela soit dit à l'adresse des Cyrilliens, ait V. Grumel, *Echos d'Orient,* t. xxiii, p. 398-399, cela ressort de l'injure que parmi tant d'autres Babaï jette au célèbre docteur d'Alexandrie: *nothus Macedonii.* Macedonius niait la divinité du Saint-Esprit et faisait de lui une créature du Père et du Fils ». Ef-

processioni Spiritus Sancti ab utroque haud obscure favent (1). Vel potius dicendum est illum eamdem tenuisse positionem quam Theodoreto Cyrensi supra tribuimus.

In suis *Capitibus scientiae* Josephus Hazzâyâ (saec. VIII), expresse docet Spiritum Sanctum *a Patre et Filio procedere* (2). In ipso autem officio matutino Dominicae IV ante Domini natalem, quod Annuntiationis vocant, haec quotannis recitant Nestoriani:

« Deus unus est, qui omnino non comprehenditur, estque in tribus personis principio carentibus: Pater aeternus, qui Patrem non habet, Filius ex eo, qui Filium non possidet; et Spiritus Sanctus, *qui ex eis procedit*: Natura omnitenens, ipsi gloria in templo humanitatis nostrae » (3).

Ex quo Nestoriani de controversia inter Graecos et Latinos circa praesens caput audierunt, inter utrosque indifferenter se habuerunt, nec illos laudantes, nec hos increpantes. Ita Ebedjesu in *Libro Margaritae*:

---

fatum Babaei eumdem revera sensum habet ac verba Timothei I, *Epistola I*, asserentis: *Spiritus Sanctus solus procedit a Patre* ante omnia saecula et momenta ». Oscar Braun, *Epistolae Timothei*, Romae, 1915, p. 1.

(1) Cf. v. g., haec verba: « Vocasti Patrem? Una cum appellatione Patris intellexisti Filium absque separatione, ita etiam Spiritum Sanctum, qui ex Patre procedit. *Impossibile est Patrem et Filium esse sine Spiritu et sine sanctitate, et Spiritum non habitare in Patre et in Filio infinite*, quia tota natura Trinitatis nuncupata est Spiritus. Op. cit., p. 26. Cf. etiam p. 28: « *Si dividis Filium a Patre et Spiritum Sanctum ab utroque, perit veritas et introducitur mendacium* ». P. 29: « Pater est in Filio, et Filius in Patre, et Spiritus Sanctus in Patre et in Filio ».

(2) « Fons ab Eden currens et paradisi arbores irrigans est figura Spiritus Sancti, *qui a Patre Filioque procedit* ». *Capita scientiae*, c. XXIV, 35, apud A. Scher, *Joseph Hazzâyâ, écrivain syrien du* VIII[e] *siècle*, in commentario: *Rivista degli studi orientali*, t. III (1910), p. 59.

(3) Assemanus, *Bibliotheca orientalis*, t. III, pars 2, p. 235.

« Franci vero (id est Latini) ab illis (Graecis scilicet et aliis) discedunt in eo quod Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere dicunt et azyma ad sacrificium usurpant » (1).

Saeculo XVII ineunte, Elias VIII patriarcha et Adamus, ejus archidiaconus, dogma catholicum non negabant, sed simpliciter affirmabant Spiritum Sanctum a Patre procedere. Adamus autem conabatur ostendere nullam veram differentiam exstare inter Chaldaeos et Romanos, cum omnia Filius habeat quae Pater habet (2).

Art. II. — De processione Spiritus Sancti apud Monophositas.

Quamvis Monophysitae eos Patres graecos, qui disertissime docuerunt Spiritum Sanctum a Patre per Filium, vel etiam a Patre et Filio procedere, Alexandrinos scilicet Athanasium, Didymum et Cyrillum, et Cappadoces tres, magna veneratione prosequantur, attamen de relatione Spiritus Sancti ad Filium raro mentionem faciunt, et plerumque, sicut Nestoriani, simpliciter dicunt: *Spiritus Sanctus a Patre procedit.*

Inter primos monophysismi doctores Philoxenus Mabbugensis († 523) Spiritum Sanctum etiam ex Filio esse seu procedere explicite negasse quibusdam visus est propter haec verba in tractatu *De Trinitate* occurrentia:

« *Non enim quemadmodum Filius ex Patre est, ita et Spiritus ex Filio*; sed ambo ex Patre sunt: unus Filius et

(1) *Liber Margaritae*, ed. A. Mai, *Scriptorum vet. nova collectio*, t. x, p. 353.
(2) Strozza, *De dogmatibus Chaldaeorum*, Romae, 1617, p. 17-32.

alter Spiritus. Est Pater et Deus, *Pater unius et principium alterius* » (1).

Haec verba autem ita interpretanda esse, ut Philoxenus hoc tantum dicere intenderit quod Spiritus Sanctus non est ex Filio *eodem modo, quo Filius est ex Patre,* id est per *generationem;* vel quod Filius non est *principium primordiale* Spiritus Sancti independenter a Patre, vel *eodem titulo ac Pater,* suadent tum ea quae in eodem tractatu prius dixit ille, nempe quod: *Pater in hoc dumtaxat a Filio distinguitur quod generavit et non genitus est*; item Filius a Patre, *quod genitus est, et non generavit* (2); tum hic locus tractatus II *De incarnatione*:

« Confitemur Patrem exsistere, quia exsistit; et credimus Filium exsistere, quia genitus est; *item et Spiritum Sanctum exsistere, quia a Patre procedit et de Filio accipit.* His quidquam addere aut ab eis minuere non licet » (3).

Ergo, juxta Philoxenum, Spiritus Sanctus existit non tantum quia *a Patre procedit,* sed etiam quia *de Filio accipit.* Ergo Filius ab illo actu aeterno, quo Spiritus Sanctus existit, non est alienus.

Episcopus Mabbugensis eamdem veritatem suggerit in *Epistola ad monachos Teledenses,* ubi haec habet:

« Unus Deus, quia ibi et una natura; tres personae, quia sic sunt: Pater, qui est Pater ab aeterno, non per voluntatem, sed natura; Filius, qui est essentialiter Filius cum Patre, Fi-

(1) *De Trinitate,* ed. Vaschalde, p. 29, Romae, 1907.

(2) *Ibid.,* p. 26.

(3) *Op. cit.,* p. 174.

lius non per gratiam, sed per naturalem generationem; et Spiritus, qui ita est non metaphorice neque in tempore, ut alii spiritus nuntii (angeli) qui ad existentiam venerunt, sed Spiritus Sanctus, qui est *ex natura* (*Kianah*) *Patris et Filii illisque consubstantialis* » (1).

Inde a saeculo IX, ac praesertim tempore expeditionum Crucigerorum in Oriente, quidam theologi monophysitae additionem vocis Filioque ad Symbolum a Latinis factam culpare inceperunt, utpote contra legem factam et Patribus concilii oecumenici II injuriosam. Alii ulterius mox processerunt doctrinamque ipsam Photianorum more impugnarunt, ita ut, concilii Florentini tempore, Monophysitae omnes communiter accusarentur quod processionem Spiritus Sancti ab utroque negarent (2).

---

(1) *Epist. ad monachos Teledenses*, ed. I. Guidi. Cf. A. Vaschalde, *Three letters of Philoxenus, bishop of Mabbôgh*, Romae, 1902, p. 75-76.

(2) Renaudotius, *Collectio liturgiarum orientalium*, ed. Francf. 1847, t. I, p. 199, quosdam theologos coptos citat, qui additionem vocis Filioque improbant. Idem auctor, *op. cit.* t. II, p. 72, aliquot item Syros Jacobitas recenset vel solius additionis, vel etiam ipsius doctrinae in additione expresse adversarios, inter quos venit Gregorius ABU'L FARADJ, cognomento BARHEBRAEUS († 1286). Iste dogmati catholico adversatur, ut patet ex ipsius verbis ab Assemano relatis, *Dissertatio de monophysitis*, p. 16, et *Bibl., or.*, t. II, p. 287: « Quum processio sit proprietas Spiritus Sancti, inquit ille, cur additur in theologia, quod *a Filio accipit?* Dicimus *ratione manifestationis ad creaturas specialissime dici quod Spiritus a Filio accipit.* Quod vero a nonnullis asseritur, ipsum scilicet virtutem, aut potestatem, aut voluntatem, aut aliud hujusmodi accipere, haud aequa est opinio ». Saeculis XIII et XIV, dogma catholicum a quibusdam polemistis armenis Photianorum more impetitum fuit; de quibus vide Galanum, *Conciliatio Ecclesiae armenae cum catholica*, Roma, 1658, t. II, p. 393-395, 414-426. Praecipuus polemista saeculi XIII fuit VARTANUS, qui in *Epistola ad Haytonem, Armeniae regem*, haec inter alia habet: « Cum in divinis una tantum generatio sit, et una processio, una pariter et simplex causa singularum asserenda est. Spiritus autem idcirco esse Filii dicitur, quia dona Spiritus sancti, paterna scilicet bona, per Filium nobis impertiuntur ». Galanus, p. 394. Saeculo XIV, JOANNES ORODNIENSIS et ejus discipulus GRAEGORIUS DATHEVIENSIS quaedam argumenta photiana con-

Huic positioni deinceps et ad nostra usque tempora communiter addicti remanserunt, oblivioni mandantes doctrinam dogmati catholico omnino consonam tum Patrum antiquorum quorum scripta recipiunt (1), tum quorumdam documentorum anonymorum, quae magni aestimant (2), tum praesertim librorum liturgicorum et theologorum antiquorum.

Ad libros liturgicos quod attinet, laudari primum possunt testimonia quarumdam liturgiarum apud Syros Jacobitas usitatarum: v. g., in *Liturgia S. Clementis* haec leguntur:

---

tra Latinos promunt: « Si Pater, inquit Orodniensis, se solo potest Spiritum Sanctum spirare, superflua est spiratio Filii; si non potest solus, sed indiget concursu Filii, ut ambo se habeant tanquam causae partiales ad Spiritum producendum, ergo uterque impotens est et imperfectus; quod asserere est in abyssum blasphemiarum contra Trinitatem incidere. Merito igitur rei hujusmodi assertores anathematizat catholica et apostolica Ecclesia ». Galanus, p. 394-395. Photianorum etiam instar, contra Latinos urgent tum verba Christi in Evangelio: *Qui a Patre procedit*; tum verba symboli Nicaeno-Constantinopolitani. Imo Gregorius Datheviensis Catholicis objicit auctoritatem S. Joannis Damasceni.

(1) Praeter Patres supra memoratos, notandus est Severianus, Gabalorum episcopus, qui in quadam homilia armenice servata haec habet: « Ingenito Deo Patri, et genito ab ipso Filio Unigenito, *et Spiritui Sancto procedenti ex illorum essentia omnis gloria* ». J. B. Aucher, *Severiani homiliae ex antiqua versione armena. Homilia* I *in diem Luminum,* p. 16-17, Venetiis, 1827. Item S. Ephraem in quodam hymno de Trinitate, cujus authenticitatem vindicavit J. B. Lamy, *S. Ephraem Syri hymni et sermones,* t. II, p. 354; t. III, p. 242, sanctus Doctor processionem Spiritus Sancti ex Patre et Filio diserte profitetur.

(2) Inter haec documenta primas tenent *Doctrina Addaei,* inter omnes Syros vulgatissima, et *Canones Hippolyti* a Coptis *recepti. In Doctrina Addaei,* Spiritus Sanctus vocatur Spiritus divinitatis Christi: W. Cureton, *Ancient syriac documents,* Londini, 1864, p. 12 sq.; cf. p. 67. In canone vero 19, § 11, Hippolyti, catechumenus baptizandus a presbytero interrogatur: « *Credisne in Spiritum sanctum, Paracletum, qui ex Patre et ex Filio emanat?* Cf. W. Riedel, *Die Kirchenrechtsquellen der Patriarchats Alexandrien.* Lipsiae, 1900, p. 212. In *Actis syriacis S. Sarbelii,* Barsamias episcopus Sarbelium hortatur ut adoret « Christum Dei Filium *Spiritumque vivum, qui ex eo est* ». Cureton, *op. cit.*, p. 43. Item in *Actis sancti Sallitae,* Spiritus Sanctus vocatur vis vel virtus *quae procedit ex Patre et Filio*:*P. Bedjan, Acta martyrum et sanctorum,* t. I, *Lipsiae,* 1890, p. 430. In syriaca versione cujusdam homiliae *De Christi baptismo* sancto Gregorio

« Obsecramus te, sanctissime Deus, mitte ad nos ex habitaculo regni tui aeterni et ex regione praesentiae tuae excelsae Spiritum tuum Sanctum consubstantialem tibi et operatione aequalem, *qui a te absque initio procedit per Unigenitum Filium tuum* » (1).

In *Liturgia sancti Marutae*, locutio evangelica: *De meo accipiet* (Joa., XVI, 14) adhibetur:

« Miserere mei Deus, et mitte super me et super oblationem istam Spiritum Sanctum, Spiritum *qui a te procedit et a Filio tuo accipit* » (2).

Thaumaturgo tributae, haec in ore Praecursoris ponuntur: « Te baptizans, in cujus nomine te sanctificabo? Baptizabo te in nomine Patris? Sed aequalis es Patri substantiâ. In nomine Filii? Sed Filium Dei te esse extra controversiam est. Baptizabo te in nomine Spiritus Sancti? *Sed ex te procedit* et tecum est aequalis aeternitate et majestate? ». J. B. Pitra, *Analecta sacra*, t. IV, Parisiis, 1883, p. 130, 384. Textus graecus hujus homiliae, *P. G.*, t. X, col. 1184, a versione syriaca non parum discrepat; sic enim se habet: « 'Αλλ' εἰς τὸ τοῦ ἁγίου Πνεύματος; 'Αλλὰ σύνεστί σοι διὰ παντὸς ὡς ὁμοούσιόν σοι καὶ ὁμόβουλον καὶ ὁμόγνωμον καὶ ὁμοδύναμον καὶ ὁμότιμον, καὶ σὺν σοὶ δέχεται τὴν παρὰ πάντων προσκύνησιν. » In symbolo fidei Armenorum, processio Spiritus Sancti ab utroque insinuatur; in eo siquidem haec verba occurrunt: *Credimus et in Spiritum Sanctum non alienum a Patre et Filio, sed consubstantialem Patri et Filio;* quae textui graeco *Interpretationis in symbolum* plane respondent: « Πιστεύομεν εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ οὐκ ἀλλότριον Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, ἀλλ' ὁμοούσιον ὂν Πατρὶ καὶ Υἱῷ. » In recentioribus autem editionibus hujus symboli verba: *non alienum a Patre et Filio, sed consubstantialem Patri et Filio* suppressa sunt. Tempore autem Nersetis Lampronensis, videlicet saeculo XII, verba praefata suo loco nondum exciderant. *In symbolo fidei* S. Gregorio Illuminatori tributo legitur: « Credo in unum Deum Patrem et Dominum et Creatorem rerum omnium; et in Unigenitum Filium a Patre et apud Patrem et cum Patre, atque *in Spiritum Sanctum ex eorum essentia,* et per ipsum omnes factas esse creaturas ». Hanc fidei professionem refert Agathangelus, seu auctor *Vitae S. Gregorii,* qui circa finem saeculi V, vel saeculo VI ineunte vivebat.

(1) Renaudotius, *op. cit.* t. II, p. 191.

(2) *Ibid.*, p. 263; cf. *Liturg. Barsalibii,* ibid., p. 449: *Et a Filio accipit; Liturg. Dioscori,* p. 494: *Qui a te procedit et a Splendore tuo accipit.*

In *Liturgia* autem *sancti Xysti*, papae Romae, legitur:

« Spiritus, *qui a te procedit ab aeterno, et a Filio accipit substantialiter* » (1).

Item, in *Liturgia Matthaei Pastoris*:

« *Et a Filio quae substantiae sunt accipit* » (2).

Processio aeterna Spiritus Sancti a Filio in *Liturgia sancti Ignatii Antiocheni* adhuc explicitius exprimitur:

« Mitte directorem illum Spiritum tuum Sanctum, *qui a te procedit et accipit a Filio tuo essentialiter et ab aeterno* » (3).

Haud minus disertae sunt attestationes in libris liturgicis Armenorum occurrentes. Sic in *Rituali de consecratione episcopi*, patriarcha ordinandum hoc modo interrogat:

« Credis sponte et libenter Spiritum Sanctum vere Deum? Credis vere *quod mittatur et procedat a Patre et Filio?* » (4).

In *Thesauro hymnorum* habetur:

« Patrem praedicamus Dominum, et Deum Filium glorificamus cum Patre, *atque Spiritum ab iis procedere dicimus* ».

---

(1) *Ibid.*, p. 136.

(2) *Ibid.*, p. 348.

(3) *Ibid.*, p. 529; cf. S. Salaville, *Doctrina de Spiritus Sancti ex Filio processione in quibusdam syriacis epicleseos formulis aliisque documentis ipsas illustrantibus. Slavorum litterae theologicae*, t. V, 1909, p. 165-172.

(4) Denzinger, *Ritus Orientalium*, t. II, p. 359. Serposio teste, verba: *et Filio* in aliquibus codicibus recentioribus suppressa sunt.

Et in *canone Pentecostes,* die prima:

« Ex fonte qui a Patre indesinenter manat, *a Filio effective procedit Spiritus Sanctus* ».

Item in *canone Pentecostes,* die secunda:

« Spiritus Sanctus procedens a Patre inscrutabiliter, *capiens a Filio ineffabiliter* ».

In oratione autem diei Pentecostes, quae a verbis: *Qui es* incipit, ipsa Latinorum formula legitur: « *Spiritus procedens inscrutabiliter ex Patre et Filio* » (1).

Inter theologos qui doctrinam catholicam diserte professi sunt laudandus est Dionysius III, patriarcha Syrorum jacobitarum (959-961), cujus verba sic conant:

« Pater a nullo habet existentiam, sed per seipsum existit ingenitus; Filius est genitus a Patre ab aeterno; *Spiritus Sanctus promanat ex Patre et Filio* » (2).

Inter Armenos citari possunt:

1° Gregorius Narechiensis, qui in *Libro divinarum precum, in oratione* 70ª dicit: « Benedicimus una cum Patre et Filio *indivisibilem utriusque processionem, congloriosum Spiritum* » (3).

---

(1) Cf. Galanum, *op. cit.*, t. II, p. 397-398. *Acta synodi patriarchalis Armeniorum catholicorum habitae Chalcedone Constantinopoleos,* anno 1890, p. 20. De hac oratione Pentecostes testantur Patres synodi Sisensis, sub Mekhitaro patriarcha habitae, anno 1342.

(2) Assemanus, *Bibliotheca orientalis,* t. II, p. 131; item *Dissertatio de Monophysitis,* p. 15.

(3) Galanus, *op. cit.* t. II, p. 395-396.

2° Nerses IV patriarcha, Gratiosus dictus (1166-1173), qui in *Sermone de transitu Deiparae* scribit:

« Spiritus perennis, procedens a Patre et Filio, congloriosus et universorum Dominus » (1).

3° Celeberrimus doctor Vanakanus (saec. XIII), qui catholice omnino sentiebat, suam de Trinitate fidem his verbis profitebatur:

« Filius a Patre, et *Spiritus Sanctus a Patre et Filio;* Pater radix, Filius planta, Spiritus *germen a radice et planta;* ...Filius a Patre procedit; *Spiritus procedit a Filio et a Patre;* Filius accipit a Patre; *pariter et Spiritus a Filio;* unus Pater, qua non ab alio Patre, unus Filius, quia a Patre, *unus Spiritus, quia a Patre et Filio* » (2).

4° Ante hos omnes, anno 862, postquam Photius patriarcha Constantinopolitanus de unione ad catholicum Armenorum Zacharium scripserat, patres synodi Shiragavanensis hunc canonem promulgaverant:

« Si quis non confitetur sacrosanctae ac vivificae Trinitatis unam naturam et tres personas, hoc est, Patrem a nullo principio, Filium a Patre, et *Spiritum Sanctum ab utriusque essentia* et utrique coaequalem, anathema sit » (3).

5° Synodus Sisensis quinta, anno 1251, Innocentii papae IV jussu convocata, dogma catholicum expresse confessa

(1) Ibid., p. 396.

(2) *Acta synodi patriarchalis Chalcedone habitae,* p. 20-21.

(3) A. Balgy, *Historia doctrinae catholicae inter Armenos unionisque eorum cum Ecclesia romana in concilio Florentino,* Vindobonae, 1878, p. 217.

est. Eamdem confessionem alia Synodus Sisensis anno 1342, sub Benedicto II, renovavit contra quosdam dissidentes (1).

Vides doctrinam catholicam apud Monophysitas temporum decursu haud uno diserto testimonio comprobari, quidquid in contrarium hodie proferant, propter contentiones polemicas, harum Ecclesiarum theologi.

(1) De doctrina Armenorum circa processionem Spiritus sancti vide G. Avedikhian, *Dissertatione sopra la processione dello Spirito Santo dal Padre e dal Figliuolo,* Venetiis, 1824.

I.

NOMINUM INDEX ALPHABETICUS

A

G

H

I

J

K

L

M

R

S

II.

INDEX ALPHABETICUS
CODICUM, COLLECTIONUM
ET COMMENTARIORUM LAUDATORUM

III.

INDEX RERUM ANALYTICUS

ARTICULUS III.

ARTICULUS III.

ARTICULUS IV.

ARTICULUS V.

ARTICULUS VI.

CAPUT QUARTUM

ARTICULUS V.

ARTICULUS VI.

CAPUT QUINTUM.

ERRATA ET CORRIGENDA

Cum praesens volumen iniquo tempore prelo subjectum fuerit, accidit ut typographicae mendae haud paucae operi obrepserint. Non omnes, sed praecipuas, eas praesertim quae ipsas sententias tangunt nec facile corrigi possunt, lectori hic denuntiamus.

Pag. 41, l. 2 notae 2, loco: *cogitatone* lege: *cogitatione*
» 45, l. ultima » *catholic* » *catholicum*
» 48, l. 10, » *habuemus* » *habemus*
» 91, l. 1 notae 5, » LXX » LXXV
» 107, l. 6, » *fructice* » *frutice*
» 106, l. 2, » *Virgilio* » *Vigilio*
» 112, l. 5 notae 1, » *procdere* » *procedere*
» 115, l. 14 » *defendi* » *defendere*
» 119, l. 3 notae 1, » *808* » *804*
» 119, l. 7 notae 1, » *Saeclo* » *Saeculo*
» 134, l. 14 partis inferioris, post verba: *ut Ambrosius*, delenda sunt nomina: *Augustinus, Fulgentius.* Ejusdem paginae 134 notam primam (l. 15-17 partis inferioris) pro non scripta habeas. Auctor enim versionis graecae operis S. Gregorii Magni *De cura pastorali* est Anastasius II Antiochenus, Anastasii I successor. Cfr. P, L., t. LXXVII, col. 1
» 146, l. 5 notae 1, loco: καὶ μόνον τὸ ἅγιον lege: καὶ μόνον τὸ μόνον τὸ ἅγιον
» 152, l. 4, loco: *Saeculo* XII lege: *Saeculo* XIII
» 159, l. 2 notae 1, » Χρισνοῦ » Χριστοῦ

Pag.	160, l. 24,	loco :	*Excammatismenus* lege : *Escammatismenus*	
»	163, l. 8,	»	*Unigenitum* lege : *Ingenitum*	
»	178, l. 19,	»	Πατρὸς ἔχοντος lege : Πατρὸς πάντα ἔχοντος	
»	179, l. 1 in titulo,	»	VII lege :	VIII
»	190, l. 15 in titulo,	»	VIII »	IX
»	223, l. 1	»	*P. Snopek* lege :	*F. Snopek*
»	284, l. 1 in titulo,	»	*Spiritum* »	*Spiritus*
»	307, l. 2 notae 2,	»	*profiteur* »	*profitetur*
»	318, l. 4 notae 2,	»	*Theosphylactus* lege : *Theophylactus*	
	328, l. 1 notae 2,	»	*115* lege *1115*	
»	333, l. 8	»	*accomodata* lege :	*accommodata*
»	338, l. 4 notae 2,	»	ὁ τοῦ διήκειν »	ἡ τοῦ διήκειν
»	375, l. 1 notae 3,	»	ἐκπορεύται »	ἐκπορεύεται
»	384, l. 1 notae 1,	»	*Kristê* »	*Khristê*
»	390, l. 11	»	*Monophositas* »	*Monophysitas.*